GRANDERATH
CONSTITUTIONES
DOGMATICAE

BX830
1869
G7
c.1

00 3378

ITER PARA TVTVM
EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080020860

b/cA $ 3.00

CONSTITUTIONES DOGMATICAE

SACROSANCTI

OECUMENICI CONCILII VATICANI

EX IPSIS EIUS ACTIS

EXPLICATAE ATQUE ILLUSTRATAE

A

THEODORO GRANDERATH,

SOCIETATIS IESU PRESBYTERO.

CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI ARCHIEPISCOPI FRIBURGENSIS.

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Raúl Rivera y Tellez

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCII.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI ET MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX830
1869
67

UNIVERSIDAD AVTONOMA D NVEVOLEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Salvo iure proprietatis et translationis.

CAPILLA ALFONSINA
UANL
FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

REVERENDISSIMO DOMINO

IGNATIO DE SENESTRÉY,

EPISCOPO RATISBONENSI,

QUI IN CONSTITUTIONIBUS SS. CONCILII VATICANI FORMANDIS
ATQUE CONDENDIS TANTAM POSUIT CURAM ATQUE OPERAM,

HANC EARUNDEM CONSTITUTIONUM EXPLANATIONEM
SUMMA REVERENTIA

DEDICAT

AUCTOR.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

0093378

PRAEFATIO.

QUUM in omnibus legibus, tum praecipue in doctrinalibus Ecclesiae legibus interpretandis permultum nos iuvari liquet documentis, quibus earum origo illustratur. Neque profecto de aliquibus Conciliorum, v. g. Lateranensis IV., Viennensis, Tridentini, decretis tot inter theologos exstitissent disputationes, si praesto essent documenta, ex quibus illa decreta hausta, descriptiones, quibus primo delineata, emendationes, quae propositae, disputationes, quae de iis habitae sunt etc.

Iam nullius Concilii acta atque documenta tanta copia in manibus versantur, quanta Concilii Vaticani. Ea edidimus in VII. tomo Collectionis Lacensis (V. infra Proleg. II. p. 8.), ut iam Constitutionum historiam a prima earum origine usque ad conciliarem earum approbationem persequi possimus. Ex his igitur documentis Constitutiones Concilii Vaticani ita explicamus, ut generatim nihil afferamus, quod non ex ipsis documentis Concilii haustum sit. Documentorum autem, quantum fieri potuit, ipsa retinuimus verba, licet aliqua, praesertim ea, quae in Congregationibus generalibus ore prolata a stenographis excepta sunt, fusius sint dicta atque quoad stilum emendatione egeant.

Quum Concilii Vaticani Constitutiones exstent duae, duabus liber constabit partibus. Utraque tribus continebitur capitibus. Horum primo narrabitur, quomodo orta, examinata, conciliariter probata sit Constitutio. Porro, quum ea, quae ad aliquas Constitutionum sententias explicandas afferri debent, nimis multa sint, quam ut adnotationibus textui subiectis comprehendi possint, eas capite secundo specialibus quibusdam commentationibus explicamus; tertio tandem capite ipsa Constitutio habetur adnotationibus subiectis explicata. Prolegomenorum duabus paragraphis exponimus primo, quem ordinem Concilium in condendis Constitutionibus servaverit, secundo, qualia sint documenta, e quibus earum explicationes petimus.

Exaeten prope Roermond, mense Iulio 1892.

Auctor.

45027

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX.

Pag.

Prolegomena.

I. Quem ordinem Concilium Vaticanum in condendis decretis servaverit 1

II. E quibus documentis Constitutionum explicationes hoc libro petantur 8

PARS PRIOR.

CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE FIDE EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

Historia originis Constitutionis de fide et conciliaris eius comprobationis 11

CAPUT ALTERUM.

Aliquorum locorum Constitutionis de fide uberior explicatio.

Commentatio I. De initio capitis primi Constitutionis de fide: „Sancta catholica Apostolica Romana Ecclesia“ 29

Commentatio II. De possibilitate certae naturalis cognitionis Dei a Concilio definita 32

Commentatio III. Quid Concilium Vaticanum de S. Scriptura definierit 47

Commentatio IV. Sitne a Concilio definitum, eos, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperint, sine peccato *formali* eandem fidem mutare vel in dubium vocare non posse 61

CAPUT TERTIUM.

Ipsa Constitutio dogmatica de fide catholica adnotationibus subiectis explicata 70

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PARS ALTERA.

CONSTITUTIONIS DOGMATICAE PRIMAE DE ECCLESIA CHRISTI EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

Pag.

Historia originis Constitutionis primae de Ecclesia et conciliaris eius comprobationis 103

CAPUT ALTERUM.

Aliquorum locorum Constitutionis primae de Ecclesia uberior explicatio.

Commentatio I. Num Christus recte dicatur in Petro instituisse unitatis principium ac visibile fundamentum . . 125

Commentatio II. De Primatu soli Petro collato ac de Petri ad ceteros Apostolos ratione 129

Commentatio III. Num vi Constitutionis primae de Ecclesia tenendum sit, Primatum in totam Ecclesiam cum sede Romana iure divino atque immutabiliter connexum esse . . . 137

Commentatio IV. Concilii Florentini de vi ac ratione Primatus definitio in tertium caput Constitutionis primae de Ecclesia recepta 150

Commentatio V. Quo iure et quo sensu Summi Pontificis potestas dicatur episcopalis 154

Commentatio VI. De inciso canonis capitis tertii: „aut eum [Papam] habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis“ 157

Commentatio VII. De tribus oecumenicorum Conciliorum testimoniis, quae definitioni infallibilitatis Summi Pontificis praemittuntur 165

Commentatio VIII. Romani Pontificis infallibilitas num dicenda sit vel quo sensu dici possit personalis, separata, absoluta, eius solius propria 175

Commentatio IX. Quid a Concilio Vaticano de obiecto infallibilitatis pontificiae doceatur 190

CAPUT TERTIUM.

Ipsa Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi adnotationibus subiectis explicata 210

Index personarum ac rerum 235

Erratum.

P. 52. l. 14. (infra) loco *inspirati* lege *canonici*.

PROLEGOMENA.

I.

Quem ordinem Concilium Vaticanum in condendis decretis servaverit.

IN Concilio Vaticano ad res, quae proponebantur, examinandas probatasque sanciendas duplicis generis omnium Patrum habebantur consessus: Congregationes generales et Sessiones publicae vel solemnes. In illis, quae quinque Cardinalibus praesidibus singulis hebdomadis compluries haberi solebant, Patres res propositas discutiebant atque latis suffragiis vel approbabant vel reiciebant. Quaecunque reiiciebant, ea relinquebantur; decreta approbata in Sessione publica, cui praeerat ipse Summus Pontifex, solemnius suffragiis subiiciebantur, ut suffragiis ultimo a Patribus approbata a Summo Pontifice confirmarentur atque Constitutionis conciliaris vim obtinerent.

Theologorum minorum consessus, quales fuerant in Concilio Tridentino [1], in Vaticano non habebantur [2]; sed ante inceptum Concilium Vaticanum schemata earum rerum, quas Summus Pontifex Concilio proponi volebat, a specialibus theologorum et canonistarum commissionibus parabantur, atque ut ea, circa quae Patres in Congregationibus generalibus inter se non conveniebant, secundum Patrum vota emendarentur et emendata denuo proponerentur, quatuor initio Concilii instituebantur deputationes: pro rebus ad fidem pertinentibus, pro rebus disciplinae ecclesiasticae, pro rebus Ordinum regularium, pro rebus ritus Orientalis et Apostolicarum Missionum. Hae singulae ex quatuor et viginti Patribus constabant, qui in Congregatione generali schedulis secretis eligebantur, eisque a Summo Pontifice praeses praeficiebatur unus e Cardinalibus, qui ipse ex conciliaribus theologis vel canonistis unum seu complures consultores et ex his unum eligebat deputationis secretarium [3]. Membra deputationis pro rebus ad fidem pertinentibus, de

[1] C. V. col. 1095 c. (C. V. literis significatur *Collectionis Lacensis tom. VII.* vel *Acta et decreta Concilii Vaticani.* Cf. infra p. 10.)

[2] Ibid. 1077 b. 1102 a. [3] „Multiplices inter“ § VII; v. C. V. 22 d sq.

qua saepe occurret sermo, quamque brevitatis gratia deputationem de fide dicemus, in Congregatione generali tertia eligebantur Emmanuel Garcia Gil, Archiep. Caesaraugustanus, Ludovicus Franciscus Pie, Episc. Pictaviensis, Patricius Leahy, Archiep. Casseliensis, Renatus Franciscus Régnier, Archiep. Cameracensis, Ioannes Simor, Archiep. Strigoniensis, Andreas Ignatius Schaepman, Archiep. Ultraiectensis, Antonius Hassun, Patriarcha Ciliciae Armenorum, Bartholomaeus d'Avanzo, Episc. Calvensis et Theanensis, Miecislaus Ledochowski, Archiep. Gnesnensis et Posnaniensis, Franciscus Aemilius Cugini, Archiep. Mutinensis, Sebastianus Dias Laranjeira, Episc. S. Petri Fluminis Grandensis Australis, Ignatius Senestréy, Episc. Ratisbonensis, Victor Augustus Dechamps, Archiep. Mechliniensis, Ioannes Martinus Spalding, Archiep. Baltimorensis, Antonius Monescillo, Episc. Giennensis, Petrus Iosephus de Preux, Episc. Sedunensis, Vincentius Gasser, Episc. Brixinensis, Raphael Valentinus Valdivieso, Archiep. S Iacobi de Chile, Henricus Eduardus Manning, Archiep. Westmonasteriensis. Fridericus Maria Zinelli, Episc. Tarvisinus, Iosephus Cardoni, Archiep. Edessenus, Walterus Steins, Archiep. Bostrensis, Conradus Martin, Episc. Paderbornensis, Iosephus Sadoc Alemany, Archiep. S. Francisci [1]. Huius deputationis praeses designatus est Cardinalis Aloysius Bilio [2], qui secretarium elegit Ioannem Schwetz, professorem theologiae in Universitate Viennensi.

Quem ordinem Concilium servaret, ab initio Literis Apostolicis „Multiplices inter“ [3] statutum erat. Sed novo decreto d. 20. Februarii 1870 [4], quod promulgatum est 22. eiusd., Summus Pontifex „propositum sibi finem facilius assequi cupiens nec non rationem habens expostulationum, quae a plerisque Concilii Patribus haud semel exhibitae sunt ex eo, quod disceptationum conciliarium series in longum plus aequo protrahatur [5], ex apostolica sua sollicitudine quasdam peculiares pro Congregationum generalium discussionibus tradere normas constituit, quae praestitutum generalem ordinem evolvendo atque integram servando eam discussionum libertatem, quae catholicae Ecclesiae Episcopos deceat, pleniori expeditiorique ratione ad rerum tractandarum examen, disceptationem et deliberationem conferrent“. Utrumque documentum, et Literas Apostolicas, et decretum d. 20. Februarii editum consulamus oportet, ut, quem ordinem Concilium ante editum decretum et quem eo edito servarit, cognoscamus.

Proponebantur res, quae a Concilio tractandae essent, a Summo Pontifice. Ipse tamen in Literis Apostolicis „Multiplices inter“ [6] se non solum optare dicit, sed etiam hortari, „ut, si qui inter Concilii

[1] C. V. 712d sq. [2] Ibid. 715d. [3] Ibid. 17a sqq.
[4] Ibid. 67a sqq. [5] Cf. ibid. 957b sq.
[6] § II. V. C. V. 18d sq.

Patres aliquid proponendum habuerint, quod ad publicam utilitatem conferre posse existiment, id libere exequi velint“. Debebant autem, quae Concilio proponi volebant, peculiari Patrum congregationi, quam ipse ex Cardinalibus aliisque Concilii Patribus constitutam ad examinandas Patrum propositiones deputavit [1], scripto exhibere, ut ea propositiones exhibitas expenderet suumque circa earum admissionem vel exclusionem consilium ipsius Papae iudicio submitteret ipseque decideret, utrum res Concilio proponenda esset necne [2].

Quae proponebantur, vi Literarum Apostolicarum „Multiplices inter“ [3] aliquot diebus ante Congregationem generalem, in qua eorum disceptatio incipiebat, typis impressa inter Patres distribuenda erant, ut, quid de iis sentiendum esset, considerarent. Ii, qui de schemate proposito in Congregatione generali dicere volebant, id saltem pridie Praesidibus significare debebant. Ordo oratorum determinabatur eorum dignitatis gradu. Si qui auditis sermonibus aliorum post eos disserere voluerint, obtenta prius a Praesidibus dicendi venia, ordine dignitatis ad dicendum vocabantur.

Quodsi in Congregatione generali schema propositum vel nullas vel leves tantum et in ipso congressu facile expediendas difficultates offerebat, statim decreti vel canonis formula rogatis Patrum suffragiis statuenda erat. Si autem circa schema tales oriebantur difficultates, ut via non suppeteret, qua in ipso conventu componerentur, schema cum obiectis difficultatibus examini illius deputationis subiiciendum erat, ad quam pro rerum, de quibus agebatur, genere pertinebat. Deputatio re deliberata eorum, quae videbantur, relationem typis impressam inter Patres distribuere debebat, ut in proxima Congregatione generali res denuo tractaretur et, si nihil iam obstiterit, rogatis Patrum suffragiis, decreti vel canonis formula conderetur.

Suffragia a Patribus oretenus edebantur, ita tamen, ut liceret etiam ea scripta tradere.

Haec, quae ex Literis Apostolicis „Multiplices inter“ de rerum propositione atque earum in Congregationibus generalibus disceptatione et modo ferendi suffragia desumpsimus, decreto 20. Februarii accuratius determinantur atque supplentur.

Constituebatur eo decreto, ut Patres de schematis propositis prius, quam de iis in Congregatione generali ageretur, scripto ea traderent, quae animadvertenda viderentur. Quod ut recte fieri posset, Cardinales Praesides distributo aliquo schemate congruum tempus assignare

[1] Nomina Cardinalium et Patrum, ex quibus Congregatio constabat, v. C. V. 710c sqq.
[2] Quid de iure et modo res proponendi disserant Sebast. Sanguineti S. I. et Ios. de Hefele, professor Tübingensis, consultores commissionis directricis, v. C. V. 1077c sqq. 1089a sqq.
[3] § VII. V. C. V. 22b sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

iubebantur, intra quod animadversiones scriberentur ac traderentur. Ordo animadversionum is servandus erat, ut prius illa afferrentur, quae totum schema seu totam schematis partem propositam respicerent, deinde ordine schematis servato ea, quae ad singulas sententias spectarent. Quicunque verba vel paragraphos schematis propositi mutari volebat, novam verborum vel paragraphorum formulam in locum prioris substituendam ipse debebat afferre. Animadversiones hac ratione exaratae et ab iis, qui eas proponebant, subscriptae secretario Concilii tradendae erant, qui eas ad illam deputationem transmitteret, ad quam pro rerum, de quibus agebatur, genere spectabant. Deputatio deliberatione de animadversionibus habita schema secundum eas reformatum cum relatione de propositis animadversionibus inter Patres distribuere iubebatur, ut statuto a Praesidibus die in Congregatione generali discussio schematis iam inciperet. Ea habenda erat primum generatim de schemate integro vel diviso, prout Cardinalibus Praesidibus visum fuerit, generalique absoluta, de unaquaque schematis parte, ita quidem, ut oratores, qui schematis periodum vel paragraphum mutari vellent, ipsi formulam a se probatam in locum prioris substituerent; quae formula post habitam orationem scripto Praesidibus tradenda erat. Qui de reformato schemate loqui volebant, hi, quum id Praesidibus significabant, indicare simul debebant, utrum de toto schemate generatim, an de eius partibus in specie acturi essent, et, si de partibus, de quibus essent acturi. Singulis Patribus deputationis, a qua schema reformatum erat, impetrata a Praesidibus venia, oratorum difficultatibus et animadversionibus respondere licebat, ita ut ipsis liberum esset, vel statim post oratorem, cui respondere volebant, dicere, vel pluribus simul oratoribus de eadem re disceptantibus respondere, idque vel eodem vel alio die. Si quis ex oratoribus a re proposita evagabatur, Praesidum erat, eum ad quaestionem, de qua agebatur, revocare. Si discussionum series, re proposita iam satis excussa, plus aequo protrahebatur, Cardinales Praesides, postulatione a decem minimum Patribus scripto exhibita, Congregationem generalem percontari poterant, num vellet disceptationem diutius continuari, et exquisitis per actum assurgendi vel sedendi suffragiis, finis discussioni imponendus erat, si id maiori Patrum praesentium numero videbatur.

Conclusa igitur de aliqua schematis parte disceptatione, antequam ad aliam fieret transitus, Patrum suffragia exquirenda erant, primum de singulis emendationibus propositis [1], deinde de integro partis exami-

[1] Illae typis impressae cum omnibus Patribus communicabantur. Deputatio, ad quam schema spectabat (Lit. Apost. „Multiplices inter“ § VII. Cf. supra p. 3), iis examinatis unum e deputatis elegit, qui in Congregatione generali de singulis emendationibus referret atque exponeret, quid deputatio de iis sentiret.

natae textu. Ferenda autem erant haec suffragia ita, ut Praesides, propositis singulis emendationibus vel textu, ad surgendum invitarent primum eos, qui emendationi vel textui assentirentur, deinde eos, qui contradicerent [1]; recensitis deinde suffragiis id decernendum erat,

[1] Quum exstent adhuc reprehensores Concilii Vaticani, qui quod solo actu surgendi et sedendi suffragia de emendationibus lata sint, Concilio in crimen vertunt, sequatur hoc loco exemplum suffragationis, quod accuratius in actis relatum est.

Agitur de primis verbis primi capitis Constitutionis de fide. Verba in schemate Patribus proposito erant haec: „Sancta Romana catholica Ecclesia credit etc.“ (C. V. 71 c). Duae emendationes proponebantur. Unus ex Patribus voluit, vocem „Romana“ omitti. Alter, poni „Catholica atque Romana Ecclesia“, seu, si id non placeret, saltem comma interponi inter verba „Romana“ et „catholica“ (C. V. 99 a). Iam relatione de emendationibus, quae in primam capitis paragraphum propositae erant, habita, acceditur ad suffragia hoc modo: Iussu Praesidis Subsecretarius ambonem ascendit et primam emendationem, quam Patres scriptam in manibus habebant, legit:

„Proponitur ut initio capitis primi simpliciter dicatur: Sancta catholica Ecclesia credit et confitetur unum esse etc.“

Tum Emus primus Praeses Patres in hunc modum interrogavit:

„Rmi Patres qui huic emendationi modo lectae assentiuntur, nunc surgere et tamdiu stare debent, donec satis constet de maiori vel minori suffragiorum numero pro hac emendatione.“

Et paucissimis surgentibus, primus Praeses ait:

„Evidens est, quod longe maior Patrum pars huic emendationi contradicat.“

Dein his verbis Patres interrogavit de suffragiis secunda vice dandis:

„Iam vero iuxta normam praescriptam necessarium est, ut de eadem emendatione exquiratur, qui Patres eamdem reprobandam censeant. Itaque nunc ii Rmi Patres, qui huic eidem emendationi contradicunt, surgere debent, ac tamdiu stare, donec satis constet de maiori vel minori suffragiorum numero contra hanc emendationem.“

Et surgentibus Patribus pene omnibus, Rmus primus Praeses addidit:

„Iterum evidens est, longe maiorem Patrum partem huic emendationi contradicere. Et idcirco ex utroque experimento constat, primam hanc emendationem a Concilio fuisse reiectam.“

De emendatione secunda suffragia deinceps rogata sunt. Et quoniam duplici constat parte, prima pars, qua nimirum proponitur, ut in capite primo legatur: *Catholica atque Romana Ecclesia*, eadem ratione ac prima emendatio reiecta est a Patribus eadem omnino forma bis interrogatis. Secunda vero pars, ubi legitur: *Sin autem non placuerit Patribus, ut saltem comma interponatur inter verba* „Romana“ *et* „catholica“, cum suffragiis Patrum subiecta est, non eumdem consensum invenit: sed cum plures et stantes et sedentes essent, scrutatores suffragiorum vocati sunt, ut et stantes et sedentes numerarent. Quod dum fieret, plures ex Rmis Patribus Praesides rogarunt, ut quoad propositionem hanc suspenderentur suffragia, ut interim

quod maiori Patrum numero placuisset. Quum de omnibus alicuius schematis partibus ea ratione suffragia lata essent, iam de toto schemate examinato sententiae erant dicendae; tum vero non surgendo et sedendo, sed oretenus verbis „Placet“ vel „Non placet“, ita tamen ut etiam liceret respondere „Placet iuxta modum“, seu suffragio „Placet“ addere conditionem; quicunque autem conditionem adiiciendam existimabant, eam scriptam Praesidibus tradere debebant [1].

Quae quidem normae inde a d. 22. Februarii 1870, quo decretum promulgabatur, servatae sunt. Constituebant autem Episcopi deputationis de fide, Patribus non solum cum schemate reformato relationem scriptam tradere, sed etiam in ipsa Congregatione generali, in qua discussio incipiebat, ipsum schema viva voce proponere atque commendare [2], quod exemplum deputatio pro rebus disciplinae ecclesiasticae secuta est [3].

Quid agendum sit, si quis suffragio „Placet“ conditionem adiiciat, non determinatur in decreto pontificio, ita ut, quum id primo accideret, Patres deputati incerti essent, quid facerent. Quod unus ex iis proponebat, rem Summo Pontifici relinquendam esse, non placebat [4]. Itaque deputati constituerunt singulas conditiones propositas examinare atque in Congregatione generali referre, quid deputatio de iis sentiret, illasque emendationes, quas approbandas censeret, Patribus commendare, ut hae suffragiis Patrum subiectae vel reciperentur vel reiicerentur [5]. Atque id quidem rectissime. Neque enim quidquam in Constitutione mutare poterant deputati, nisi probante Congregatione generali. Eas igitur emendationes, quas recipiendas esse censebant, suffragiis Congregationis subiicere debebant. Quas vero emendationes recipiendas esse negabant, de his suffragia exquirenda non erant, quum de textu, ut fuerat, suffragia lata iam essent, illique, qui conditionem adiecerat, liberum relinqueretur, utrum in Sessione publica propter emendationis a se propositae reiectionem suffragium „Non placet“ ederet

collatis consiliis obtineri consensus facilius posset. Postulationi huic Praesides annuerunt, et per Subsecretarium indixerunt suspensionem suffragiorum circa huiusmodi propositionem, et declararunt actum ferendi suffragia in sequenti die habendum esse.

Hucusque acta. Huic modo suffragia ferendi nihil sane deerat, quod, ut recte et cum circumspectione ferrentur, requirebatur. Neque profecto, si de singulis illis sexcentis emendationibus ea solemnitate sententiae rogandae fuissent, qua de integris Constitutionibus rogabantur, Concilium quidquam perfecisset. Imo fieri non potuit, ut in singulis suffragationibus tantum temporis consumeretur, quantum in hac, quam attulimus exemplum, consumebatur.

[1] Cf. C. V. 67a sqq.
[2] Ibid. 1651a. Cf. 80d sqq. 730d. 290d sqq. 743b.
[3] Cf. ibid. 764a. 740c. 743a.
[4] Ibid. 1675d.
[5] Ibid. 1675c. 1702c. Cf. ibid. 232c sqq. 739d. 460a sqq.

an suffragio „Placet“ significaret, se sententiam mutasse, vel Constitutionem non mutatam mallet definiri quam omnino reiici.

Deliberatione de conditionibus adiectis finita, Congregationi generali nihil iam agendum supererat, sed levibus quibusdam rebus ad solum stilum spectantibus a deputatione mutatis [1] Constitutio singulis Patribus mittebatur atque, ultimo eorum suffragiis subiiciebatur in Sessione publica.

Postquam in ea Constitutio, in Congregatione generali condita, lecta erat, rogabantur Patres, num placerent canones et decreta, quae lecta essent. Deinde, ut praescribitur in Literis Apostolicis „Multiplices inter“, procedebant octo scrutatores suffragiorum, in quatuor distincta paria distributi, cum quatuor notariis ad suffragia singillatim et ex ordine excipienda eaque describebant. Suffragia autem pronuntiabantur in verba „Placet“ vel „Non placet“, excluso suffragio „Placet iuxta modum“. Absentibus ius non erat suffragium scriptum ad Concilium mittendi. Suffragia collecta apud cathedram pontificalem a Concilii Secretario et scrutatoribus numerabantur [2]. Suffragia igitur, ut clarius ex Sessionum historia patet, a Patribus pronuntiabantur *voce*. Postquam Patres rogati erant, num placerent canones et decreta, quae lecta sunt, Subsecretarius Concilii ex ambone nomina singulorum Patrum iuxta ordinem dignitatis et promotionis magna voce appellabat, et, quum singuli respondebant „Placet“ vel „Non placet“, scrutatores et notarii eorum responsa scripto excipiebant [3]. Simulatque enim Patres, ut diximus, rogati erant, num placerent canones et decreta, „procedunt scrutatores suffragiorum bini ac bini, quibuscum notarii Concilii ita iunguntur, ut duo scrutatores unum ex Concilii notariis adiunctum habeant. Hi vero munus colligendi Patrum suffragia ita obeunt, ut per quatuor principales aulae Concilii partes distributi terni simul (duo nempe scrutatores et unus Concilii notarius) accedant partem aulae sibi pro hac re assignatam, ibique singillatim“ Cardinalium, Patriarcharum reliquorumque Patrum suffragia exquirunt iuxta ordinem sedendi, singulorumque suffragia describunt [4]. Suffragiis a Concilii Secretario et scrutatoribus numeratis et relatione Summo Pontifici de iis facta, is Constitutionem approbabat atque confirmabat eamque promulgari iubebat [5]. Neque tamen alia promulgatione, praeter eam, quae in ipsa Sessione publica locum habebat, opus erat, ut Constitutiones vim legis obtinerent [6].

[1] Ibid. 1676d sqq. 1695d. 1702d.
[2] „Multiplices inter“ § VI. C. V. 21b. § VIII. C. V. 23c. d.
[3] C. V. 257a. 487c.
[4] Ordo agendorum Officialibus Concilii Vaticani. C. V. 1070a. 1071c. d.
[5] „Multiplices inter“ § VIII. C. V. 24a.
[6] Literae Cardin. Antonelli ad Nuntios. C. V. 1715d.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II.

E quibus documentis Constitutionum explicationes hoc libro petantur.

Omnia documenta, quibus in explicandis Constitutionibus dogmaticis Concilii Vaticani utemur, insunt septimo tomo Collectionis Lacensis et libro, quem inscripsimus *„Acta et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani“*, qui quidem liber est ipse septimus tomus Collectionis Lacensis a nobis separatim editus.

Inter illa documenta primo loco commemoranda sunt duo Constitutionum schemata a commissione dogmatica theologorum ante inceptum Concilium parata, e quibus Constitutiones dogmaticae, quae conciliariter sancitae sunt, prodierunt: *Schema Constitutionis dogmaticae de doctrina catholica contra multiplices errores ex rationalismo derivatos*[1] et *Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi*[2]. His multisque annotationibus, quas theologi iis adiecerunt[3], non solum Constitutionibus, quae paene totae ex iis derivantur, affunditur lux, qua sensus rerum iis propositarum illustratur, sed etiam uberrima offeruntur subsidia et dogmatica et historica ad errores et doctrinas, de quibus in Constitutionibus agitur, cognoscendas easque vel probandas vel refutandas. Quum nostrum non tam sit, res Constitutionibus propositas probare quam illustrare, in recipiendis iis, quibus doctrinae iis propositae probantur vel errores iis reiecti refutantur, modum adhibere debuimus. Facere tamen non potuimus, quin aliquoties etiam ea argumenta tanta eruditione tam acriter atque ad rem accommodate congesta reciperemus, quibus magis doctrina Constitutionum probari quam earum sententiae illustrari videbantur.

Alterum documentum, quo usi sumus, est *Protocollum sessionum deputationis de fide*. Quod *protocollum* ipsum in archivo Concilii Vaticani consuluimus. Iam etsi non licuerit nec convenire visum sit, ipsum seu ipsa acta sessionum cum omnibus, quae continent, nominibus in Collectione Lacensi edere, liberalissime tamen nobis permissum est, ut omnia, quae ad Constitutiones explicandas usui esse possent, reciperemus. Qua potestate ita usi sumus, ut nihil plane ex iis omitteremus, quae aliquid lucis Constitutionibus affunderent. Quum autem de eiusdem deputationis sessionibus praeter ipsa earum acta a deputationis secretario scripta etiam diarium unius e deputatis nacti simus, illa hoc supplevimus, ita ut documentum totum inscriberemus: *Quomodo electa sit deputatio pro rebus ad fidem pertinentibus, quaeque in eius sessionibus acta sint: narratio ex ipsarum sessionum actis et ex unius Patrum deputatorum diurnis commentariis desumpta*[4]. Quae inscriptio, quum ad

[1] C. V. 507 d sqq. [2] Ibid. 567 b sqq.
[3] Ibid. 518 d sqq. 578 b sqq. [4] Ibid. 1646 a sqq.

citandum minus apta sit, hoc libro a nobis relicta est, atque eius loco usurpata haec: *Ex actis sessionum deputationis de fide*. Cuius momenti ad Constitutiones dogmaticas explicandas sint acta harum sessionum, non est, cur exponamus, quum supra[1] narraverimus, quae tanta fuerit deputationis dogmaticae pars laboris in Constitutionibus formandis a Concilio collocati.

Cum his actis intimo nexu coniuncta sunt *Schemata Constitutionum*[2], quae primo deputationis de fide, deinde ab hac multum reformata Congregationis generalis examini subiiciebantur, ut diligenter retractata atque emendata ea tandem forma, qua nunc exstant, conciliari definitione sancirentur. Ad ea explicanda multum conferunt *Relationes scriptae Congregationi generali cum schematis traditae*[3], quibus deputati sive rationem exponunt, quam in schemate formando secuti sint, sive de animadversionibus agunt, quibus Patres, quid de schemate sibi antea iam tradito sentirent, scripto significaverant.

Seriem eorum, quae in Congregatione generali de schematis acta sunt, exhibent *Acta Congregationum generalium sacrosancti Concilii Vaticani*[4] ex ipsis Concilii actis collecta. Quaesiverit quispiam in iis orationes Patrum in Congregationibus generalibus habitas. Eas publici iuris facere, ut facile patet, non iam licuit. Neque tamen ad Constitutiones recte explicandas multum deesse censendum est. Orationes enim illae, quum multum ad historiam Concilii illustrandam conferant atque abundanter argumenta offerant, quibus res propositae et eas definiendi necessitas vel comprobentur vel oppugnentur, ad ipsum sensum Constitutionum explicandum vix quidquam continent, quod non iis etiam documentis offertur, quae in Collectione exstant. Neque enim orationes sensum Constitutionis per se explicant iis locis, quibus de necessitate alicuius definitionis sive de doctrinae alicuius veritate vel falsitate agitur, sed iis, quibus *ipsa* schematis propositi *verba* et *sententiae* vel veri vel falsi vel ambigui aliquid continere dicuntur seu rationibus allatis nova aliqua formula iis substituenda offertur. Iam, quae singuli Patres in Congregatione generali in schematis mutari et quae substitui volebant, continentur in nostris documentis. Vidimus enim supra[5], Patres, qui aliquid omittendum vel emendandum esse in Congregatione generali contendebant, id scripto consignatum Praesidibus tradere debuisse, nec quidquam sane, quum reformarentur schemata, respiciebatur, nisi quod scriptum erat traditum. Omnia autem Patrum proposita scripto tradita continentur documentis, quae inscripta sunt *Emendationes* sive *Exceptiones a Patribus in Congregatione generali factae*[6].

[1] P. 1. 3. 4. 6. [2] C. V. 1628 a sqq. 69 a sqq. 215 a sqq. — 1640 b sqq. 269 a sqq. 426 b sqq.
[3] Ibid. 78 a sqq. — 274 a sqq. [4] Ibid. 709 b sqq. [5] P. 4.
[6] C. V. 88 b sqq. 98 a sqq. 120 b sqq. 155 b sqq. 195 c sqq. 219 b sqq. — 301 b sqq. 312 b sqq. 332 d sqq. 372 c sqq. 345 a sqq. 432 a sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De his Patrum propositis primo a Patribus deputatis deliberationes habendas esse vidimus supra[1]; quae deliberationes referuntur in actis sessionum deputationis de fide. Horum narrationes nimis sane breves uberrime supplentur relationibus, quas unus ex Patribus deputatis de emendationibus propositis et deputationis de iis sententia in Congregatione generali habere debebat[2]. Quae quidem *Relationes*[3] praeclarissima sunt ad explicandas Constitutiones subsidia. Agunt enim de omnibus, quae a Patribus propositae sunt, emendationibus ac singulas fere schematum sententias ponderant, dum rationes proponunt, utrum retinendae an aliae a Patribus exhibitae sententiae iis substituendae sint. Habentur autem relationes immediate antequam Patres primo de singulis sententiis, deinde de singulis capitibus, et antequam de integris Constitutionibus sententiam ferant, ut hi, quidquid approbaverint, eo sensu approbasse dicendi sint, quo a deputationis relatore explicabatur.

Ad haec, de quibus egimus, documenta, quibus in omnibus utriusque Constitutionis partibus explicandis continenter utemur, accedunt alia, quae ad singulares quasdam partes explicandas usui erunt, ut diarium, quod unus ex Patribus pro rebus fidei deputatis de historia quarti capitis Constitutionis de Ecclesia scripsit[4], multaque schemata partium Constitutionum, quae vel in Congregationibus generalibus vel in sessionibus deputationis vel in privatis Patrum conventibus proposita et discussa sunt. Haec suis locis citabimus.

Ita autem documenta citabimus, ut allatis primis verbis inscriptionum indicemus saltem, cuius generis sit documentum, de quo agatur; deinde accurate locum *septimi tomi Collectionis Lacensis*[5] vel *Actorum et decretorum Concilii Vaticani*[6] addemus, ubi pars documenti, de qua sermo est, exstet. Septimum autem tomum Collectionis Lacensis vel Acta Concilii Vaticani solis literis C. V. designabimus. Numeri additi libri indicant columnas.

---

[1] P. 3. 4. Nota 1. p. 6. [2] Ibid.

[3] C. V. 91b sqq. 101d sqq. 127a sqq. 165c sqq. 200c sqq. 232c sqq. — 304b sqq. 315c sqq. 346c sqq. 388b sqq. 364b sqq. 460a sqq.

[4] C. V. 1695d sqq.

[5] Integer libri titulus est: Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis. Auctoribus Presbyteris S. I. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad locum. Friburgi Brisgoviae. 1869—1890.

[6] Acta et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani. Cum permultis aliis documentis ad Concilium eiusque historiam spectantibus. Auctoribus Presbyteris S. I. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad lacum. Friburgi Brisgoviae. 1892.

PARS PRIOR.

CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE FIDE EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

Historia originis Constitutionis de fide et conciliaris eius comprobationis.

QUAE Constitutione dogmatica de fide continentur, fere omnia proxime desumpta sunt ex schemate, quod ante Concilium a dogmatica theologorum commissione paratum inscribebatur „Schema Constitutionis dogmaticae de doctrina catholica contra multiplices errores ex rationalismo derivatos“[1]. Id quum ad Constitutionem de fide recte explicandam summi momenti sit, saepe commemorabimus et breviter dicemus *Schema de doctrina catholica.*

Quod schema complectitur, ut animadvertunt[2] theologi, a quibus scriptum est, „tres partes praecipuas. In *prima* parte (cap. 1. 2) est per modum detestationis condemnatio *rationalismi absoluti* sub triplici eius forma *materialismi, pantheismi* et rationalismi pressius dicti, seu, ut aiunt, *rationalismi vulgaris.* In *secunda* et *tertia* parte agitur de *semirationalismo* seu de rationalismo temperatiori, qui derivatione quadam a primo illo pleno naturalismo propagatus, ad homines etiam, qui christiano nomine gloriantur, pervasit et ad varia systemata redactus hinc inde in scholas quasdam coaluit“.

„In *secunda* parte itaque (cap. 3—11) exponitur doctrina catholica contra temperatum rationalismum spectando illum secundum sua *principia formalia;* agitur nimirum de cognitione christiana per fidem divinam in comparatione cum scientia rationali et naturali atque inde

---

[1] V. ipsum schema C. V. 507a sqq., adnotationes a theologis ei adiectas ibid. 518c sqq. — Singulis Constitutionis de fide partibus adnotabimus, ex quibus schematis de doctrina catholica capitibus desumptae sint.

[2] Schema de doctrina catholica. C. V. 518d sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De his Patrum propositis primo a Patribus deputatis deliberationes habendas esse vidimus supra[1]; quae deliberationes referuntur in actis sessionum deputationis de fide. Horum narrationes nimis sane breves uberrime supplentur relationibus, quas unus ex Patribus deputatis de emendationibus propositis et deputationis de iis sententia in Congregatione generali habere debebat[2]. Quae quidem *Relationes*[3] praeclarissima sunt ad explicandas Constitutiones subsidia. Agunt enim de omnibus, quae a Patribus propositae sunt, emendationibus ac singulas fere schematum sententias ponderant, dum rationes proponunt, utrum retinendae an aliae a Patribus exhibitae sententiae iis substituendae sint. Habentur autem relationes immediate antequam Patres primo de singulis sententiis, deinde de singulis capitibus, et antequam de integris Constitutionibus sententiam ferant, ut hi, quidquid approbaverint, eo sensu approbasse dicendi sint, quo a deputationis relatore explicabatur.

Ad haec, de quibus egimus, documenta, quibus in omnibus utriusque Constitutionis partibus explicandis continenter utemur, accedunt alia, quae ad singulares quasdam partes explicandas usui erunt, ut diarium, quod unus ex Patribus pro rebus fidei deputatis de historia quarti capitis Constitutionis de Ecclesia scripsit[4], multaque schemata partium Constitutionum, quae vel in Congregationibus generalibus vel in sessionibus deputationis vel in privatis Patrum conventibus proposita et discussa sunt. Haec suis locis citabimus.

Ita autem documenta citabimus, ut allatis primis verbis inscriptionum indicemus saltem, cuius generis sit documentum, de quo agatur; deinde accurate locum *septimi tomi Collectionis Lacensis*[5] vel *Actorum et decretorum Concilii Vaticani*[6] addemus, ubi pars documenti, de qua sermo est, exstet. Septimum autem tomum Collectionis Lacensis vel Acta Concilii Vaticani solis literis C. V. designabimus. Numeri additi libri indicant columnas.

---

[1] P. 3. 4. Nota 1. p. 6. [2] Ibid.

[3] C. V. 91b sqq. 101d sqq. 127a sqq. 165c sqq. 200c sqq. 232c sqq. — 304b sqq. 315c sqq. 346c sqq. 388b sqq. 364b sqq. 460a sqq.

[4] C. V. 1695d sqq.

[5] Integer libri titulus est: Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis. Auctoribus Presbyteris S. I. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad locum. Friburgi Brisgoviae. 1869—1890.

[6] Acta et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani. Cum permultis aliis documentis ad Concilium eiusque historiam spectantibus. Auctoribus Presbyteris S. I. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad lacum. Friburgi Brisgoviae. 1892.

PARS PRIOR.

CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE FIDE EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

Historia originis Constitutionis de fide et conciliaris eius comprobationis.

QUAE Constitutione dogmatica de fide continentur, fere omnia proxime desumpta sunt ex schemate, quod ante Concilium a dogmatica theologorum commissione paratum inscribebatur „Schema Constitutionis dogmaticae de doctrina catholica contra multiplices errores ex rationalismo derivatos“[1]. Id quum ad Constitutionem de fide recte explicandam summi momenti sit, saepe commemorabimus et breviter dicemus *Schema de doctrina catholica.*

Quod schema complectitur, ut animadvertunt[2] theologi, a quibus scriptum est, „tres partes praecipuas. In *prima* parte (cap. 1. 2) est per modum detestationis condemnatio *rationalismi absoluti* sub triplici eius forma *materialismi, pantheismi* et rationalismi pressius dicti, seu, ut aiunt, *rationalismi vulgaris.* In *secunda* et *tertia* parte agitur de *semirationalismo* seu de rationalismo temperatiori, qui derivatione quadam a primo illo pleno naturalismo propagatus, ad homines etiam, qui christiano nomine gloriantur, pervasit et ad varia systemata redactus hinc inde in scholas quasdam coaluit“.

„In *secunda* parte itaque (cap. 3—11) exponitur doctrina catholica contra temperatum rationalismum spectando illum secundum sua *principia formalia;* agitur nimirum de cognitione christiana per fidem divinam in comparatione cum scientia rationali et naturali atque inde

---

[1] V. ipsum schema C. V. 507a sqq., adnotationes a theologis ei adiectas ibid. 518c sqq. — Singulis Constitutionis de fide partibus adnotabimus, ex quibus schematis de doctrina catholica capitibus desumptae sint.

[2] Schema de doctrina catholica. C. V. 518d sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de relatione inter revelationem divinam et rationem humanam, inter fidem et scientiam.“ [1] „Potest vero haec pars secunda distingui iterum in tria membra. In *primo membro* agitur tribus articulis *de revelatione* supernaturali; doctrina nimirum catholica de revelationis *fontibus*, eiusdem *necessitate* et *obiecto superrationali* exponitur non universim quidem, sed quatenus errores nostrae aetatis id postulare videbantur. In *secundo membro* quatuor articulis tractatur *de fide divina*, quae revelationi respondet; post doctrinam scilicet de fide, *quae creditur*, sequitur declaratio haec altera *de fide, qua creditur*. Errores nostris temporibus circumferuntur potissimum in doctrina *de distinctione divinae fidei a scientia humana; de necessitate motivorum credibilitatis; de virtute fidei in se spectatae*, quatenus supernaturalis est; postremo *de necessitate ac supernaturali firmitate fidei et de obligatione in ea suscepta*. De his igitur hic tractandum est. *Membrum tertium* pariter in oppositione adversus recentes errores habet duos articulos: *de relatione inter fidem divinam et scientiam humanam; tum de incommutabili veritate definitionum doctrinae catholicae prae quovis scientiarum profectu*.“ [2]

„In *tertia* parte (cap. 12—18) continetur doctrina contra errores speciales, qui ad perversionem quorundam dogmatum christianorum per methodum semirationalismi et ex ipsis eius principiis formalibus deducti sunt, tum circa sensum genuinum aliarum veritatum fidei, tum maxime circa naturam et gratiam, seu circa ordinem naturalem et supernaturalem.“ [3] „Huiusmodi errores disseminati sunt in doctrina 1. de Deo; 2. de Verbo incarnato; 3. de homine secundum naturam spectato; 4. de supernaturali elevatione hominis.“ [4]

Quae schemate de doctrina catholica contineantur, clarius fortasse exhibemus, si singulorum octodecim capitum, ex quibus constat, inscriptiones referimus. Hae sunt: 1. Condemnatio materialismi et pantheismi. 2. Condemnatio rationalismi. 3. De divinae revelationis fontibus in S. Scriptura et Traditione. 4. De supernaturalis revelationis necessitate. 5. De mysteriis fidei in divina revelatione propositis. 6. De fidei divinae distinctione a scientia humana. 7. De necessitate motivorum credibilitatis. 8. De supernaturali virtute fidei et de libertate voluntatis in fidei assensu. 9. De necessitate et supernaturali firmitate fidei. 10. De recto ordine inter scientiam humanam et fidem divinam. 11. De incommutabili veritate illius dogmatum sensus, quem tenuit et tenet Ecclesia. 12. De unitate divinae naturae seu essentiae in tribus distinctis personis. 13. De divina operatione tribus personis communi et Dei libertate in creando. 14. De Iesu Christi una divina persona in duabus naturis; atque de redemptione et vicaria pro nobis satisfactione per eundem Iesum Christum Dominum Nostrum. 15. De

[1] Schema de doctrina catholica. C. V. 519a. [2] Ibid. C. V. 521d.
[3] Ibid. C. V. 519b. [4] Ibid. C. V. 538d.

communi totius humani generis origine ab uno Adam; et de natura humana una composita ex anima rationali et ex corpore. 16. De ordine supernaturali et de supernaturali statu originalis iustitiae. 17. De peccato originali; et de poena aeterna destinata cuilibet mortali peccato. 18. De supernaturali ordine gratiae, quae nobis per Christum Redemptorem donatur.

Hoc schema cum theologorum adnotationibus inter Patres d. 10. Decembris in prima Congregatione generali distributum est [1], atque in quarta Congregatione d. 28. Decembris incepit eius discussio [2]. Postquam in hac et sequentibus quinque Congregationibus de eo disceptatum est — orationes de eo habebant Patres triginta quinque —, d. 10. Ianuarii 1870 schema cum obiectis difficultatibus deputationi de fide examinandum atque reformandum traditum est [3]. Vix non omnes Patres Congregationis generalis in eo convenerant, schema quoad substantiam, i. e. quoad doctrinam in eo contentam et quoad errores, qui in eo condemnabantur, retinendum esse [4]. Formam multi mutandam esse censebant.

Antequam Congregationis generalis de schemate disceptationes finitae erant, deputatio de fide d. 7. Ianuarii in prima, quam habuit, sessione, quum iam pateret, quod Patrum futurum esset de schemate iudicium, de eo deliberationem habuit. Deputati uno consensu censebant, schematis substantiam retinendam esse, quum in eo doctrina catholica vere ac genuine esset exposita, et errores, qui in eo damnarentur, non solum per Germaniam, sed etiam per alias regiones grassarentur. Quae contra illud allata essent, non ita magni esse momenti. In eo etiam omnes consentiebant, quaedam adiicienda, quaedam omittenda esse. Ea putabant omitti debere, quibus liberae scholarum opiniones laederentur. Unus vel duo censebant, etiam ea esse omittenda, quae a prioribus Conciliis iam definita et reiecta essent, contra quos animadvertebatur, errores iterum excitatos iterum damnandos esse ita, ut prioris condemnationis fieret mentio. Censebat unus, a condemnandis erroribus abstinendum et solum doctrinam christianam exponendam esse, quum id pro christianis sufficeret, ab iis autem, qui christiani esse nollent, anathemata non curarentur. Ne antiquam quidem Ecclesiam exterorum errores condemnasse. Verum id non placuit: esse, quibus multum prosint anathemata. Inter hos referri praesertim magistros, qui errorum condemnatione eos clarius cognoscant atque moveantur, ut et ipsi eos fugiant et ab iis tradendis abstineant. Errores latius esse diffusos, quam ut eorum damnatio omitti possit. Etiam Apostolos et postea Patres errores etiam gentilium, iudaeorum, moha-

[1] Acta Congregationum gener. C. V. 711a. [2] Ibid. C. V. 714b.
[3] Ibid. C. V. 717d.
[4] Cf. relationem Rmi Simor, Archiepiscopi Strigoniensis. C. V. 82a.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria Alfonso Reyes

medanorum impugnasse atque Ecclesiam eos, imprimis, quando commiscebantur cum doctrina christiana, in Conciliis saltem particularibus condemnasse [1].

[1] Ex actis sessionum deputationis. C. V. 1647 a. b. — Novo schemati deputatio canones adiecit. Quum in eius discussione unus ex Patribus in Congregatione generali postulasset, ut quatuor canones capitis primi (Emendationes primi capitis. Emend. 28. C. V. 100 c) tollerentur, Patres deputationis, duobus quidem contradicentibus, canones retinere constituerunt (Ex actis etc. C. V. 1671 d); rationes Rmus Gasser in relatione de emendationibus habita ita exponit: „Deputatio de fide non negat, quod hodiedum multi offendantur eiusmodi anathematismis; sed si inquiratur causa, cur offendantur, ea non quidem semper, sed vel maxime haec est, quod scilicet pervulgata est ista opinio inter homines, qui censentur cultura pollentes: in rebus religionis nihil certo teneri, sed solummodo existere opiniones plus minusve probabiles; hinc vel maxime offenduntur in eo, quod Ecclesia quasdam veritates proponit et quidem sub anathemate proponit contra eos scilicet, qui contrarium tenent errorem, dicens: apud Ecclesiam esse depositum divinum veritatum divinarum, et ab Ecclesia eas veritates proponi auctoritate divina seu infallibili: inde vel maxime offenduntur. Et certe, Rmi Patres, huic perniciosissimo iudicio nullo modo nos possumus aliquid deferre *(Patres aliquot consensum manifestant)*, sed potius totis viribus obluctari. Haec est ergo ratio cur generatim deputatio de fide censuerit, canones esse apponendos.

„Sed dicunt aliqui, et obiiciunt: Eiusmodi anathematismis feriuntur etiam homines de Ecclesia bene, imo optime meriti, et etiam qui se humiliter decretis sanctae Sedis subiecerunt; et proinde inuritur eiusmodi hominibus quaedam nota iniuriae, quae iusta non est. Sed, Rmi Patres, nego, et pernego quod contra tales homines et viros anathematismi ferantur. Omnes enim anathematismi feruntur solummodo contra eos, qui contumaciter Ecclesiae contradicunt et contumaciter errorem ab Ecclesia reiectum defendunt.

„Quod vero hoc caput primum attinet, certe non parvi momenti rationes militant pro omittendis canonibus. Sed nihilominus deputatio de fide saltem pro maiori sua parte credidit, etiam in hoc capite non esse recedendum, sed canones esse apponendos. Et quidem inducta fuit maior illa pars deputationis de fide praecipue ea ex causa, quia eiusmodi errores aluntur et defenduntur non solummodo a baptizatis, qui proinde vi baptismatis sunt membra Ecclesiae; sed etiam non raro eiusmodi errores tenentur et defenduntur ab eiusmodi hominibus etiam sub specie veritatis: nam non pauci sunt et praecipue erant penes nos in Germania, qui crediderunt systemata philosophorum quamvis pantheisticorum posse omnino componi cum veritate catholica. Ergo ut Ecclesia tanto malo obviam veniat, deputatio de fide credidit, canones etiam in hoc capite esse condendos.“ (Relatio Vincentii Gasser etc. C. V. 112 d sq.) Aliqui tamen, quum de toto schemate ferrentur suffragia, canones tolli vel eorum numerum minui volebant. (Emendationes ad Constit. de fide catholica. Emend. 74 sqq. Cf. etiam infra ultimam adnotationem ad prooemium.)

Quemadmodum deputati in eo consentiebant, quod schema secundum substantiam retinendum esset, ita etiam uno consensu formam schematis mutandam esse dicebant. Volebant omnes, expositionem catholicae doctrinae in singulis capitibus damnationi errorum praemitti. Perspicuitati et brevitati, quantum fieri possit, consulendum esse censent atque curandum, ut dicendi ratio tranquilla sit, ut, quod scholam sapiat, eliminetur, ut verba aspera vitentur atque argumenta brevius proponantur [1].

Voluerunt, theologum, qui ultimam manum schemati admovit, P. Franzelin S. I., de eo proxima sessione disserere, atque tres deputationis Patres a Cardinali Praeside eligi, quibus opus reformandi schematis mandaretur [2].

Altera deputationis sessione, quum ei schema iam esset traditum, decretum est, ut synopsis orationum, quae de eo in Congregationibus generalibus habitae essent, a theologis conficeretur. Deinde Ioannes Franzelin S. I. coram Patribus de schemate disseruit atque exposuit, quis eius esset finis, rerum ordo, stilus [3]. Ad reformandum schema a Praeside electi sunt Victor Dechamps, Archiep. Mechliniensis, Lud. Pie, Episc. Pictaviensis, Conradus Martin, Episc. Paderbornensis. Huic ab illis duobus opus perficiendum committitur [4].

Rmus Martin, ab uno ex theologis adiutus, duos fere menses in schema reformandum atque ad Patrum vota accommodandum impendit. Reformati tandem schematis, quod novem capitibus ac respondentibus canonibus totam materiam prioris schematis complectebatur, priorem partem in sessione tertia deputationis d. 1. Martii Patribus exhibuit [5].

Haec schematis pars, quae exordio et quatuor capitibus cum undetriginta canonibus constat, eam materiam complectitur, quae undecim primis capitibus prioris schematis de doctrina catholica continebatur. Ea agitur 1. de Deo et mundi creatione, 2. de revelatione, 3. de fide, 4. de fide et scientia [6]. Alterius partis schematis reformati, quae non iam deputationi proponebatur, quinque capitibus et duodetriginta canonibus de singulis illis mysteriis agebatur, quae septem ultimis capitibus prioris schematis de doctrina catholica continebantur [7].

In tertia sessione Episcopus Paderbornensis, quum deputatis priorem partem exhibuisset, explicavit, quae principia in schemate reformando secutus esset. Dixit, se id semper spectasse, ut votis in Congregatione generali propositis satisfaceret. Substantiam schematis servatam et

[1] Ex actis etc. C. V. 1647 c. [2] Ibid.
[3] Eius disquisitionem v. C. V. 1611 a sqq.
[4] Ex actis sessionum deputationis. C. V. 1647 d. — Errat D. Zobl, quum dicit (Vincenz Gasser, Fürstbischof von Brixen, p. 458 sqq.), Episcopum Brixinensem inter tres Patres fuisse, qui ad schema reformandum fuerint electi. [5] Ibid. [6] V. hanc partem C. V. 1628 a sqq.
[7] V. hanc partem C. V. 1632 d sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quantum fieri potuisset, ipsa verba retenta esse; hinc inde, quod in priori schemate in notis adiectum seu implicite dictum esset, in textum receptum et explicite enuntiatum esse. Formam schematis esse mutatam. Quae aliquos offendissent, omissa, capita doctrinae numero pauciora, in singulis rebus initium semper factum esse ab expositione doctrinae; condemnationem errorum in canones translatam, brevitati consultum, stilum simpliciorem, clariorem, puriorem adhibitum esse [1].

Deinde discussione incepta in eadem sessione de prooemio deliberatum est atque in singulas fere lineas sive voce sive scripto propositae sunt emendationes [2]. De his sequenti die in quarta sessione Episcopus Paderbornensis relationem habuit, earumque pars recepta est. Constituerunt Patres, ut in futuris sessionibus omnes emendationes verbis succinctis conceptae scripto exhiberentur [3].

Caput primum cum canonibus a Patribus deputatis examinatum est in quinta sessione [4], et quum in sessione sexta Paderbornensis caput et canones secundum Patrum vota emendata proponeret, prior capitis pars omnium, altera omnium, duobus exceptis, suffragiis probata est. Canones omnibus placuerunt; constitutum tamen est, ne canones quartus, quintus, sextus proponerentur, nisi id a Congregatione generali postularetur [5].

In priore iam sessione de capite secundo actum erat; in sessione sexta agebatur de eius canonibus [6]. Quod caput cum canonibus reformatum, in sessione septima a Paderbornensi propositum, paucis locis mutatum fere omnibus placuit. Alteram paragraphum (de credendi officio) omnes unanimi consensu in caput tertium (de fide) transferendam esse censuerunt [7].

De capite tertio et canonibus eo spectantibus disceptatio habebatur in sessione sexta et septima, cumque emendatum in sessione octava proponeretur, in paucis mutatum receptum est. Postea tamen in sessione nona proponebatur et recipiebatur emendatio de officio etiam ea credendi, quae ab ordinario magisterio et universali praedicatione Ecclesiae tamquam revelata proponuntur; novus autem canon, qui proponebatur, hoc loco non videbatur recipiendus [8].

Discutiebantur caput quartum in sessione octava et eius canones in nona. Quum reformata in decima sessione proponerentur, pleraque

[1] Ex actis deputationis etc. C. V. 1648 a.
[2] Ibid. C. V. 1648 b sqq., ubi propositae emendationes referuntur.
[3] Ex actis deputationis etc. C. V. 1649 d sqq.
[4] Ibid. C. V. 1651 a sqq. [5] Ibid. C. V. 1653 d. Relatio etc. C. V. 86 c.
[6] Ex actis etc. C. V. 1652 c sqq. 1653 d sqq.
[7] Ibid. C. V. 1655 b. De paragrapho translata cf. schema deputationi propositum (C. V. 1629 c) cum schemate Congregationi generali proposito (ibid. 72 d).
[8] Ex actis etc. C. V. 1658 a. Cf. Schema etc. C. V. 73 c.

paucis in locis mutata omnium suffragia tulerunt. Cetera probabantur omnibus, duobus vel tribus exceptis [1].

In eadem sessione decreverunt Patres, ut prooemium et quatuor capita, quae examinata iam erant et approbata, propria fierent Constitutio, quae typis descripta Congregationi proponeretur [2]. Cui Constitutioni deputatio addidit conclusionem, quam prius Episcopus Paderbornensis toti reformato schemati *(novem* capitibus constanti) adiecerat [3].

Altera prioris schematis de doctrina catholica pars etiam tamquam propriae Constitutionis schema a Rmo Episcopo Martin deputationi proponitur atque eius examini subiicitur. Quinque eius capitibus et canonibus respondentibus agitur de nonnullis mysteriis fidei: 1. de SS. Trinitate, 2. de hominis creatione et natura, 3. de hominis elevatione et lapsu, 4. de mysterio Verbi incarnati, 5. de gratia Redemptoris [4]. Nomen obtinuit Constitutionis dogmaticae de praecipuis mysteriis fidei. Quae Constitutio conciliariter non est sancita, imo ne proposita quidem Congregationi generali, quare eius historiam non persequimur [5].

Itaque prior schematis de doctrina catholica pars, seu schema Constitutionis dogmaticae de fide catholica, quale ex deputationis disceptationibus prodiit, inter omnes Patres distribuebatur d. 14. Martii, eique addebatur etiam typis impressa „Ratio in priori schemate dogmatico emendando a Patribus deputatis servata“ [6]. Quum disceptatio de schemate in Congregatione generali inciperet, Rmus Simor nomine deputationis de eo relationem habuit [7]. Quae illa ratione Patribus tradita et relatione ab Archiepiscopo Strigoniensi habita de singulis schematis partibus continentur, ea infra referemus, ubi ipsas singulas Constitutionis partes explicamus; quae de schemate universo illis continentur, ad schema illustrandum hoc loco breviter addimus.

Id imprimis deputatio spectasse dicitur, ut postulatis atque votis, quae Patres sive voce in Congregationibus sive scripto proposuerant, quantum fieri posset, omnino religiose morem gereret. Propterea deputationem res, de quibus prius schema egisset, retinuisse, formam

[1] Ex actis etc. C. V. 1658 d. [2] Ibid.
[3] Schematis pars altera. C. V. 1638 b. Cf. Schema Constitutionis dogmaticae de fide C. V. 77 d. Episcopi Gasser de emendationibus secundi capitis relatio C. V. 131 b. c.
[4] Cf. Relatio etc. C. V. 209 d sq.
[5] Quae in sessionibus deputationis de hac altera parte seu constitutione disputata sunt, v. Ex actis etc. C. V. 1658 d sqq. Schema a Paderbornensi propositum v. C. V. 1632 d sqq. Schema iam aliquibus in locis emendatum cum notis theologorum v. C. V. 553 a sqq.
[6] Acta Congregationum generalium. C. V. 729 d. Schema traditum v. C. V. 69 a sqq. Ratio etc. C. V. 78 a sqq.
[7] Acta etc. C. V. 730 d. Relatio habetur C. V. 80 d sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mutasse[1]. Tractari igitur, quemadmodum a Patribus postulatum esset, primo loco doctrinam, deinde reiici errores, qui doctrinae adversarentur[2]. Hac de causa in ipsa Constitutionis inscriptione vocabula „contra multiplices errores ex rationalismo derivatos“[3] suppressa esse. Porro ut eius capita interno aliquo nexu coniungi facilius possent, pro „doctrina catholica“ scriptum esse „fide catholica“. „Quae enim in primis capitibus de Deo rerum omnium creatore et de revelatione proponuntur, pertinent ad ea, quorum cognitio fidem antecedit, sive ad praeambula fidei; deinde agitur de fide ipsa eiusque ad rationem respectu; postremo de praecipuis quibusdam fidei dogmatibus et maxime de mysteriis, sc. de SS. Trinitate, de hominis origine et natura, elevatione et lapsu, de Verbo incarnato et de gratia Redemptoris.“[4] Visum autem esse „materiam hanc amplam in duas Constitutiones dividere, quarum prior, quae nunc proponitur, de fide catholica generatim, altera de nonnullis fidei catholicae obiectis singillatim ageret“[5].

Deputatos, aliorum Conciliorum exemplum ob oculos habentes, capitibus addidisse canones, ut tanto facilius, quid doctrinae catholicae adversaretur, cognosceretur, atque errores studiosius et sanctius a fidelibus evitarentur[6]. Tandem eos stilum emendare studuisse[7]. „Postulatum fuit,“ ait Archiepiscopus Strigoniensis in relatione[8], „ut modus dicendi in primo schemate quem habuimus immutetur, ut stilus aliter reformetur, nempe repurgetur a pulveribus scholasticis, ut Ecclesia in hocce Vaticano Concilio non loquatur in tono disceptantis cum suis discipulis magistri, sed loquatur cum maiestate et loquatur in tono miserentis super erroribus filiorum suorum matris. Essentialis forma omnis conciliaris Constitutionis in primis est, ut doctrina catholica sub sua etiam speciali catholica ratione vere, genuine et sincere proponatur: atque deputatio eam habet firmissimam convictionem, quod hac parte vestro desiderio vestroque postulato satisfecit. Quod attinet autem ad stilum ipsum, nec deputatio credit stilum hunc mutari non posse, nec

[1] Ratio etc. C. V. 78 b. Relatio etc. C. V. 81 d sq.

[2] Ibid. C. V. 78 c. 82 c sqq. Cur theologi in schemate de doctrina catholica alium ordinem servarint, exponit Franzelin, Disquisitio etc. C. V. 1616 c sqq. [3] Cf. supra p. 11. [4] Ratio etc. C. V. 78 c sq.

[5] Ibid. — Inscriptio optime ex ratione antea allata quadrat in priorem Constitutionem; non item in alteram, qua non de ipso actu vel virtute fidei, sed de aliquibus eius obiectis tractatur; de obiectis enim fidei in omnibus conciliaribus definitionibus agi solet. Postea, ut iam notavimus, alia inscriptio alteri Constitutioni praefixa est.

[6] Ratio etc. C. V. 78 d sq. Relatio etc. C. V. 84 d sqq. Cf. supra p. 13 sq.

[7] Ratio etc. C. V. 79 a.

[8] C. V. 85 b. c. Quid Franzelin de stilo prioris schematis de doctrina catholica disserat, v. in eius Disquisitione. C. V. 1626 b sqq.

deputatio illius est mentis, quod stilus hic repurgari adhuc et longe melior reddi non possit, quam vere hicce occurrit. Praecipua res est, Rmi Patres, ut inquirere, ut diligenter discutere velitis, an doctrina, quae in hisce quatuor capitibus continetur, sit vera, genuina, sincera Ecclesiae catholicae doctrina. Posteaquam in hanc veritatem inquisivistis, caetera omnia sunt accidentalia, caetera omnia sunt exigui negotii. Erit facile, ea, quae vobis visa fuerint, in hocce schemate adhuc modificare atque reformare. Super hac re contendite, ut conveniatis, utrum doctrina, quam hic in isto schemate deputatio proponit, utrum illa doctrina sit vere catholica.“

Relatione habita, quum iam discussio generalis de toto schemate inchoanda esset, primus Praeses Patres, qui de eo dicturi essent, monuit, ut „se cohibeant intra eos limites, qui per discussionem generalem ex rei natura oratoribus praefiguntur, ne evagentur ad particularia sive in prooemio sive in singulis capitibus aut canonibus contenta, de quibus postea locus erit disserendi, quum successive de prooemio seorsim ac pariter seorsim de capite primo, seorsim de capite secundo et sic deinceps tractabitur“[1]. Deinde discussio generalis incepta et sequenti Congregatione d. 22. Martii finita est.

In eadem tricesima prima Congregatione incepta est discussio prooemii, quae in antecedenti Congregatione indicta erat. Quatuor Patres de prooemio disseruerunt[2]. Sequenti die, antequam discussio inchoata est, primus Praeses in memoriam revocat, quod paragrapho VII. decreti 20. Februarii praescriptum est, „ut in singularum partium discussione semper ab oratoribus proponatur formula expensi schematis periodo vel paragrapho substituenda ac Praesidibus post habitum sermonem exhibenda“. Id, addit Praeses, non ab omnibus die antecedenti servatum, sed omnino servandum esse. Postquam septem oratores de prooemio disseruerunt, discussio specialis finita est. Emendationes propositae typis impressae inter Patres d. 24. Martii distribuebantur[3].

Die sequenti in decima sexta sessione deputationis de fide agebatur de Patrum emendationibus[4], et in Congregatione generali d. 26. Martii nomine deputationis de iisdem relationem habuit Archiepiscopus Simor[5]. „Ipsae enuntiationes“, inquit, „ostendunt, plurimas illarum, maiorem nempe partem, ad stilum referri, minorem ad accidentalia

[1] Acta Congreg. gener. C. V. 730 d sq.

[2] Episc. Strossmayer unus est ex quatuor illis Patribus; partem orationis eius affert *Acton* (Zur Geschichte des Vaticanischen Conciles, München 1871, p. 87 sqq.).

[3] Acta etc. C. V. 732 c sq. 733 b. Emendationes habes C. V. 88 b sqq.

[4] Ex actis etc. C. V. 1670 a.

[5] Acta etc. C. V. 734 a. Relationem habes C. V. 91 b sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quaedam, et aliquas tantum minimas observationes tales esse, quae ipsum prooemium in sua substantia, ut ita dicam, afficiunt. . . Illarum omnium enuntiationum, quae hic factae fuerunt, is qui fieri tantum poterit usus, certe fiet per deputationem in revisione huius prooemii. Quod cum, Rmi Patres, super prooemio hic proloquentes sciant, atque pro certo teneant, octo illorum declarare non dubitaverunt, se priores acquiescere, atque nolle, ut super suis hic factis enuntiationibus, quarum maxima pars, prouti dixi, stilum, locutionis modum concernunt, vestra suffragia requirantur. Si de capitibus fidei, vel vero etiam de obiecto ipsius disciplinae ageretur, certissime haec ipsorum declaratio ex parte deputationis vix acceptata fuisset: super capitibus enim fidei, quemadmodum etiam super capitibus disciplinae, quoad singulas observationes, quoad singulas animadversiones semper vestra suffragia hac in aula rogabuntur." [1] Deinde Rmus Archiepiscopus exposuit, cur deputatio alias emendationes, quae retractatae non essent, recipiendas non esse censeret [2].

Relatione facta de singulis emendationibus suffragia ferenda erant. Lecta ea decreti pontificii paragrapho, qua modus ferendi suffragia praescribitur, eam explicaturus Subsecretarius addidit: „Meminerint itaque Rmi Patres, quod de quavis emendatione actus suffragia ferendi fiet distinctis seu duabus vicibus, ita, ut actus surgendi exprimat tam assensum quam dissensum; nempe qui prima vice surgunt, approbant emendationem propositam, de qua tunc agitur, sedentes vero eandem reiiciunt; dum autem secunda vice de eadem propositione Patres interrogantur, tunc ii, qui surgunt, emendationem propositam reiiciunt, sedentes autem eam approbant." Cum autem haec legerentur, Rmus Whelan, Ep. Wheelingensis, cuius erant emendationes, de quibus suffragia fierent, proposita retractavit ac Praesides rogavit, ut suffragia non exquirerentur [3].

Itaque deputatio prooemium Patrum emendationum ratione habita reformavit [4], reformatumque inter Patres distribuendum Praesidibus exhibuit. Distribuitur in tricesima quinta Congregatione generali d. 28. Martii [5] atque in sequenti Congregatione Patrum suffragiis subiectum ab omnibus approbatur [6]. Quoad stilum denuo emendatum praelegitur in vigesima secunda sessione deputationis [7], atque cum capitibus proponitur in quadragesima quinta Congregatione generali die 12. Aprilis [8], quum speciali de singulis Constitutionis partibus discussione finita suffragia iam de tota Constitutione ferenda essent.

[1] Relatio etc. C. V. 93a sqq. [2] Ibid. C. V. 93c sqq.
[3] Ibid. C. V. 95b sqq. Acta etc. C. V. 734a. [4] Ex actis etc. C. V. 1671b.
[5] Acta etc. C. V. 734d. Textum prooemii distributi habes ibid. 96a sqq.
[6] Acta etc. C. V. 735b. [7] Ex actis etc. C. V. 1674a.
[8] Acta etc. C. V. 739a.

Discussio specialis primi capitis eiusque canonum in Congregationibus tricesima altera et tertia diebus 23. et 24. Martii locum habuit [1]. Emendationes propositae [2], die 26. Martii inter Patres distributae [3], in deputationis sessione 27. Martii examinabantur [4] et in Congregatione generali tricesima sexta, referente de iis Vincentio Gasser, Brixinensi Episcopo [5], suffragiis Patrum subiiciebantur [6].

De primis capitis verbis „Sancta Romana catholica Ecclesia" dissensus Patrum exstitit, ita ut suffragia ad sequentem diem differenda essent [7], quo die Brixinensis speciali de iis relatione habita [8] Patribus persuasit, ut verba retinerent [9]. Quod quidem consilium postea mutatum est, ut infra in speciali commentatione [10] accuratius referemus.

Capiti adiecta est, ut unus ex Patribus proposuit, paragraphus tertia de Dei providentia et omniscientia [11]. Canon, quo de diversis pantheismi speciebus agitur, qui a deputatione in annotatione schemati adiecta Patribus proponebatur [12], tamquam quartus schemati insertus est [13].

Itaque caput primum cum canonibus secundum Patrum poposita reformatum [14] distribuebatur d. 31. Martii [15] et in Congregatione generali tricesima nona omnium fere Patrum suffragia tulit. Octo tantum Patres dissentiebant [16]. Quoad stilum a deputatione reformatum [17] proponendum iam erat cum ceteris Constitutionis partibus in quadragesima quinta Congregatione generali [18].

Alterius capitis et canonum ei additorum discussio specialis in Congregatione generali tricesima tertia d. 24. Martii incepit. Pergitur in sequenti et finitur discussio in Congregatione tricesima quinta [19]. Quae in ea propositae sunt emendationes [20], in Congregatione duodequadragesima inter Patres distribuuntur [21]. De iis agitur in tribus sessionibus deputationis [22]. Quid deputationi de singulis visum sit, in Congregatione generali quadragesima et quadragesima prima ex-

[1] Acta etc. C. V. 733a sq. [2] Emendationes etc. C. V. 98a sqq.
[3] Acta etc. C. V. 734c. [4] Ex actis etc. C. V. 1671c. d.
[5] Relatio etc. C. V. 101d sqq.
[6] Ibid. C. V. 108a sqq. 112b. c. 117b. c. Acta etc. C. V. 735c.
[7] Relatio etc. C. V. 108d. [8] Ibid. C. V. 117d sqq.
[9] Ibid. C. V. 118d. [10] Cap. II. Commentatio prima.
[11] Emend. etc. C. V. 98d sq. Ex actis etc. C. V. 1671c. Relatio etc. C. V. 105a. b. 109a. V. infra annotationem ad locum.
[12] Schema etc. C. V. 76d. Cf. Ex actis etc. C. V. 1653d.
[13] Emend. etc. C. V. 101a. Relatio etc. C. V. 115a sqq. 117e.
[14] C. V. 119a sqq. Cf. Ex actis etc. C. V. 1672a.
[15] Acta etc. C. V. 736b. [16] Ibid. 736c.
[17] C. V. 216d sqq. Cf. Ex actis etc. C. V. 1675b.
[18] Acta etc. C. V. 739a. [19] Acta etc. C. V. 733c sqq.
[20] Emendationes etc. C. V. 120b sqq. [21] Acta etc. C. V. 736b.
[22] Ex actis etc. C. V. 1672a sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ponit Vincentius Gasser, Episcopus Brixinensis, deputationis relator, ac de singulis feruntur suffragia [1]. Caput cum canonibus secundum suffragia Patrum emendatum [2] in tricesima tertia sessione deputationis praelectum [3] in quadragesima altera Congregatione generali inter Patres distribuitur [4] et in quadragesima quarta suffragiis subiectum ab omnibus Patribus approbatur [5]. Quoad stilum a deputatione [6] reformatum [7] cum ceteris Constitutionis partibus in quadragesima quinta Congregatione generali suffragiis subiicitur [8].

Discussio specialis capitis tertii eiusque canonum habita est in Congregatione generali tricesima septima et octava [9]. Emendationes a Patribus propositae [10] inter Patres d. 2. Aprilis distribuebantur [11]. Postquam de iis in quinque sessionibus deputationis actum est [12], Conradus Martin, Episcopus Paderbornensis, nomine deputationis de iis in Congregatione generali quadragesima secunda, tertia, quarta relationem habuit, ac de singulis in iisdem Congregationibus ferebantur suffragia [13].

Supra [14] retulimus, schemati reformato a deputatione paragraphum adiectam esse, qua ageretur de officio etiam ea credendi, „quae ab Ecclesia sive iudiciis dogmaticis, sive ordinaria et universali doctrina et praedicatione tamquam in verbo Dei scripto vel tradito contenta proponuntur“ [15]. Inserebatur haec paragraphus inter paragraphum tertiam et quartam, eratque in schemate Patribus proposito haec: „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario ministerio credenda proponuntur.“ [16] Animadversum autem est in Congregatione generali, non bene necti inter se sententias. Sequi statim: „Haec illa est fides, sine qua impossibile est placere Deo etc.“, ita ut tollatur iam discrimen inter ea, quae necessitate medii, et ea, quae necessitate praecepti credenda sint [17]. Id quidem recte. Ante additam novam paragraphum quartam sententia illa antecedenti paragrapho tertiae bene subiungebatur; post novam additam mutanda erat et Episcopo Martin proponente [18] in quadragesima tertia Congregatione generali mutatur [19].

[1] Relatio etc. C. V. 127 a sqq. Acta etc. C. V. 737 a. b.
[2] C. V. 153 d sqq. [3] Ex actis etc. C. V. 1674 b.
[4] Acta etc. C. V. 738 b. [5] Ibid. C. V. 738 c.
[6] Ex actis etc. C. V. 1674 d. [7] C. V. 217 b.
[8] Acta etc. C. V. 739 a. [9] Acta etc. C. V. 735 d sqq.
[10] C. V. 155 b sqq. [11] Acta etc. C. V. 736 d.
[12] Ex actis etc. C. V. 1672 d sqq.
[13] Acta etc. C. V. 738 b sqq. Relatio etc. C. V. 165 c sqq.
[14] P. 16. [15] Ex actis etc. C. V. 1658 a. [16] Schema etc. C. V. 73 c.
[17] Emendationes etc. C. V. 160 b. [18] Relatio etc. C. V. 177 d sq.
[19] Ibid. C. V. 180 d.

Quum quidam timerent, ne voce ordinarii magisterii Summus Pontifex intelligendus esset, atque eius infallibilitas indicaretur, substituta est phrasis „ordinario et universali magisterio“ [1].

Maior quaedam difficultas orta est circa canonis quinti partem priorem. Erat in schemate proposito haec: „S. q. d., fidem, qua Christiani evangelicae praedicationi consentiunt, non esse nisi persuasionem necessariis scientiae humanae argumentis inductam . . ., a. s.“ [2] Ea condemnabatur sententia Hermesii [3]. Offendebantur aliqui verbo „necessariis“, non solum ii, qui scriptas emendationes [4] tradiderunt, sed etiam alii [5]. Quare ante ipsam Congregationem generalem quadragesimam tertiam, in qua de illis emendationibus agendum erat, deputatio de fide formulam canonis mutatam Patribus miserat, qua vox „necessariis“ explicaretur, sc. hanc: „S. q. d., assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis humanae rationis argumentis produci . . ., a. s.“ [6] In nota formulae adiecta Patres deputati: „E contextu verborum iam etiam apparet,“ inquiunt, „necessaria dici argumenta, quae vim intellectui inferunt et ad assensum cogunt.“ Addit [7] Episcopus Paderbornensis, deputationis in Congregatione generali relator: „Nunc credo, Rmi Patres, nullum posse offendi; nam nunc sensus est clarissimus, siquidem *necessarius* est vox, qua Hermesius ipse utitur. Nos in lingua latina non habemus vocem, quae stricte exprimat germanicam vocem *nöthigenden Gründen:* vox *necessitans* est accommodata (sed male latina); potius dicerem *cogens,* argumenta cogentia, quae necessitatem imponant intellectui, cui non possit resistere. Hoc voluit exprimere Hermesius . . . Credo, Rmi Patres, si dignemini acceptare hanc novam formulam, omnium emendationum propositarum votis esse satisfactum.“

At canon hac formula exhibitus, quum suffragiis subiiceretur, „non placuit Patribus; siquidem perlecto a Rmo Subsecretario nemo eidem assentiri visus est. Quin imo plures Rmi Patres ad Praesides accesserunt, alias omnino formulas proponentes et suadentes. Alii enim dici voluissent: *necessitantibus humanae rationis argumentis;* alii: *humanae rationis argumentis ad assensum cogentibus:* alii demum: *humanae rationis argumentis necessario produci.* Quapropter Emis Praesidibus quoad huiusmodi canonem et relativas emendationes suffragia suspendere visum est, et Rmo Episcopo Paderbornensi mandarunt, ut Patres hoc sensu alloqueretur nomine deputationis“ [8]. Is, quum etiam se dubitare dixisset, essetne praeferenda vox *necessitantibus:*

[1] V. infra in cap. III. annotationem loco ipsi adiectam. [2] C. V. 77 b.
[3] Eam expositam v. infra in cap. III. in annotat. Constitutioni adiectis.
[4] Emendationes etc. C. V. 164 b sq. [5] Relatio etc. C. V. 188 b.
[6] C. V. 165 b. Cf. Relatio etc. C. V. 188 b.
[7] Relatio etc. C. V. 188 c. d. [8] Ibid. C. V. 191 b.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„Permittatis," inquit, „ut deputatio magis deliberet et maturius deliberet de eligenda quadam voce prorsus accommodata, et benigne suspendatis hodie votationem super hoc assensu usque ad crastinum diem." [1]

Eo die (8. Aprilis) Episcopus Paderbornensis exposuit, deputationem formulas propositas examini subiecisse. Vocem cogendi, licet de re exprimenda nullum dubium relinqueret, non placuisse, quum vim indicaret, quae extrinsecus afferretur. Vocem necessitandi non esse latinam. Omnibus iterum ac tertio expensis deputationem commendare formulam hanc: „S. q. d., assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis rationis humanae necessario produci, a. s." [2] Formula iterum lecta et explicata suffragia exquisita sunt, eaque consensu pene unanimi recipiebatur [3].

Itaque caput tertium cum canonibus revisum [4] distribuitur inter Patres eodem die [5] atque approbatur in quadragesima quinta Congregatione generali [6]. Cum ceteris Constitutionis partibus suffragiis Patrum subiicitur in eadem Congregatione, ut infra narrabitur.

Capitis quarti eiusque canonum et monitorum, quae toti Constitutioni addita sunt, discussio specialis habebatur in Congregatione generali undequadragesima d. 1. Aprilis [7]. Patrum emendationes [8] examinabantur in duabus sessionibus deputationis de fide, ac Rm̃us Ludovicus Pie, Episcopus Pictaviensis, de iis in quadragesima quarta Congregatione generali (d. 8. Aprilis) relationem habuit [9]. Postquam Patres in eadem Congregatione de singulis emendationibus suffragia tulerunt, caput cum canonibus a deputatione denuo revisum [10] inter Patres distribuebatur [11] et ab iis in sequenti Congregatione (d. 12. Aprilis), postquam nova de conclusione deliberatio habita est, approbabatur.

De conclusione Constitutionis, quae duobus monitis continetur, aliqua addenda sunt.

Priori monito omnes Christi fideles, maxime vero ii, qui praesunt vel docendi munere funguntur, studium et operam conferre iubentur, ut errores Constitutione proscripti ab Ecclesia Christi arceantur et purissimae fidei lux pandatur. Altero omnes officii monentur, ut etiam eas Constitutiones eaque Decreta servent, quibus opiniones, quae, licet haereticae illae quidem non sint, ad haereticam tamen pravitatem plus minusve accedant, a S. Sede proscriptae et prohibitae

[1] Relatio etc. C. V. 191 d. [2] Ibid. C. V. 192 a sqq. Cf. Ex actis etc. C. V. 1675 b. [3] Relatio etc. C. V. 193 a. Cf. Acta etc. C. V. 738 c.
[4] Habes illud C. V. 193 b sqq. Seorsim canonem quintum C. V. 214 d.
[5] Acta etc. C. V. 738 d. [6] Ibid. C. V. 739 a.
[7] Ibid. C. V. 736 c. [8] C. V. 195 c sqq.
[9] Relatio etc. C. V. 200 sqq. Acta etc. C. V. 738 d.
[10] C. V. 212 c sqq. Cf. Ex actis etc. C. V. 1675 c.
[11] Acta etc. C. V. 738 d.

sunt. Intelliguntur primo loco illae, quae erroribus Constitutione damnatis affines sunt [1].

Quum schema reformatum non iam in duas partes, quarum utraque nova futura esset Constitutio, divisum esset, monita locum obtinuerant in fine *totius* schematis [2]. Quum autem prior pars tamquam specialis Constitutio Patribus (d. 14. Martii) proponeretur, a deputatione huic Constitutioni adiecta erant [3]. Neque tamen Patres deputati plane iam quaestionem absolvisse videntur, utrum hoc loco, an in fine alterius Constitutionis, an utroque loco ea ponerent. Quum enim d. 20. Martii de *altera* iam Constitutione agerent, ut monita eam concludentia retinerentur, decernebant [4].

Inter emendationes, quae in speciali discussione capitis quarti et finis totius Constitutionis a Patribus erant propositae (d. 1. Aprilis), tres ultimae spectabant duo monita [5]. Iam Patres deputati, quum emendationes propositas examinarent (d. 6. Aprilis), monita ad finem alterius Constitutionis transferre statuerunt [6], id quod Episcopus Pictaviensis, quum de emendationibus in Congregatione generali (d. 8. Aprilis) relationem haberet, cum Patribus communicavit [7], qui interrogati de tribus illis emendationibus tum suffragia ferre constituerunt, quum de sequenti Constitutione acturi essent [8].

Sed consilium mutatum est. Quum schema Constitutionis, de quo Patres deliberabant, fraude obtentum ab ephemeride Augustana „Allgemeine Zeitung" vulgatum esset, deputatio de fide in sessione d. 9. Aprilis unanimiter decrevit, ut in Congregatione generali proxima conclusionem Patribus iterum proponeret iisque suaderet, ut conclusionem in primam iam Constitutionem reciperent, quum omissio conclusionis facile tamquam reiectio doctrinae, quam continet, explicari posset [9]. Eodem die Patribus monito [10] a Concilii Secretario misso indicatum est, in proxima Congregatione (d. 12. Aprilis) conclusionem eorum suffragiis subiectum iri.

Itaque in Congregatione generali quadragesima quinta Episcopus Pictaviensis de conclusione atque emendationibus in eam propositis nomine deputationis relationem habuit. „Pluribus", inquit, „hac de re libratis consiliis, satius visum est, ipsam conclusionem statim adaptari, quae novem nostris capitibus postponenda destinabatur, reservata facultate hanc eandem conclusionem iterandi sive transferendi in edi-

[1] Cf. infra in cap. III. notas conclusioni adiectas.
[2] Eiusdem schematis pars altera C. V. 1638 b.
[3] Schema Constitutionis etc. C. V. 77 d. Relatio etc. C. V. 131 b.
[4] Ex actis etc. C. V. 1669 a. [5] Emendationes etc. C. V. 199 d.
[6] Ex actis etc. C. V. 1675 a. [7] Relatio etc. C. V. 208 c.
[8] Ibid. C. V. 209 b. [9] Ex actis etc. C. V. 1675 b. c.
[10] C. V. 209 b. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tione seu publicatione finali post alteram Constitutionem dogmaticam. Ad hoc nos movit non solum, quod iam ex hoc ambone diximus, iuxta mentem perplurimorum Patrum, quod nempe secunda pars huius conclusionis necessario retinenda est; sed alia etiam accessit ratio non parvi ponderis. Scitis enim, Venerabiles Patres, quod schemata nostra, tum primigenia, tum renascentia, pluribus in locis infeliciter divulgata typisque impressa huc illuc pervolitant: expedit igitur, ut iis, qui nos oculo attentiori et forsan minus aequo observant, nullam praebeamus ansam falso sibi persuadendi ac statim in vulgus spargendi, nos a tali vel tali proposita doctrina recessisse.“ [1] Antequam emendatio quadragesima octava, qua unus ex Patribus, ut conclusio omitteretur, suasit, suffragiis subiiciebatur, relator addidit [2]: „Per decursum revisionis ac secundae discussionis huiusce nostri schematis, non dicam aliqui, non dicam plurimi, sed perplurimi Patres doluerunt apud nos, quod relate ad hanc vel illam opinionem, tum primum ab Episcopis ordinariis, tum postea a sancta Sede interdictam et prohibitam, Concilium Vaticanum se quasi abstinere videretur, sicque redivivis controversiis dari locum posse. Et quid ad haec responderunt Patres deputati? Responderunt ante omnia, se semper paratos esse ad exsequenda mandata sacrae huius oecumenicae Synodi, cuius humiles servos et interpretes, et dociles operarios se agnoscunt. Interea tamen adiecerunt, ad Concilium generale non pertinere in suis capitibus et canonibus nisi ea tradere, quae fide certa declaranda sunt, ea autem reprobare, quae fidei contraria demonstrantur. Ne autem ex hoc silentio Concilii detrimenti aliquid afferatur saluberrimae auctoritati, qua Sedes Apostolica, tamquam mater ac magistra vigilantissima, errores hic aut illic insurgentes, ab Episcopis ordinariis ut plurimum denunciatos, amovit et reiecit, oecumenica Synodus, gravi monitione capitibus et canonibus postmissa, neminem ignorare posse declarat, ea omnia, quae circa huiusmodi controversias doctrinales et pravas opiniones a sancta Sede fuerunt decreta et sancita, sollicite ac religiose servanda esse; et hac de causa textui schematis standum censuerunt esse Patres deputati, iudicio tamen Emorum et Rmorum Patrum omnia submittentes.“ Emendatio igitur, quum suffragiis proponeretur, a Patribus reiecta et conclusio approbata est [3]. Deinde totum caput quartum cum canonibus et conclusione a deputatione secundum Patrum propositiones emendatum [4] eorum suffragiis recipitur [5].

Itaque de tota Constitutione habita erat discussio generalis, deinde specialis de singulis partibus. Singulae in has a Patribus propositae emendationes a deputatione de fide examinatae atque in Congregationibus generalibus Patribus explanatae eorumque erant subiectae

[1] Ibid. C. V. 210b sqq. [2] Ibid. C. V. 211a sqq.
[3] Ibid. C. V. 212b. [4] C. V. 212 sqq. [5] Acta etc. C. V. 739a.

suffragiis. Secundum emendationes ab iis approbatas reformatae singulae partes Congregationum generalium suffragiis iterum subiectae erant. Restabat, ut Constitutio, quae per partes approbata erat, iam tota Congregationi generali proponeretur, id quod, ut supra [1] vidimus, solemniori modo ita fieri debebat, ut singuli Patres voce sive „Placet“, sive „Non placet“, sive „Placet iuxta modum“, quid sentirent, enuntiarent. Itaque in eadem illa Congregatione generali quadragesima quinta, qua tertium et quartum caput cum canonibus et conclusione totius Constitutionis per partes approbatum esse vidimus, sententiae Patrum de tota Constitutione solemniori illo modo rogatae sunt. „Iussu Praesidis, Emi Cardinalis de Angelis, Concilii Subsecretarius ambonem conscendens super integra Constitutione *de fide catholica* nominatim singulos Patres iuxta dignitatis et promotionis ordinem rogavit, quorum 515 absolute ‚Placet‘ responderunt, 83 ‚Placet iuxta modum‘, i. e. conditione aliqua adiecta, quam scripto illico tradiderunt; nemo vero ‚Non placet‘ dixit.“ [2]

Conditiones ab iis propositae [3], qui „Placet iuxta modum“ responderunt, a deputatione in vigesima septima sessione (d. 16. Aprilis) examinabantur, atque in Congregatione generali quadragesima sexta (d. 19. Aprilis) relationem de iis habuit Episcopus Brixinensis [4]. Paucis agit de iis, quae ad stilum referuntur [5], et de iis, de quibus suffragia Patrum iam lata erant [6]. De aliis accuratius disserit. Duas recipiendas Patribus commendat, emendationem vigesimam tertiam [7], qua postulabatur, ut in initio capitis primi pro „Sancta Romana catholica Ecclesia“ poneretur „Sancta catholica Apostolica Romana Ecclesia“ [8], et nonagesimam nonam cum dimidio [9], qua suadebatur, ut canoni tertio capitis secundi adderetur „et perfectionem“ [10]. Quae quidem duae exceptiones a Patribus recipiebantur [11].

Fere quadraginta exceptiones referebantur ad conclusionem totius Constitutionis, quarum aliis suadebatur, ut conclusio omitteretur, aliis, ut mutaretur, aliis, ut ad finem alterius Constitutionis transferretur, quod eo magis mirum videri debet, quod in discussione speciali tres solum emendationes de ea propositae erant et earum sola una petebatur, ut conclusio eo loco omitteretur. Deputatio conclusionem retinendam esse censebat nec conditiones proponendas, quoniam ad rem

[1] Prolegomena I. p. 6. [2] Acta etc. C. V. 739a. Ex actis etc. C. V. 1678a. Cf. ibid. notam 1. [3] C. V. 219b sqq.
[4] Relatio etc. C. V. 232c sqq. Ex actis etc. C. V. 739b.
[5] Relatio etc. C. V. 235c. [6] Ibid. C. V. 235d.
[7] Emendationes etc. C. V. 223c.
[8] Relatio etc. C. V. 234d sqq. Quae tanta fuerit de primis verbis capitis primi disputatio, v. infra cap. II. comment. I.
[9] Emendationes etc. C. V. 229b. [10] Relatio etc. C. V. 243c sqq.
[11] Ibid. C. V. 245c.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA
PERMITIDA LA REPRODUCCIÓN NO COMERCIAL
PERTENECE AL FONDO GENERAL DE BIBLIOTECAS

iam iudicatam referrentur[1]. Episcopus Brixinensis, quum ad conditiones de conclusione agentes pervenisset: „Deputatio vestra“, inquit, „non una vice, sed repetitis vicibus in sinu consessus sui hac de re egit, et semper censuit eadem prorsus constantia, hanc conclusionem sive tale monitum omnino necessarium esse. Nam non potuit non praevidere, quanta mala exoritura sint, si opinio illa invalesceret, quod de omnibus, quae neque in capitibus neque in canonibus huius Constitutionis de fide continentur, in scholis libere, imo liberrime posset disputari. Huic tanto malo, quod eo maius esset, quum post tot saecula demum Concilium Vaticanum secutum fuerit ultimam Synodum Tridentinam, huic tanto malo alia ratione obviam ire Concilium Vaticanum non potest iuxta sententiam deputationis de fide, quam addendo Constitutioni dogmaticae de fide talem clausulam, seu talem conclusionem, qua monentur fideles officii sui in erroribus arcendis et in erroribus eliminandis, et qua admonentur magistri, quod non sufficit probato catholico solummodo ea vitare, quae de fide vitanda sunt, sed etiam ea, quae per decreta Sedis Apostolicae sunt definita. — Ergo de necessitate huius conclusionis ne momento quidem temporis in consessu deputationis vestrae de fide disputatum fuit; de loco et de tempore utique aliquantulum haesit, sed solummodo unica vice: et Rm̃us relator, qui ultima vice officio relatoris ex hoc ambone functus est, rationes vobis, Rm̃i Patres, ingenue exposuit, cur deputatio de fide censeat, istam conclusionem hoc loco esse publicandam. Caeteroquin per se patet, quod quoad valorem dogmaticum, id est quoad censuram adiectam, nihil immutatur in decretis Sedis Apostolicae, etiamsi conclusio ista per Concilium Vaticanum probetur et publicetur. Valor dogmaticus seu censura adiecta prorsus eadem et immutata manet, qualis fuit ante publicationem et decretum Concilii Vaticani. Proinde, Rm̃i Patres, obsecro et obtestor omnes, ut huic etiam conclusioni calculum suum, utique album, adiiciant.“[2]

Deputatio de fide sequenti die Constitutioni ultimam manum admovit, ita, ut ratione ultimae emendationis habita[3] etiam conclusionem mutaret. Qua mutatione Christi fidelium in erroribus eliminandis officium ab eorum, qui docendi munere funguntur, officio magis distinxit. Quum antea scriptum esset: „. . . omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, necnon eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a S. Ecclesia eliminandos . . . operam conferant“, iam scribebatur: „. . . omnes Christi fideles per viscera Iesu Christi obtestamur, eis vero, qui praesunt vel docendi munere funguntur, eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut

[1] Ex actis etc. C. V. 1676 c. [2] Relatio etc. C. V. 244 d sqq.
[3] Cf. Ex actis etc. C. V. 1676 c.

ad hos errores a S. Ecclesia *arcendos et* eliminandos . . . operam conferant.“[1] Sed die sequenti (21. Aprilis) in sessione vicesima nona deputatio a priori illa mutatione, qua verborum quorundam transpositione Christi fidelium officium ab aliorum, qui docendi munere funguntur, distinguitur, recedendum esse putavit ac priorem textum recepit, retenta tamen voce „arcendos et“[2]. Quas quidem res per se minimas tam accurate persecuti sumus, quia quidam studio, quidquid Concilium egit, ei in crimen vertendi ex ipso hoc modo, quo conclusio Constitutioni addita est, materiam calumniandi petierunt, quod quam iniustum sit, simplici rei expositione patet.

Itaque Constitutio de fide perfecta erat. Unum supererat, ut in Sessione solemni a Patribus approbaretur et a Summo Pontifice confirmaretur.

Sessio solemnis tertia habita est d. 24. Aprilis, Dominica in Albis. Singuli Patres rogabantur, num placeret Constitutio, quam a Summo Pontifice acceptam magna voce antea recitaverat Episcopus Fabrianensis et Matilicensis; responsa Patrum a scrutatoribus excipiebantur et a protonotariis describebantur. „Recensione suffragiorum habita, compertum est, unanimem fuisse omnium Patrum assensum, per verbum ‚Placet‘ declaratum.“ Quod cum Summo Pontifici, qui Sessioni praesidebat, renunciatum esset, is Constitutionem a Patribus approbatam Apostolica auctoritate confirmavit[3].

CAPUT ALTERUM.

Aliquorum locorum Constitutionis de fide uberior explicatio.

COMMENTATIO I.

De initio capitis primi Constitutionis de fide: „Sancta catholica Apostolica Romana Ecclesia“.

Nullus extat in capite primo Constitutionis de fide locus, de quo tantopere disputatum est, quam de primis eius verbis, quibus designatur Ecclesia. Quae disceptatio, licet ad caput recte intelligendum vix quidquam conferat, tamen, quum et historiam capitis et summam illam diligentiam, quam Patres vel in verbis eligendis adhibuerint, mirum in modum illustret, accuratius enarranda est.

In schemate, quod deputationi[4], et in eo, quod Congregationi generali[5] proponebatur, caput primum incipiebat verbis „Sancta Ro-

[1] Ex actis etc. C. V. 1677 b. [2] Ibid. C. V. 1678 b.
[3] Sessio sol. C. V. 247 sqq. [4] C. V. 1629 a. [5] C. V. 71 c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

iam iudicatam referrentur[1]. Episcopus Brixinensis, quum ad conditiones de conclusione agentes pervenisset: „Deputatio vestra“, inquit, „non una vice, sed repetitis vicibus in sinu consessus sui hac de re egit, et semper censuit eadem prorsus constantia, hanc conclusionem sive tale monitum omnino necessarium esse. Nam non potuit non praevidere, quanta mala exoritura sint, si opinio illa invalesceret, quod de omnibus, quae neque in capitibus neque in canonibus huius Constitutionis de fide continentur, in scholis libere, imo liberrime posset disputari. Huic tanto malo, quod eo maius esset, quum post tot saecula demum Concilium Vaticanum secutum fuerit ultimam Synodum Tridentinam, huic tanto malo alia ratione obviam ire Concilium Vaticanum non potest iuxta sententiam deputationis de fide, quam addendo Constitutioni dogmaticae de fide talem clausulam, seu talem conclusionem, qua monentur fideles officii sui in erroribus arcendis et in erroribus eliminandis, et qua admonentur magistri, quod non sufficit probato catholico solummodo ea vitare, quae de fide vitanda sunt, sed etiam ea, quae per decreta Sedis Apostolicae sunt definita. — Ergo de necessitate huius conclusionis ne momento quidem temporis in consessu deputationis vestrae de fide disputatum fuit; de loco et de tempore utique aliquantulum haesit, sed solummodo unica vice: et Rm̃us relator, qui ultima vice officio relatoris ex hoc ambone functus est, rationes vobis, Rm̃i Patres, ingenue exposuit, cur deputatio de fide censeat, istam conclusionem hoc loco esse publicandam. Caeteroquin per se patet, quod quoad valorem dogmaticum, id est quoad censuram adiectam, nihil immutatur in decretis Sedis Apostolicae, etiamsi conclusio ista per Concilium Vaticanum probetur et publicetur. Valor dogmaticus seu censura adiecta prorsus eadem et immutata manet, qualis fuit ante publicationem et decretum Concilii Vaticani. Proinde, Rm̃i Patres, obsecro et obtestor omnes, ut huic etiam conclusioni calculum suum, utique album, adiiciant.“[2]

Deputatio de fide sequenti die Constitutioni ultimam manum admovit, ita, ut ratione ultimae emendationis habita[3] etiam conclusionem mutaret. Qua mutatione Christi fidelium in erroribus eliminandis officium ab eorum, qui docendi munere funguntur, officio magis distinxit. Quum antea scriptum esset: „. . . omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, necnon eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a S. Ecclesia eliminandos . . . operam conferant“, iam scribebatur: „. . . omnes Christi fideles per viscera Iesu Christi obtestamur, eis vero, qui praesunt vel docendi munere funguntur, eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut

[1] Ex actis etc. C. V. 1676 c. [2] Relatio etc. C. V. 244 d sqq.
[3] Cf. Ex actis etc. C. V. 1676 c.

ad hos errores a S. Ecclesia *arcendos et* eliminandos . . . operam conferant.“[1] Sed die sequenti (21. Aprilis) in sessione vicesima nona deputatio a priori illa mutatione, qua verborum quorundam transpositione Christi fidelium officium ab aliorum, qui docendi munere funguntur, distinguitur, recedendum esse putavit ac priorem textum recepit, retenta tamen voce „arcendos et“[2]. Quas quidem res per se minimas tam accurate persecuti sumus, quia quidam studio, quidquid Concilium egit, ei in crimen vertendi ex ipso hoc modo, quo conclusio Constitutioni addita est, materiam calumniandi petierunt, quod quam iniustum sit, simplici rei expositione patet.

Itaque Constitutio de fide perfecta erat. Unum supererat, ut in Sessione solemni a Patribus approbaretur et a Summo Pontifice confirmaretur.

Sessio solemnis tertia habita est d. 24. Aprilis, Dominica in Albis. Singuli Patres rogabantur, num placeret Constitutio, quam a Summo Pontifice acceptam magna voce antea recitaverat Episcopus Fabrianensis et Matilicensis; responsa Patrum a scrutatoribus excipiebantur et a protonotariis describebantur. „Recensione suffragiorum habita, compertum est, unanimem fuisse omnium Patrum assensum, per verbum ‚Placet‘ declaratum.“ Quod cum Summo Pontifici, qui Sessioni praesidebat, renunciatum esset, is Constitutionem a Patribus approbatam Apostolica auctoritate confirmavit[3].

CAPUT ALTERUM.

Aliquorum locorum Constitutionis de fide uberior explicatio.

COMMENTATIO I.

De initio capitis primi Constitutionis de fide: „Sancta catholica Apostolica Romana Ecclesia“.

Nullus extat in capite primo Constitutionis de fide locus, de quo tantopere disputatum est, quam de primis eius verbis, quibus designatur Ecclesia. Quae disceptatio, licet ad caput recte intelligendum vix quidquam conferat, tamen, quum et historiam capitis et summam illam diligentiam, quam Patres vel in verbis eligendis adhibuerint, mirum in modum illustret, accuratius enarranda est.

In schemate, quod deputationi[4], et in eo, quod Congregationi generali[5] proponebatur, caput primum incipiebat verbis „Sancta Ro-

[1] Ex actis etc. C. V. 1677 b. [2] Ibid. C. V. 1678 b.
[3] Sessio sol. C. V. 247 sqq. [4] C. V. 1629 a. [5] C. V. 71 c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mana catholica Ecclesia". Quum autem discussio specialis primi capitis haberetur, unus e Patribus vocem „Romana" omitti, alter vel „catholica atque Romana Ecclesia" poni voluit, vel voces „Romana catholica" virgula separari[1]. Deputatio tamen censuit, nihil mutandum esse[2]. Itaque in tricesima sexta Congregatione generali, quum de emendationibus propositis suffragia ferenda essent, Episcopus Brixinensis, deputationis relator, Patribus suasit, ut priorem emendationem negligerent, quum nequaquam timendum esset, quod emendationis auctor timeret, ne „Ecclesia Romana catholica" intelligeretur ea, quae esset in alma Urbe. Etiam rationem deesse, cur verba ab altero commendata reciperentur, quum verba „Romana catholica Ecclesia" non innuerent speciem quandam catholicae Ecclesiae, quae opponi posset „Anglo-catholicae" vel alii. Addidit tamen relator, nihil obstare, quominus ad omnem sinistram interpretationem amovendam inter vocem „Romana" et „catholica" poneretur virgula[3]. Censuerunt Patres fere omnes, verba capitis retinenda esse. Quum autem suffragia rogarentur, utrum virgula poneretur necne, magna inter eos exstitit dissensio, atque petentibus id Patribus Praesides suffragia ad aliam Congregationem distulerunt, ut collatis consiliis consensus facilius obtineri posset[4].

Sequenti igitur die in Congregatione tricesima septima Episcopus Brixinensis specialem de ea re relationem[5] habuit atque „re mature coram Deo perpensa et consiliis habitis et initis cum plurimis Rmis Patribus, etiam cum pluribus ex delegatione de fide" suadet, ut tollatur virgula. Quaerit, quae sit significatio verborum „Romana catholica Ecclesia". „Significat idem", inquit, „ac Ecclesia Romana, id est mater et magistra omnium ecclesiarum, coniuncta cum Ecclesia catholica, id est, cum ea Ecclesia, quae est in toto orbe terrarum, et quidem ita coniuncta, ut Ecclesia Romana sit catholica et catholica sit Romana." Verba illa quasi nomen proprium Ecclesiae exhibere. Neminem autem inter nomen proprium et gentilitium virgulam inserere[6]. Quod aliqui, praesertim Angli, timeant, ne illis verbis errori faveatur, quo asserunt, plures quasi species unius verae Ecclesiae esse, id non plane inane esse fatetur. Huic autem errori occurri posse in Constitutione dogmatica de Ecclesia[7].

Quod de verborum significatione Rmus Episcopus disseruit, nonnemini fortasse displiceat. Maior tamen Patrum pars virgulam omittendam censuit. Quum autem in Congregatione generali quadragesima quinta, d. 12. Aprilis, suffragia de tota Constitutione rogarentur, quadraginta quinque Patres suo „Placet" conditionem adiecerunt, ut capitis primi initium mutaretur; alii alias emendationes proposuerunt[1]. Complures, cur locus mutandus esset, allatae sunt rationes, quas unus hisce comprehendit: „Minus placet vox ‚Romana'. Quia 1. Non est necessaria ab initio, cum de Ecclesia postea expresse tractabitur, ubi poterit inseri. — 2. Quia vox apud omnes, qui lingua Anglica utuntur, ansam forsan praeberet errorem illorum propagandi, qui triplicem distinguunt Ecclesiam, catholicam *Romanam* unam, alteram *Graecam*, tertiam demum *Anglicanam*[2]. — 3. In professione fidei Pii IV.

[1] Emendationes etc. C. V. 98a.
[2] Ex actis etc. C. V. 1671c.
[3] Relatio etc. C. V. 102a sqq.
[4] Ibid. C. V. 108d sq.
[5] C. V. 117d sqq.
[6] Relatio. C. V. 118a. b.
[7] Ibid. C. V. 118c.

[1] Emendationes 9—44. C. V. 221b sqq.

[2] Fuit haec primaria ratio. Constat enim, fuisse et esse in Anglia, qui contendant, unitatem Ecclesiae universalis conflari pluribus ecclesiis particularibus, fide et communione inter se diversis et separatis, de quo errore haec ad schema de Ecclesia a theologis, qui id scripserunt, adnotantur: „*Vetustiorem* Anglicanorum sententiam exponit Rex M. Britanniae in sua ‚Réponse au Cardinal du Perron' apud ipsum Cardinalem in sua ‚Réplique du Cardin. du Perron' c. 60: ‚L'Église Romaine, la Grecque, l'Arménienne, l'Egyptienne, l'Abyssine, la Moscovite, et plusieurs autres sont membres plus excellents, à la vérité, en doctrine les uns que les autres, mais toutefois membres de l'Eglise catholique, de laquelle la masse et la contexture, quant à la forme externe, est, il y a longtemps, dissoute et désassemblée'; *recentioris* autem cuiusdam Anglicanorum factionis sententia est, catholicae Ecclesiae unitatem tribus constare ecclesiis sive communionibus partialibus, apud quas dicitur perseverare forma hierarchiae ecclesiasticae, quae originalis vel apostolica sit: constare nimirum Romana, Anglicana et Orientali sive Graeco-schismatica, quarum unio licet desiderabilis, non sit tamen necessaria: ‚L'union extérieure des églises,' scribit in ‚Eirenicon' D. Pusey, ‚si normale et si désirable qu'elle soit, si conforme qu'elle nous paraisse à la volonté de Dieu, n'est pas après tout une condition essentiellement et absolument nécessaire à l'existence de l'Église universelle. L'histoire est là qui nous en fournit les preuves les plus péremptoires. En effet, les annales ecclésiastiques nous montrent, même dans la période (de l'Église) indivise, la communion fréquemment interrompue et les églises particulières à diverses reprises séparées les unes des autres et spécialement séparées de Rome. Est-ce à dire pour cela qu'il y eût lésion essentielle dans les membres momentanément disloqués? Les âmes sorties du centre de l'union visible se trouvaient-elles par le fait même hors de l'Église et de la voie du salut? Non assurément, puisque dans les rangs de ces schismatiques et de ces excommuniés prétendus, nous voyons figurer des personnages d'une vertu sans reproche et des saints universellement reconnus pour tels par l'Église romaine elle-même. En voilà plus qu'il ne faut pour nous rassurer contre toutes les éventualités de l'avenir. Que nos avances de rapprochement soient acceptées ou non, ce n'est pas tout à fait une question de vie ou de mort; Dieu merci, l'Église anglicane pourra toujours garantir à ses enfants des moyens certains pour se sanctifier et se sauver.' Verum scribit Fr. Suares in sua ‚Defens. fid. cathol.

eadem loquendi ratio designat *particularem* Romanam Ecclesiam ‚Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum', ideoque ambigua videtur. — 4. Demum, quia non est vox usitata nec in Symbolis nec in Conciliis generalibus, per quantum sciam."[1]

His rationibus cessit deputatio atque eam emendationem, qua unus ex Patribus in Congregatione generali proposuerat verba „Sancta catholica Apostolica Romana Ecclesia", commendare constituit[2]. Brixinensis, quum in Congregatione generali quadragesima sexta de conditionibus a Patribus adiectis nomine deputationis referret: „Unus alterve Patrum deputationis de fide credidit", inquit, „. . . hanc rem (quaestionem de initio capitis) iam esse iudicatam, ita ut ab illa non amplius sit recedendum; sed reapse hac de re non est iudicatum. Quod virgula non debeat interponi inter verba ‚Romana catholica', haec res est iudicata; sed quaenam denominatio sit adhibenda ad unicam et veram Ecclesiam Christi in terris indicandam, hac de re non est disputatum nec etiam iudicatum; proinde longe maior pars, imo in fine tota deputatio de fide credidit, huius difficultatis rationem habendam esse."[3] Verba a deputatione electa commendavit atque omnium fere Patrum tulit suffragia[4].

COMMENTATIO II.

De possibilitate certae naturalis cognitionis Dei a Concilio definita.

In capite altero Constitutionis dogmaticae de fide docetur, „*Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse*", et canone respondente proscribitur

adv. anglic. sect. errores l. III. c. 8. n. 4. de Summi Pontificis supra temporales reges excellentia et potestate': ‚Ex illa sententia sequitur aperte, plures ecclesias, quae sunt in mundo, non magis constituere universalem Ecclesiam, *quae sit proprie una*, quam plura temporalia regna sunt una respublica temporalis, vel unum imperium aut regnum.' At vero, uti superiori capite declaratum est, et a Fr. Suares exponitur ibidem l. I. c. 7, accepit Ecclesia a Christo Domino constituentem formam definitam ac determinatam eamque visibilem ac conspicuam, qua esset una tantum; hinc ait idem Suares ibidem c. 8. n. 3: Cum ‚in symbolo Apostolorum profitemur, nos credere sanctam Ecclesiam catholicam . . ., hoc intelligendum est de *certa et singulari* Ecclesia. Cum enim vera Ecclesia catholica tantum sit una, individua et particularis . . . ex vi illius fidei tenemur credere, illam esse veram Ecclesiam, in qua sumus, et cuius fidem profitemur, et consequenter tenemur credere, conventicula haereticorum non esse veram Ecclesiam, sed synagogam satanae (Apoc. 2) vel, ut Rufinus ait, Ecclesiam malignantium; ergo ut per illam fidem possimus discernere veram Ecclesiam a falsa, necesse est, ut sit de tali congregatione in particulari.'" (Schema de Ecclesia. C. V. 587 a sqq.)

[1] C. V. 222 b. c. [2] Ex actis etc. C. V. 1676 a. [2] Relatio etc. C. V. 235 a. b. [4] Ibid. C. V. 246 a.

error, „*Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse*". In his duo ex documentis Concilii accuratius explicanda sunt: qua ratione homini naturalis attribuatur facultas Deum cognoscendi, et quid homo de Deo naturaliter cognoscere posse dicatur.

I. Homo dicitur naturali rationis lumine Deum e rebus creatis certo cognoscere posse.

Voluit unus ex Patribus, in capite et canone ad rationis vocem addi „uti nunc est", ut homo explicite in statu naturae lapsae Deum naturaliter cognoscere posse diceretur[1]. Respondit in relatione nomine deputationis habita Rmus Gasser, Episc. Brixinensis, illa verba, quae antea iam adfuissent, deleta esse, „cum ea, quae in ista doctrina docentur, generatim vera habenda sint, sive sumatur homo in statu naturae purae sive in statu naturae lapsae"[2]. „Agitur in genere de conditione naturae humanae."[3]

Quis sit sensus definitionis, praeclare illustratur illis, quae respondenti schematis de doctrina catholica loco adnotant theologi. „Tria", inquiunt, „hic notanda sunt. 1. Supponitur sane usus rationis. 2. Non est quaestio de *facto*, utrum singuli homines primam suam cognitionem Dei hauriant ex illa naturali manifestatione, et non potius per revelationem iis propositam excitentur ad quaerendum Deum, et Deum exsistere discant ex ipsa sibi proposita doctrina revelata; sed id, de quo agitur, et quod Scripturae immediate affirmant, est *potentia* rationis; quod nimirum obiectiva Dei per creaturas manifestatio ordinatur ad humanam rationem et huic insunt vires, ut *possit* ex illa manifestatione Deum cognoscere. Ex quo utique consequitur naturalis obligatio pro homine per hanc manifestationem, si alia praesidia desint, perveniendi ad cognitionem Dei, quod quidem a S. Paulo et in libro Sapientiae ll. cc. [Rom. 1, 21. Sap. 13, 1 sqq.] docetur diserte. 3. Non tractatur hic quaestio generatim de conditionibus necessariis, ut homo perveniat ad usum rationis."[4]

Itaque docetur a Concilio, Deum ratione humana *recte evoluta*, etiam *in statu naturae lapsae* e rebus creatis cognosci *posse*, atque id quidem *cum certitudine*. Quibus subsidiis ratio indigeat, ut recte evolvatur, non dicitur. Negatur tamen, ei opus esse revelationem seu aliud aliquod adiumentum supernaturale. Cuius doctrinae definitio, ut aiunt[5] Patres deputati in folio schemati adiecto, necessaria visa est „non solum propter traditionalismum, sed etiam propter errorem late serpentem, Dei exsistentiam nullis firmis argumentis probari nec proinde ratione certo cognosci. — Quod vero ad traditionalismum per-

[1] Emendationes etc. Em. 5. C. V. 21 a. Em. 51. C. V. 125 d.
[2] Relatio etc. C. V. 131 d. [3] Ibid. C. V. 150 a.
[4] Annotationes etc. C. V. 520 c. d. [5] Ratio etc. C. V. 79 c. d.

eadem loquendi ratio designat *particularem* Romanam Ecclesiam ‚Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum', ideoque ambigua videtur. — 4. Demum, quia non est vox usitata nec in Symbolis nec in Conciliis generalibus, per quantum sciam."[1]

His rationibus cessit deputatio atque eam emendationem, qua unus ex Patribus in Congregatione generali proposuerat verba „Sancta catholica Apostolica Romana Ecclesia", commendare constituit[2]. Brixinensis, quum in Congregatione generali quadragesima sexta de conditionibus a Patribus adiectis nomine deputationis referret: „Unus alterve Patrum deputationis de fide credidit", inquit, „. . . hanc rem (quaestionem de initio capitis) iam esse iudicatam, ita ut ab illa non amplius sit recedendum; sed reapse hac de re non est iudicatum. Quod virgula non debeat interponi inter verba ‚Romana catholica', haec res est iudicata; sed quaenam denominatio sit adhibenda ad unicam et veram Ecclesiam Christi in terris indicandam, hac de re non est disputatum nec etiam iudicatum; proinde longe maior pars, imo in fine tota deputatio de fide credidit, huius difficultatis rationem habendam esse."[3] Verba a deputatione electa commendavit atque omnium fere Patrum tulit suffragia[4].

COMMENTATIO II.

De possibilitate certae naturalis cognitionis Dei a Concilio definita.

In capite altero Constitutionis dogmaticae de fide docetur, „*Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse*", et canone respondente proscribitur

adv. anglic. sect. errores l. III. c. 8. n. 4. de Summi Pontificis supra temporales reges excellentia et potestate': ‚Ex illa sententia sequitur aperte, plures ecclesias, quae sunt in mundo, non magis constituere universalem Ecclesiam, *quae sit proprie una*, quam plura temporalia regna sunt una respublica temporalis, vel unum imperium aut regnum.' At vero, uti superiori capite declaratum est, et a Fr. Suares exponitur ibidem l. I. c. 7, accepit Ecclesia a Christo Domino constituentem formam definitam ac determinatam eamque visibilem ac conspicuam, qua esset una tantum; hinc ait idem Suares ibidem c. 8. n. 3: Cum ‚in symbolo Apostolorum profitemur, nos credere sanctam Ecclesiam catholicam . . ., hoc intelligendum est de *certa et singulari* Ecclesia. Cum enim vera Ecclesia catholica tantum sit una, individua et particularis . . . ex vi illius fidei tenemur credere, illam esse veram Ecclesiam, in qua sumus, et cuius fidem profitemur, et consequenter tenemur credere, conventicula haereticorum non esse veram Ecclesiam, sed synagogam satanae (Apoc. 2) vel, ut Rufinus ait, Ecclesiam malignantium; ergo ut per illam fidem possimus discernere veram Ecclesiam a falsa, necesse est, ut sit de tali congregatione in particulari.'" (Schema de Ecclesia. C. V. 587 a sqq.)

[1] C. V. 222 b. c. [2] Ex actis etc. C. V. 1676 a. [2] Relatio etc. C. V. 235 a. b. [4] Ibid. C. V. 246 a.

error, „*Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse*". In his duo ex documentis Concilii accuratius explicanda sunt: qua ratione homini naturalis attribuatur facultas Deum cognoscendi, et quid homo de Deo naturaliter cognoscere posse dicatur.

I. Homo dicitur naturali rationis lumine Deum e rebus creatis certo cognoscere posse.

Voluit unus ex Patribus, in capite et canone ad rationis vocem addi „uti nunc est", ut homo explicite in statu naturae lapsae Deum naturaliter cognoscere posse diceretur[1]. Respondit in relatione nomine deputationis habita Rmus Gasser, Episc. Brixinensis, illa verba, quae antea iam adfuissent, deleta esse, „cum ea, quae in ista doctrina docentur, generatim vera habenda sint, sive sumatur homo in statu naturae purae sive in statu naturae lapsae"[2]. „Agitur in genere de conditione naturae humanae."[3]

Quis sit sensus definitionis, praeclare illustratur illis, quae respondenti schematis de doctrina catholica loco adnotant theologi. „Tria", inquiunt, „hic notanda sunt. 1. Supponitur sane usus rationis. 2. Non est quaestio de *facto*, utrum singuli homines primam suam cognitionem Dei hauriant ex illa naturali manifestatione, et non potius per revelationem iis propositam excitentur ad quaerendum Deum, et Deum exsistere discant ex ipsa sibi proposita doctrina revelata; sed id, de quo agitur, et quod Scripturae immediate affirmant, est *potentia* rationis; quod nimirum obiectiva Dei per creaturas manifestatio ordinatur ad humanam rationem et huic insunt vires, ut *possit* ex illa manifestatione Deum cognoscere. Ex quo utique consequitur naturalis obligatio pro homine per hanc manifestationem, si alia praesidia desint, perveniendi ad cognitionem Dei, quod quidem a S. Paulo et in libro Sapientiae ll. cc. [Rom. 1, 21. Sap. 13, 1 sqq.] docetur diserte. 3. Non tractatur hic quaestio generatim de conditionibus necessariis, ut homo perveniat ad usum rationis."[4]

Itaque docetur a Concilio, Deum ratione humana *recte evoluta*, etiam *in statu naturae lapsae* e rebus creatis cognosci *posse*, atque id quidem *cum certitudine*. Quibus subsidiis ratio indigeat, ut recte evolvatur, non dicitur. Negatur tamen, ei opus esse revelationem seu aliud aliquod adiumentum supernaturale. Cuius doctrinae definitio, ut aiunt[5] Patres deputati in folio schemati adiecto, necessaria visa est „non solum propter traditionalismum, sed etiam propter errorem late serpentem, Dei exsistentiam nullis firmis argumentis probari nec proinde ratione certo cognosci. — Quod vero ad traditionalismum per-

[1] Emendationes etc. Em. 5. C. V. 21 a. Em. 51. C. V. 125 d.
[2] Relatio etc. C. V. 131 d. [3] Ibid. C. V. 150 a.
[4] Annotationes etc. C. V. 520 c. d. [5] Ratio etc. C. V. 79 c. d.

tinet, satis visum est, principium ponere, quo efficaciter excluderetur. Principium autem, quod statuitur, hoc est: in hominis natura rationali potentiam esse Deum per res creatas certo cognoscendi. Iam vero qui diceret, fieri prorsus non posse, ut homo, etsi expeditam habeat facultatem ratiocinandi, *sine positiva de Deo tradita doctrina*, ad Dei certam notitiam perveniat, is illud principium negaret. Quaestio autem, utrum aliqua institutio necessaria sit ad hoc, ut homo ad rationis usum perveniat, non attingitur".

Iam his suppositis accuratius inquirendum est, quae species traditionalismi, utrum solus crudior reiiciatur, an etiam is, qui dicitur mitior.

Illum in relatione nomine deputationis habita exponit[1] Brixinensis ita: „Ut a principio primo ordiar, verba illa notissima Tertulliani in medium proferam, quae habentur in libro ipsius contra Marcionem, ubi dicit: ‚Nos (scilicet contra Marcionem) definimus Deum primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum, natura ex operibus, doctrina ex praedicationibus.' Iuxta hanc Tertulliani sententiam res ergo ita se habet: Deus potest quidem cognosci natura duce ex operibus; sed ut haec cognitio Dei sit salutaris, Deus non solummodo debet naturaliter cognosci, sed debet per doctrinam et praedicationem recognosci. Primum quidem est iuxta Tertullianum cognitio naturalis non quidem ratione temporis, sed ratione ordinis, et deinde cognitio supernaturalis; nam dicit: primo cognoscendus natura, et dehinc recognoscendus doctrina et praedicatione. In hac re Tertullianus certe sacram Scripturam ipsam consentientem habet, ut unicuique patet inspicienti caput 13. libri Sapientiae, caput 1. Epist. ad Romanos, caput 14. et 17. ex Actis Apostolorum; et quantum ego video, Tertullianus in hac re etiam Patres Ecclesiae consentientes habet.

„Iam ii, qui nominantur generatim traditionalistae (nomen hoc nunquam protulissem, Rmi Patres, nisi iam in ipsa hac aula toties nomen istud insonuerit), iam, dico, asseclae huius systematis sententiam Tertulliani invertunt et dicunt: Nos definimus Deum primum doctrina cognoscendum, et dehinc natura recognoscendum, doctrina ex praedicationibus, natura ex operibus; id est, primam de Deo ideam debere homini communicari per doctrinam sive praedicationem in genere sumptam, et deinde, hac idea semel homini communicata et ab homine recepta, possibile omnino esse, exsistentiam Dei probare etiam per argumenta ex ratione desumpta. Quoad vero communicationem ipsam huius ideae traditionalistae inter se plurimum differunt. Sunt enim aliqui, qui dicunt, hanc communicationem revera debere fieri per doctrinam evangelicam seu revelatam, et proinde hominem debere in se suscipere ideam Dei et exsistentiae ipsius fide divina, et non esse

[1] Relatio etc. C. V. 129a sqq.

certitudinem de exsistentia Dei, nisi primum habeatur illa fide divina. Traditionalistae huius generis nominantur proprio nomine fideistae, seu systema illorum dicitur etiam traditionalismus crudior. . . .

„Haec doctrina traditionalismi crudioris certe omnino est damnanda, sicut iam damnata est: nam per talem doctrinam evellitur ipsum fundamentum fidei nostrae, certitudo de exsistentia Dei; et pro nostris imprimis temporibus res ista summi momenti est.

„Nostis enim, Rmi Patres, quaenam opinio invaluerit in animis multorum hominum inde a sic dictis encyclopaedistis Galliae, et inde ab initio philosophiae criticae in Germania: opinio scilicet in multorum animis invaluit, exsistentiam Dei omnino certo non posse probari certis argumentis, et argumenta illa, quae tanto in honore omni tempore habita sunt, non esse talia, quae rem evincere possint. Inde utique factum est, quod religio ipsa utpote fundamento carens despectui haberetur; imo res nostris temporibus novissime eo devenit, ut passim homines in eo sint, avellendi doctrinam moralem ab omni doctrina religionis, dicendo, hoc omnino necessarium esse, ne homo, cum postmodum, aetate proficiente, videat in religione nihil certi haberi posse, neque ipsam exsistentiam Dei, ne homo, dico, in pravitatem morum collabatur. Sed nostis, Rmi Patres, quantum valeat huiusmodi institutio moralis, cuius principium non est illud Psalmistae[1]: *Initium sapientiae timor Domini.*"

Itaque haec crudior traditionalismi species conciliari definitione et canone reprobatur, id quod etiam lecta sola definitione intelligitur. Neque enim solum *naturale* rationis lumen homini sufficere dicitur, ut Deum certo cognoscat, sed huic *naturali* Deum cognoscendi viae opponitur etiam tanquam *supernaturalis* via *revelatio.* Haec igitur diserte homini ad Deum certo cognoscendum non necessaria esse dicitur.

His patet etiam, reiici sententiam, ad rationem recte evolvendam, ut Deum certo cognoscere possit, requiri institutionem, *quae revelationem supponat.* De conditionibus quidem, quae alicui necessariae videri possint, ut ratio recte evolvatur, nihil habet Concilii decretum. „Attamen", ut aiunt theologi in adnotationibus schemati de doctrina catholica adiectis, „qui affirmaret, sufficientem usum rationis, ut homo valeat Deum per creaturas cognoscere, nunquam posse obtineri nisi per immediatam vel traditam *revelationem de Deo*, h. e., qui affirmaret, necessariam conditionem ad usum rationis sufficienter evolvendum non qualemcunque esse traditionem et institutionem, sed nominatim traditam *revelationem de exsistentia Dei:* is profecto etiam affirmaret, rationem humanam esse ita comparatam, ut *non possit pervenire* ad cognitionem Dei per ea, quae facta sunt, quamvis eandem cogni-

[1] Ps. 110, 9.

tionem, quando iam ex revelatione facta ad eam perventum est, possit deinde ratio confirmare et Deum recognoscere etiam per ea, quae facta sunt.“ [1]

Inde facile intelligemus, qua ratione etiam mitior traditionalismi species conciliari decreto tangatur. Qui eam profitentur, communicatione ideae Dei opus esse dicunt, ut homo Deum certo cognoscere possit, sed communicationem hanc, ut exponit Brixinensis [2], non „derivant ex ipsa doctrina evangelica seu revelata, saltem non proxime, sed generatim ex idea Dei in societate humana iam iam exsistente; et proinde sufficere, quod homo fide humana ideam Dei in se suscipiat, et dein efformet argumenta ex ratione pro exsistentia Dei“. Sed quamvis „hi mitiores traditionalistae, sicut nominantur, proxime quidem derivent ideam Dei solummodo ex communicatione per societatem humanam, tamen vix non fieri potest, quod illam ultimo in primo suo fonte derivent ex institutione Dei primaeva communicata generi humano“.

Itaque „etiam traditionalismus mitior certe periculis obsitus est“. Propterea „proposita est emendatio octava, qua ista doctrina immediate in suo principio formali impetitur. Contra alii Rmi Patres non

[1] Schema etc. C. V. 522d. — Ibi additur: „. . . Haec species traditionalismi nostris temporibus a quibusdam asserta est, idque saltem quandoque ita, ut primam Dei et rerum supersensibilium notitiam non nisi *ex fide supernaturali* derivari posse docerent. In expositione et defensione sui systematis Bautainius (ep. ad Episc. Argentorat. 21. Nov. 1837) aiebat: ‚Quid assertio, hominem etiam solis argumentis rationis posse demonstrare exsistentiam Dei eiusque infinitas perfectiones, aliud sibi vult, nisi hominem posse ex propriis viribus ad Deum ascendere et posse Deum sine Deo cognoscere? Nonne hoc ipso contra definitiones Concilii Arausicani humanae rationi *initium fidei* adscriberetur? Quid hoc aliud esset quam asserere, hominem *ad fidem in Deum* non indigere gratia, nosque ipsos auctores esse *nostrae fidei?*‘ — Porro huiusmodi doctrina claris sententiis Scripturae et SS. Patrum atque communi veterum theologorum consensui repugnat; consequenter exculta ipsa fidei fundamenta subverteret ‚credere enim non possemus, nisi rationales animas haberemus‘ (Aug. ep. 120. n. 3); atque ita ad scepticismum viam sterneret; perveniretur enim ad id, quod aiebat Lamennaeus: ‚Quand la vérité se donne, l'homme la reçoit; voilà tout ce qu'il peut; encore faut-il qu'il la reçoive de confiance, *et sans exiger qu'elle montre ses titres; car il n'est pas même en état de les vérifier*‘ (Pensées diverses p. 488). Praeterea in hac doctrina evidenter censeri deberet positiva revelatio de Deo essentiale complementum humanae rationis; atque inde pervenerunt aliqui ad confusionem ordinis naturalis ac supernaturalis. Propterea saltem crudior haec forma traditionalismi iam saepius authentice reprobata est, ut in propositionibus a Bautainio aliisque subscriptis, quarum una erat: ‚Rationis usus fidem praecedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit‘.“

[2] Relatio etc. C. V. 129d sqq.

tam maligno oculo istam doctrinam considerantes, emendationes proposuerunt, sc. tertiam et quartam, quae tueri videntur causam traditionalismi mitioris“ [1].

Iam nomine deputationis Brixinensis suadet, ut tribus illis emendationibus sepositis textus schematis retineatur, quo deputatio doctrinam suam tanquam *certum principium* proponat, *„quod directe impugnat traditionalismum crudiorem, quod sane, cum aliter fieri non possit, etiam tangit traditionalismum mitiorem“* [2].

Patet igitur, qua ratione decreto conciliari traditionalismus mitior tangatur. Cum haec doctrina eo contineatur, ut homo dicatur non posse naturali rationis lumine ad certam Dei cognitionem pervenire, nisi iuvetur idea Dei in societate humana exsistente et fide saltem humana recepta, eo usque conciliari decreto non petitur, quousque non contendit nec supponit, ideam illam societati humanae revelatione supernaturali traditam, sed docet, illam ab ea naturali quadam via acceptam esse. Si vero eius asseclae docent, ideam illam revelatione comparatam esse nec aliter comparari potuisse, principio a Concilio statuto contradicunt: principio, quo homo solo naturali rationis lumine ac sine revelationis adiumento ad certam Dei cognitionem pervenire posse dicitur [3].

[1] In emendatione *octavo* loco proposita (C. V. 121a) petebatur, ut adderetur post „e rebus creatis“: „citra quamlibet de Deo traditam doctrinam“. Quod si receptum esset, ipse traditionalismus mitior directe esset exclusus. — *Tertia* emendatio haec erat: „Eadem S. Mater Ecclesia Catholica tenet ac docet, Deum rerum omnium principium et finem naturali rationis lumine *ab homine in societate adulto e rebus creatis* cognosci posse etc.“ — *Quarta* proponebatur haec formula: „. . . docet, hominem *rationis exercitio fruentem* posse Deum . . . naturali *ipsius* rationis lumine . . . cognoscere.“ (C. V. 120d.) Ipsis his verbis, nisi accedat aliunde proponentis explicatio, non patet, emendatorem favisse traditionalismo moderato. Hominem, qui rationis exercitio non fruatur, Deum certo cognoscere posse, profecto non definitur a Concilio. Eatenus tamen emendatio signum favoris traditionalismi mitioris continere videri potest, quatenus, quod explicite addi vult, necessario a semitraditionalistis vi systematis premendum est.

[2] Relatio etc. C. V. 130d sq.

[3] Cf. Ratio etc. C. V. 79c. d. Cf. supra p. 33. — Quaeri posset, num semitraditionalistae vi suae doctrinae ad supernaturalem Dei revelationem confugere cogantur, ut possibilitatem certae Dei cognitionis admittant. Id mihi non videtur. Singulas generationes dicunt propterea Deum exsistere certo cognoscere, quia ab antecedentibus generationibus educatae traditione humana ideam Dei acceperunt. Itaque quaeritur, quomodo primi homines eam acceperint. Hi cum corporibus plene evolutis a Deo creati, quod posteri, dum adolescunt, educatione accipiunt, a Deo, cum crearentur, accipere debebant. Scientia igitur iis infundenda erat. Haec autem scientiae infusio non erat supernaturalis revelatio, sed primis hominibus propter naturalem eorum exigentiam debita nec magis supernaturalis quam ipsa creatio,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Atque haec de traditionalismo. Videndum iam est, num *ontologismus* eo Constitutionis capite, quod explicamus, condemnetur. Ipsis definitionis verbis constat, eum saltem directe non condemnari. Iuvat tamen hoc loco notare, quid de illo systemate actum sit.

Voluit unus e Patribus deputationis de fide, in capite dici, Deum rationis naturali lumine, „non tamen directa visione“, e rebus creatis certo cognosci posse[1]. Id receptum non est. In Congregatione generali proposita est haec formula: Ecclesia docet, Deum, „licet lucem inhabitet inaccessibilem, eumque nullus hominum unquam viderit, sed nec videre possit, non solum facie ad faciem, quod solis in coelo beatis concessum est, sed nec simplici mentis nostrae intuitu, dum peregrinamur in corpore, naturaliter videri et contemplari liceat: tamen per speculum et in aenigmate, naturali sc. lumine rationis per res creatas veluti per gradus ad illum ascendendo, eius exsistentiam praecipuasque illius perfectiones certo cognosci posse etc.“[2] Quum emendationes in Congregatione generali propositae a deputatis Patribus examinarentur, unus eorum desideravit, ut doctrina ontologismo opposita, saltem indirecte, commemoraretur[3]. Id reiectum est, et Brixinensis, quum in Congregatione de emendationibus Patrum nomine deputationis relationem haberet, et ad illam, quam attulimus, emendationem pervenisset, „Haec emendatio“, inquit, „non potest admitti ex opinione deputationis fidei, et quidem iam ex ea formali ratione, quia gravissimum hoc systema ontologismi non potest quasi accidentaliter et incidenter pertractari; sed pro gravitate materiae debet Concilio proponi et debet deinde conciliariter tractari. Inde deputatio fidei exoptat, quod haec emendatio hic loci non approbetur; sed simul etiam dicit, quod exinde nullum praeiudicium debeat enasci quoad ipsum systema ontologismi, sed quod res maneat in pristino suo statu.“[4] Fere idem respon-

cuius erat quoddam quasi complementum. Itaque puto, semirationalistas suum systema ita evolvere posse, ut a Vaticano Concilio condemnati esse dici nequeant.

[1] Ex actis etc. C. V. 1652 c. [2] Emendationes etc. C. V. 120 c. d.

[3] Ex actis etc. C. V. 1672 a. b.

[4] Relatio etc. C. V. 128 d. — Post Sessionem, in qua habita est haec relatio, duo Patres, Xystus Cardinalis Riario Sforza, Archiep. Neapolit., et Ioachim Cardinalis Pecci, Episcopus Perusinus (postea Leo Papa XIII.), postulatum Concilio tradiderunt, quo, ut certa quaedam ontologismi species condemnaretur, petebant. Eius exordium hoc est: „In ea Sessione, in qua sermo habitus est de *ontologismo,* Excellentissimus et Reverendissimus Gasser, Episcopus Brixinensis, nomine Congregationis rebus fidei praepositae affirmabat, quaestionem illam non esse eo loco leviter et perfunctorie attingendam, sed alibi opportunius de ea agendum, ut tota res melius et plenius definiretur.

„Huic declarationi inhaerentes infrascripti Cardinales Episcopi, ne controversia nimis late pateat, damnandam proponunt illam dumtaxat ontologismi formam, quae aperte catholicae doctrinae opponitur et fundamentum est multorum errorum, qui nunc late pervagati sunt, et continetur in illa propositione: ‚Naturalis est homini cognitio Dei directa et immediata.‘

„Ex alia parte non videtur expedire, ut Concilium Vaticanum penitus de ontologismo sileat. Ex hoc enim silentio ontologistae statim vires resumerent, suas controversias restaurarent, ipsa Romanae Congregationis responsa (18. Septembris 1861) infirmarent, et huic Sedi turbas et molestias crearent. Cum vero S. R. U. Inquisitionis Congregatio (18. Septembris 1861) allatam propositionem tuto tradi non posse decreverit, et multi Episcopi (praesertim Neapolitani in sua epistola collectiva ad clerum saecularem et regularem 28. Iunii 1862) ontologismum graviter reprehenderint, Christi fideles huius damnationis confirmationem exspectare videntur: qui insuper mirarentur, ex totius orbis partibus Episcopos in Vaticanum Concilium coactos fuisse, ut pantheismum et rationalismum aliosque errores, quos per se ipsi cavere poterant, damnarent; errores vero illos, qui ad haec monstra viam sternunt, intactos reliquisse. Quapropter proponitur damnanda a Concilio Vaticano sequens propositio: ‚Naturalis est homini cognitio Dei immediata et directa‘.“ Sequuntur rationes. C. V. 849 b sqq.

[1] Emendationes etc. C. V. 127 a. Cf. Relatio etc. C. V. 153 a.

[2] Cf. G. C. Ubaghs, Theodiceae s. Theologiae naturalis elementa. Lovanii 1852. p. 66 sqq.

[3] Post Concilium d. 14. Dec. 1887 complures propositiones ontologisticae ex scriptis quibusdam, quae post obitum Antonii Rosmini Serbati eius nomine edita sunt, decreto s. Inquisitionis damnatae sunt, quod decretum a Summo Pontifice Leone XIII. confirmatum est. Cf. Acta s. Sedis XX. p. 397 sqq. — D. 18. Sept. 1861 s. Inquisitio iam declaraverat, aliquas propositiones ontologisticas tuto tradi non posse. Cf. Denzinger, Enchiridion n. 1516 sqq.

debat, quum ageret de hoc, qui propositus erat, canone: „Si quis dixerit, Deum per immediatam visionem seu intuitum in hac vita naturalibus viribus percipi posse, aut in illo omnia directe videri et contemplari, a. s.“[1]

Itaque Concilium ontologismum recipere noluit inter eas doctrinas, quas directe hoc decreto proscriberet. Nihilominus doctrinam definivit, cui ontologismus talis, qualis saltem in Belgio propositus est, immediate opponitur. Secundum hunc *sola* immediata Dei intuitione ratio humana Deum certo cognoscere potest, seu eum ex rebus creatis cognoscere non potest, nisi supposita hac intuitione[2]. Concilium Vaticanum autem definivit, Deum *naturali* humanae rationis lumine certo cognosci posse. Dicunt quidem ontologistae, ipsam Dei intuitionem homini naturalem esse; sed id falsum esse, theologice facile probatur[3].

Alia se offert hoc loco quaestio, quomodo ad decretum conciliare se habeat opinio, quae a doctis quibusdam viris in Germania proposita est, illa, qua ratio humana non quidem immediato Dei intuitu vel

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

revelatione, sed aliquo tamen adiumento indigeat, ut ex creaturarum consideratione ad certam Dei cognitionem pervenire possit, idea quadam, qua mens, antequam ex creaturis Deum cognoverit, eius quandam quasi iam adumbrationem videat rationis opera perficiendam, seu qua quodammodo verbi Dei vocales iam pronuntiet, quibus, quum Deum ex creaturarum consideratione cognoscat, addit consonantes. Negare solent hi viri docti, suppeditare argumenta, quibus ipsis vis plena insit Dei exsistentiae *demonstrandae*. Solam rationem, aiunt, per se spectatam, seu rationem, nisi adiumento illo augeatur, argumentis convinci non posse, Deum esse, adiutam vero ex creaturis Deum certo cognoscere.

Primo mihi respondendum videtur, non sibi proposuisse Patres, eam opinionem proscribere. Nec desunt signa, quibus id pateat. In schemate, quod Patribus deputatis primo proponebatur, primus canon hic erat: „Si quis negaverit, Deum . . . per ea, quae facta sunt, naturali ratione ab homine lapso certo cognosci et *demonstrari* posse, a. s.“ [1] Quanquam complures exhibebantur emendationes, in quibus vox demonstrandi vel probandi retinebatur [2], tamen canon mutabatur, et in schemate Congregationi generali exhibito vox demonstrandi omissa est [3]. Neque id casu accidit. Nam quum unus ex Patribus in discussione speciali capitis secundi proposuisset, ut diceretur „cognosci *et demonstrari*“ [4], Brixinensis respondit, emendationem eatenus plus continere quam textum, quatenus „non solummodo edicit, Deum naturali lumine certo *cognosci* posse, sed etiam hanc Dei exsistentiam *certo probari seu demonstrari* posse. Quamvis aliquatenus certo cognoscere et demonstrare sit unum idemque, tamen phrasim mitiorem deputatio de fide sibi eligendam censuit, et non istam duriorem“ [5]. Quum certe non fuerit inter deputatos, qui nescio qua opinione imbutus, Dei exsistentiam *firmis argumentis probari* posse negaverit, alia ratio, cur mitiorem phrasim elegerit et Patribus commendarit, esse vix potest, nisi haec, quod ab opinione illa perstringenda abstinere voluerit.

[1] Schema etc. C. V. 1631 d. [2] Ex actis etc. C. V. 1653 d sqq.
[3] Schema etc. C. V. 76 b. [4] Emendationes etc. C. V. 121 a.
[5] Relatio etc. C. V. 132 b. c. — Itaque recte animadvertit Paulus Schanz (Apologie des Christenthums I. p. 89), Concilium Vaticanum mitigasse verba, quae occurrant in propositionibus a Bautainio anno 1840 et a Bonnettio anno 1855 subscriptis, cum loco „probare“ ponat „cognosci posse“. Quod autem dicit, Concilium mitigasse verba etiam eo, quod loco „cum certitudine“ posuerit „certo“, id admitti nequit; „cum certitudine cognoscere“ et „certo cognoscere“ est plane idem, neque Patres illa distinguunt, neque illi, qui vocem „certo“ tolli, neque alii, qui eam retineri volunt (cf. Emend. etc. C. V. 224 d sq. 228 d. Relatio etc. C. V. 236 c sq.). — Propositio, quam subscribere iussus est Bonnettius, haec erat: „Ratiocinatio Dei exsistentiam . . . cum certitudine probare potest.“ Similem propositionem a se subscriptam Bautainius Superioribus ecclesiasticis obtulit.

Alia tamen quaestio haec est, num sententia illa cum doctrina verbis decreti expressa satis conveniat; de qua quaestione pauca addemus.

Quodsi id, quo mens ab illis viris doctis in quaerendo Deo adiuvari dicitur, nihil aliud intelligitur nisi naturalis mentis in Deum inclinatio seu eius ad Deum facile inveniendum aptitudo, nihil in illa sententia est, quod cum decreti verbis non conveniat.

Porro si quis cognitionem humanam putet explicari non posse, nisi admissis ideis innatis, ne is quidem, licet falsum profiteatur, cum decreto confligere dicendus est. Neque enim Concilium quidquam de origine idearum docet. Ita tamen, qui eas nobis indi docet, sententiam suam, ut eam cum decreto plane conciliet, explicare debet, ut non neget, a nobis *ex rebus creatis* Deum certo cognosci.

Quid vero, si quis dicat, in aliis quidem veritatibus indagandis, veluti in studio scientiae naturalis, mathesis, logicae, solam rationem per se sufficere, neque eam ad illas inveniendas indigere ideis inditis vel aliis adiumentis, Deum autem eam cognoscere non posse, nisi speciali divinitus concesso subsidio adiuvetur? Quid enim? Nonne Concilium Vaticanum, quum dicat, Deum lumine naturali rationis humanae e rebus creatis certo cognosci posse, lumen naturale rationis eam ipsam facultatem humanam intelligit, qua in mathesis, scientiae naturalis etc. veritates inquirimus? Secundum doctrinam autem, de qua agimus, haec ipsa facultas Deum cognoscere nequit, nisi superaddatur ei vis, quae ei ipsi per se non insit. Aliquo sane incommodo ea doctrina laborat. Quum tamen vis illa, licet non in caeteris veritatibus indagandis, sed in solo quaerendo Deo necessaria esse dicatur, inter naturalia auxilia referri debeat, illa doctrina cum decreto componi potest.

Id autem difficilius fuerit, si haec doctrina ita explicetur, ut auxilium illud non intelligatur *subiectivi* aliquid, sed aliquid *obiectivi*, quod per modum *obiecti* rationi proponatur. Nam qui id rationi necessarium esse docet, ut Deum certo cognoscere possit, is negat, rationem plene evolutam atque omnibus sibi propriis viribus auctam *e rebus creatis* Deum certo cognoscere posse. Ut Deum certo cognoscat, secundum illam opinionem adumbrationem Dei *aliunde* oblatam viderit necesse est; quae si deest — atque deesse potest — Deum cognoscere nequit; si adest, *e rebus creatis* non tam Deum certo cognoscit, quam adumbrationem Dei ei aliunde oblatam perficit.

A Concilio tamen directe petitur traditionalismus, ut supra exposuimus. Porro omnia condemnantur systemata, quibus ratione naturali certa Dei cognitio comparari posse negatur, id quod et ex ipsius decreti verbis et ex declaratione Patrum [1] liquet. Itaque condemnatur ea doctrina, quae in Anglia agnosticismi nomen invenit, et vul-

[1] Cf. supra p. 35.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gatissima illa inter Germaniae protestantes opinio, Deum, quum obiectum cognitionis sit, quod humanam cognitionem plane transcendat, a ratione humana certo cognosci non posse, sed ab animo humano non tam cognosci quam obscure quasi *sentiri*. Quod quidem non docent solum, qui supernaturalem revelationem negant, sed etiam, qui eam profitentur. Multi tamen ex his eam voce sola profitentur, re negant, quum ipsam illam Dei ad hominem relationem, qua se eius animo sentiendum praebeat, Dei revelationem dicant.

II. Altera erat quaestio, quid de Deo naturaliter cognosci posse diceretur.

In capite docetur, „Deum, *rerum omnium principium et finem*“, in canone, „Deum *unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum*“ naturali rationis lumine certo cognosci posse.

Haec eadem verba iam inerant in schemate, quod deputationis cura reformatum primo eius examini subiiciebatur[1]. In eo autem ipso examine deputationis, ut verba capitis mutarentur, postulatum est. Proposuit unus in primo examine, ut verba „principium et finem“ mutarentur in „Conditorem et Dominum“[2], et quum caput reformatum iterum examini subiiceretur, duo volebant, verba „rerum omnium principium et finem“ omitti, „quum Deus ut rerum omnium principium et finis naturali lumine rationis cognosci nequeat“[3]. Omnibus aliis tamen placuit tota prima paragraphus, atque tam capitis quam canonis verba in schemate, quod Patribus Congregationis generalis proponebatur, retenta sunt[4]. Verum in expositione rationis a Patribus deputationis in schematis reformatione servatae de canone adnotatur: „Etsi in canone legatur vocabulum ‚Creator‘, non ideo definitur, creationem proprie dictam ratione demonstrari posse; sed retinetur vocabulum, quo Scriptura (Sap. 13, 5) hanc veritatem revelans utitur, nihil ad eius sensum determinandum adiecto.“[5]

In Congregationis generalis discussione speciali capitis secundi eiusque canonum nulla videtur orta esse difficultas. Quum autem in Congregatione generali quadragesima quinta de tota Constitutione suffragia ferrentur[6], ab aliquibus Patribus emendationes vel conditiones suffragio „Placet“ adiectae sunt, quae superiora et capitis et canonis verba respiciunt.

Inter has emendationes in *caput* propositas prima (emendatio 51) haec est: „Non placet initium capitis secundi et ideo canon ipsi respondens. Aliud est enim dicere: rationem posse cognoscere ex creaturis exsistentiam, attributa Dei, ut docuit Apostolus illis verbis: ‚Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur‘, et in

[1] Schema etc. C. V. 1629 b. 1631 b. Cf. supra p. 15.
[2] Ex actis etc. C. V. 1652 d. [3] Ibid. C. V. 1655 b.
[4] Schema etc. C. V. 72 a. 76 b. [5] Ratio etc. C. V. 79 d. [6] V. supra p. 27.

multis locis suae Summae demonstrare videtur Angelicus; et aliud est dicere: rationem certo cognoscere posse Deum, rerum omnium principium et finem.

„Haec propositio est in suo conceptu satis complexa, et enunciationem eius non rectam, non veram esse opinor. Nullus etenim philosophorum, neque Aristoteles, neque Plato, neque Tullius, qui fere omnem rationis potentiam praemonstrarunt, adeo ut eorum vestigia hodierni philosophi sequantur, potuerunt cum certitudine cognoscere Deum principium et finem omnium rerum. Si nullus igitur philosophorum hoc cognoscere potuit absque commixtione multorum errorum, ut ex eorum theologia speculativa evidenter patet, unicuique fulget veritas non moralis, sed necessaria de impotentia humanae rationis perveniendi cum certitudine ad cognoscendum Deum, principium et finem omnium rerum; verissimum enim est et apud omnes acceptum Tullii effatum: ‚*Id, in quo omnis natura consentit, necesse est verum esse.*‘ Revera, ipso promulgato christianismo, pagani minime cognoscunt cum certitudine Deum, principium et finem omnium rerum, et fortasse ipsi catholici philosophia ac christiana doctrina nondum bene exculti.

„Quapropter ego arbitror, expungendum esse adverbium *certo;* res enim, quae cognoscuntur, certo cognoscuntur; adverbium ideo, quod superfluum est nobis, sed rationalistis perutile. Et sic, dum removetur apparens contradictio inter primam et secundam paragraphum, semper damnamus traditionalismum, et non videmur absolvere rationalismum, errorem illo peiorem.“[1]

Alia emendatio haec erat: „Placet (Constitutio), supprimendo voculam *certo,* quia quod sic dicitur, licet philosophice verum esse credam, non tamen mihi videtur ita clare certeque revelatum, ut dogmatice possit definiri.“[2]

Etiam tertia emendatione proponebatur, ut vox „certo“ omitteretur[3].

Similiter quoad *canonem* ab uno animadvertebatur: „Quatenus non supprimeretur vocula *certo,* supprimantur omnia, quae sequuntur vocem *Deum,* usque ad *facta sunt;* ne videamur dogmatice et sub anathemate definire: rationem naturalem sufficere posse ad cognoscendum cum *absoluta certitudine* (id est vel evidenter, vel per certam demonstrationem, cum aliter haberi nequeat certitudo rationalis): 1. *unitatem* Dei; 2. *veram* Dei naturam; 3. mysterium creationis proprie dictae, seu ex nihilo; — eaque omnia sic certo posse cognosci per solum etiam argumentum ex spectaculo huius mundi deductum.“[4]

Alius animadvertit: „Delenda videntur verba *Creatorem et Dominum nostrum:* qui etsi [ita] nominetur in Scripturis, praecise quando con-

[1] Emendationes etc. C. V. 224 c sqq. [2] Ibid. C. V. 225 a.
[3] Ibid. [4] Ibid. C. V. 228 d sq.

sideratur in relatione ad creaturas, ideoque verba illa, uti casus appositionis, possent retineri, attamen apposita in canone inducunt illam quaestionem, quae in adnotatione vitanda dicitur, utrum scilicet rerum creatio sola ratione certo cognosci possit. At in canonibus, in quibus per damnationem erroris contrarium dogma catholicum definitur, nullus dandus est locus ambagibus, ne errantibus relinquatur effugium, ac, dogmate ipso in ambiguitate versante, suprema sinceris fidelibus ingeneretur anxietas, an scilicet in hoc vel illo sensu illud retinendo, idipsumne sentiant ac sancta mater Ecclesia, an ab illius doctrina longe aberrent.“ [1]

Iam videamus, quid nomine deputationis respondeat Brixinensis.

Quoad ea, quae in *caput* proposita erant, „auctores huius exceptionis“, inquit, „multum anguntur animo, quod enuntietur in capite secundo, Deum, principium et finem omnium rerum, lumine naturali ab homine certo cognosci posse; et non acquiescunt hi Rmi Patres, quamvis ipsis dicatur, agi in hoc capite solummodo de homine in genere, quidquid sit de singulis; non acquiescunt, quum ipsis dicitur, agi solummodo de potentia, utique non mere passiva sed activa, Deum lumine naturali certo cognoscendi: sed instant, potentia, quae nunquam deducitur ad actum, potius dicenda impotentia, et quidem non solummodo moralis sed physica. Iam potentia ista Deum lumine naturali cognoscendi est talis potentia, quae nunquam ad actum deducta est, nam sub n. 51 [in prima illa emendatione] dicitur: ‚Nullus etenim philosophorum, neque Aristoteles, neque Plato, neque Tullius, qui fere omnem rationis potentiam praemonstrarunt, adeo ut eorum vestigia hodierni philosophi sequantur, potuerunt cum certitudine cognoscere Deum principium et finem omnium rerum.‘ Hinc concludunt, doctrina ista non potest admitti, quod homo lumine naturali possit certo cognoscere Deum omnium rerum principium et finem.

„Quid dicam de hoc syllogismo? Quoad maiorem dico *transeat,* quamvis, si responsio integra danda esset, certe etiam haec maior bene esset distinguenda. Sed mitto maiorem et nego minorem, scilicet quod nullus unquam philosophorum Deum omnium rerum principium et finem certo cognoverit. In parvula bibliotheca, quam hic Romae paravi, habeo etiam scholia graeca in Aristotelem, in lucem edita curante Brandisio ex academia Borussica; in eadem bibliotheca possideo Ethica Eudemia Aristotelis in editione pulcherrima Fritzschii, quae Ethica, quamvis fuerint opus discipuli Aristotelis, scilicet Eudemi Rhodii, tamen iuxta consensum omnium doctorum ex mente Aristotelis expressa sunt. Iam quid videtur in his scholiis et in his Ethicis? Scholiastes graecus ad finem Physicorum Aristotelis haec verba adiicit, et peto, Rmi Patres, ut ea bene notetis. Dicit, omnia quae Aristoteles

[1] Emendationes etc. C. V. 229a.

in libris Physicorum habet, eo tendere, ut doceat, Deum esse mundi et etiam coeli causam non solummodo finalem, sed etiam efficientem. Verba scholiastae haec sunt: ‚Aristotelem omnem de principiis physicis institutionem in eminentem theologiam tanquam in apicem reduxisse, demonstrando, omnem physicam et corporalem constitutionem dependere ab incorporali et intellectuali bonitate, quae supra naturam posita est, et Deum esse non solummodo causam finalem, sed efficientem totius mundi et etiam coeli.‘ Haec habentur in istis scholiis.

„Quis, Rmi Patres, negare poterit, Aristotelem reapse cognovisse Deum omnium principium et finem? In Ethicis Eudemi, et quidem libro VIII., sequentia habentur; dicit ibidem discipulus Aristotelis ex mente magistri sui, Deum esse principium in animo hominis cogitantis, sicuti est in mundo universo: ideo illos homines prudentes et sapientes videri, qui, quod agendum sit, celeriter quasi vaticinio quodam perspiciunt: ‚Nam (sunt verba ipsissima) Deus et futura cernit, et rerum naturam veram intuetur, et ea, quae se huic nostrae humanae rationi subducunt, eique recondita sunt, perspecta habet.‘ Demum in fine Ethicorum virtutis humanae finis seu virtus humana subsequenti ratione describitur: ‚Omnibus numeris absolutam honestatem hominis seu virtutem in eo consistere, ut omni respectu naturae suae rationalis mandatis Dei gubernatoris et principis pareat; bona vero externa, opes, amicos, bona corporis et reliqua id genus, ita expetat hisque ita utatur, ut his iuvet et augeat contemplationem Dei.‘ Et in fine addidit: ‚Qui vero aut parum aut immodice quaerit bona externa, eoque efficit, ut in Dei cultu atque in Dei contemplatione impediatur, huius pravum est studium.‘ Ergo iuxta Aristotelem omnes virtutes hominis tum intellectuales tum morales referuntur ad Deum; et quidem intellectuales referuntur ad contemplationem Dei, morales vero ad cultum Dei. Quis haec intuendo negare poterit, Aristotelem cognovisse certo Deum omnium principium et finem?

„Quoad Platonem utique notissimum est, quod ipse finem hominis posuerit in imitatione Dei, quantum fieri potest. Verum utique est, quod eae meliores et puriores de Deo et rebus divinis cognitiones parum vel nihil attulerint ad commune commodum; nam eae cognitiones tanquam placita philosophorum clausae manserunt inter portas Academiae et Lycei, et ibidem magis inserviebant disputationi philosophicae quam emendationi morum. Sed hac re solummodo confirmatur verissimum illud verbum Apostoli ad Romanos, ubi de sapientibus ethnicis dicit: ‚*Qui cum cognovissent Deum, non sicuti Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.*‘ Et bene notate, Rmi Patres, Apostolus, cum hoc in loco dicit, quod cognoverint Deum, hanc cognitionem derivat ex speculo creaturarum, nam in praecedentibus de sola hac cognitionis methodo sermo est. Et non potest dici, quod habuerint ethnici philosophi etiam semina

traditionis, quidquid sit hac de re, de qua multum disputatum est et disputari potest; sed apostolus Paulus, cum haec scribit, nonnisi ad cognitionem Dei naturalem per speculum creaturarum respicit. Ergo, Rmi Patres, certe causa iusta nulla adest, cur animo angantur Patres enunciando verba illa ‚hominem lumine naturali posse certo cognoscere Deum, rerum omnium principium et finem'." [1]

Quum de emendationibus in *canonem* propositis ageret, Brixinensis aiebat, quod de capitis emendationibus dixisset, id etiam in priorem illam canonis emendationem valere [2]. De altera canonis emendatione haec animadvertit: „Rmus auctor huius exceptionis vult deleri ‚Creatorem et Dominum nostrum' in canone primo, et quidem ea ex ratione, ne videamur directe dicere, creationem omnium rerum proprie sic dictam sola ratione certo cognosci posse, ita quidem, ut anathemate damnandus sit ille, qui contrarium teneat; et infert, quod creatio proprie sic dicta lumine naturali cognosci non possit, sicut historia philosophica testatur. Rmi Patres, verum est, quod tempore S. Bonaventurae multum disputatum fuerit et disceptatum in scholis catholicis, utrum philosophi antiqui gentiles creationem mundi ex nihilo cognoverint necne: sed hac de re omnes conveniunt, quod saltem potuerint cognoscere Deum creatorem. Et reapse ni fallor, si verum sensum saltem Aristotelis assecutus fuerim, Aristoteles multo magis in eo erravit, quod crediderit, mundum esse aeternum, quam quod crediderit, mundum non fuisse creatum a Deo. Utique uterque error aliquo interiori nexu inter se connectitur. Deputatio de fide vero putavit, non sibi licere resecare in canone vocem ‚Creatorem', quia in libro Sapientiae vox ista omnino adhibetur; et vocem Sacrae Scripturae resecare, cum agatur de re prorsus eadem, deputatio de fide licitum non putavit." [3]

Itaque ostendit Brixinensis, verba illa recte retineri, eiusque expositionem comprobarunt Patres.

Definitum igitur est, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, rerum omnium principium et finem, naturali nostrae rationis lumine certo cognosci posse; non autem definitum est, naturaliter certo cognosci posse, eum res creatione proprie dicta, i. e. ex nihilo seu non proiacente materia produxisse. Id in canone non definiri, licet ibi occurrat vox Creatoris, aperta deputationis declaratione constare supra [4] vidimus. Patet autem, id ad caput, in quo Deus principium rerum omnium naturaliter certo cognosci posse dicitur, transferri debere.

[1] Relatio etc. C. V. 236 b sqq. [2] Ibid. C. V. 243 a.
[3] Ibid. C. V. 243 a. b. [4] P. 42.

COMMENTATIO III.

Quid Concilium Vaticanum de S. Scriptura definierit.

Concilium Vaticanum, postquam duabus primis paragraphis capitis secundi de revelationis veritate et de commodis ea oblatis eiusque necessitate egit, duabus ultimis agit de fontibus, quibus veritates revelatae continentur, de Traditione et S. Scriptura.

Doctrina, quam de S. Scriptura proponit, continentur tria, quorum primum ad eius ambitum, alterum ad inspirationem, tertium ad interpretationem eius refertur. Ad haec tria illustranda aliqua ex actis Concilii afferemus, quibus alia quaedam, quae doctrinam Concilii explicare videantur, addere liceat.

I. Ac *de ambitu* quidem Concilium iterum proponit, quod Tridentinum Concilium proposuerat: *„Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem* (Tridentini) *Concilii decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis recipiendi sunt."*

In hac definitione explicanda unum monendum est, veterem vulgatam latinam editionem non esse exclusis aliis editionibus seu exemplaribus intelligendam Clementis VIII. editionem, sed eam ipsam versionem, quam commemorat Concilium Tridentinum, quum non iam exstaret editio auctoritate pontificia facta. Quod quidem, quum ex ipso decreto colligi possit, constat etiam ex documentis. Quum enim unus ex Patribus proposuisset, ut reciperetur „prout . . . in vulgata latina editione Clementis VIII. auctoritate promulgata habentur" [1], Brixinensis, deputationis relator, id recipi posse negavit. Addit: „Vulgata latina ab ipso Concilio (Tridentino) declarata tanquam authentica et emendationes factae per Pontifices subsequentes, cum res sint omnino differentes, non debent confundi; eo minus debent, quia, ut nostis, in ipsa praefatione huius editionis anni 1592 dicitur, quod emendatio hucusque non omnibus numeris absoluta dici possit, et quod quaedam studio sint relicta, quae emendanda fuissent ex causis, quae ibidem afferuntur." [2]

II. *Inspirationis* haec est Concilii definitio: „Eos (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt."

Declaratur igitur imprimis, ut theologi adnotant ad schema de doctrina catholica [3], *„quis sensus non sit* genuinus dogmatis, secundum

[1] Emendationes etc. C. V. 123 b. [2] Relatio etc. C. V. 141 d sq.
[3] C. V. 522 a sqq. Cf. Ratio etc. C. V. 79 d sq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

traditionis, quidquid sit hac de re, de qua multum disputatum est et disputari potest; sed apostolus Paulus, cum haec scribit, nonnisi ad cognitionem Dei naturalem per speculum creaturarum respicit. Ergo, Rmi Patres, certe causa iusta nulla adest, cur animo angantur Patres enunciando verba illa ‚hominem lumine naturali posse certo cognoscere Deum, rerum omnium principium et finem'." [1]

Quum de emendationibus in *canonem* propositis ageret, Brixinensis aiebat, quod de capitis emendationibus dixisset, id etiam in priorem illam canonis emendationem valere [2]. De altera canonis emendatione haec animadvertit: „Rmus auctor huius exceptionis vult deleri ‚Creatorem et Dominum nostrum' in canone primo, et quidem ea ex ratione, ne videamur directe dicere, creationem omnium rerum proprie sic dictam sola ratione certo cognosci posse, ita quidem, ut anathemate damnandus sit ille, qui contrarium teneat; et infert, quod creatio proprie sic dicta lumine naturali cognosci non possit, sicut historia philosophica testatur. Rmi Patres, verum est, quod tempore S. Bonaventurae multum disputatum fuerit et disceptatum in scholis catholicis, utrum philosophi antiqui gentiles creationem mundi ex nihilo cognoverint necne: sed hac de re omnes conveniunt, quod saltem potuerint cognoscere Deum creatorem. Et reapse ni fallor, si verum sensum saltem Aristotelis assecutus fuerim, Aristoteles multo magis in eo erravit, quod crediderit, mundum esse aeternum, quam quod crediderit, mundum non fuisse creatum a Deo. Utique uterque error aliquo interiori nexu inter se connectitur. Deputatio de fide vero putavit, non sibi licere resecare in canone vocem ‚Creatorem', quia in libro Sapientiae vox ista omnino adhibetur; et vocem Sacrae Scripturae resecare, cum agatur de re prorsus eadem, deputatio de fide licitum non putavit." [3]

Itaque ostendit Brixinensis, verba illa recte retineri, eiusque expositionem comprobarunt Patres.

Definitum igitur est, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, rerum omnium principium et finem, naturali nostrae rationis lumine certo cognosci posse; non autem definitum est, naturaliter certo cognosci posse, eum res creatione proprie dicta, i. e. ex nihilo seu non proiacente materia produxisse. Id in canone non definiri, licet ibi occurrat vox Creatoris, aperta deputationis declaratione constare supra [4] vidimus. Patet autem, id ad caput, in quo Deus principium rerum omnium naturaliter certo cognosci posse dicitur, transferri debere.

[1] Relatio etc. C. V. 236 b sqq. [2] Ibid. C. V. 243 a.
[3] Ibid. C. V. 243 a. b. [4] P. 42.

COMMENTATIO III.

Quid Concilium Vaticanum de S. Scriptura definierit.

Concilium Vaticanum, postquam duabus primis paragraphis capitis secundi de revelationis veritate et de commodis ea oblatis eiusque necessitate egit, duabus ultimis agit de fontibus, quibus veritates revelatae continentur, de Traditione et S. Scriptura.

Doctrina, quam de S. Scriptura proponit, continentur tria, quorum primum ad eius ambitum, alterum ad inspirationem, tertium ad interpretationem eius refertur. Ad haec tria illustranda aliqua ex actis Concilii afferemus, quibus alia quaedam, quae doctrinam Concilii explicare videantur, addere liceat.

I. Ac *de ambitu* quidem Concilium iterum proponit, quod Tridentinum Concilium proposuerat: *„Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem* (Tridentini) *Concilii decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis recipiendi sunt."*

In hac definitione explicanda unum monendum est, veterem vulgatam latinam editionem non esse exclusis aliis editionibus seu exemplaribus intelligendam Clementis VIII. editionem, sed eam ipsam versionem, quam commemorat Concilium Tridentinum, quum non iam exstaret editio auctoritate pontificia facta. Quod quidem, quum ex ipso decreto colligi possit, constat etiam ex documentis. Quum enim unus ex Patribus proposuisset, ut reciperetur „prout . . . in vulgata latina editione Clementis VIII. auctoritate promulgata habentur" [1], Brixinensis, deputationis relator, id recipi posse negavit. Addit: „Vulgata latina ab ipso Concilio (Tridentino) declarata tanquam authentica et emendationes factae per Pontifices subsequentes, cum res sint omnino differentes, non debent confundi; eo minus debent, quia, ut nostis, in ipsa praefatione huius editionis anni 1592 dicitur, quod emendatio hucusque non omnibus numeris absoluta dici possit, et quod quaedam studio sint relicta, quae emendanda fuissent ex causis, quae ibidem afferuntur." [2]

II. *Inspirationis* haec est Concilii definitio: „Eos (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt."

Declaratur igitur imprimis, ut theologi adnotant ad schema de doctrina catholica [3], *„quis sensus non sit* genuinus dogmatis, secundum

[1] Emendationes etc. C. V. 123 b. [2] Relatio etc. C. V. 141 d sq.
[3] C. V. 522 a sqq. Cf. Ratio etc. C. V. 79 d sq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod omnes libri Scripturae credendi sunt *sacri* et *canonici*. Duplex nimirum error expresse designatur, primum eorum, qui vel universim, vel de aliquibus libris inter illos, quos *omnes cum omnibus suis partibus* Concilium Tridentinum sacros et canonicos esse definivit, affirmant, eos primitus scriptos esse tantummodo ingenio et industria humana, sed propter res, quas continent, ab Ecclesia sive iam mosaica sive christiana inter libros canonicos recensitos esse, et eatenus habendos esse ut sacros; tum excluditur error alter, quo libri Scripturae non ratione originis ipsorum librorum seu ratione scriptionis, sed solum ratione materiae, quod sine errore continent veritates revelatas, sacri et divini esse dicuntur.

„Sequitur deinde positiva declaratio doctrinae catholicae, quo sensu omnes libri Scripturae et ob quam rationem eis intrinsecam fuerint ab Ecclesia *sacri* declarati, et iam hoc ipso in canonem relati. Ratio nimirum est ex divina origine seu scriptione ipsorum librorum. Haec vero scriptio divina declaratur, quod 1. libri conscripti sunt *inspirante* Spiritu Sancto. Erat igitur supernaturalis operatio Spiritus Sancti in homines ad ipsos libros scribendos. 2. Ex hoc ipso quod actio Spiritus Sancti referebatur ad scribendos libros per homines ad hoc opus inspiratos, ipsi libri sunt et ab Apostolo dicuntur *Scriptura divinitus inspirata*. 3. Denique actio illa inspirationis erat huiusmodi, ut Deus sit *librorum auctor seu auctor scriptionis*, ita ut ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae in homine et per hominem agenti, et proinde libri contineant *scriptum verbum Dei*.

„Hoc modo inspirationem Scripturae in Ecclesia Dei semper intellectam et intelligendam esse, demonstrat 1. SS. Patrum consensus. Dicunt enim, *Scripturas esse conscriptas per Spiritum Sanctum vel per operationem Spiritus Sancti*[1], *esse litteras Dei ad homines missas*[2], *Scripturas esse a Deo dictas*[3], *esse a Deo vel operatione Dei datas vel conditas*[4],

[1] Origen. de Princip. praefat. n. 8. coll. 4; contra Cels. l. V. n. 60 (Migne P. Gr. XI, 119, 118; 1275); Theophil. Antioch. ad Autolyc. II. n. 9; III. n. 12 (ibid. VI, 1063; 1138); Athanas. praef. in Ps. n. 2. 9. 10 (ibid. XXVII, 11, 18, 19); August. Civ. Dei XVIII. c. 41. n. 1 (Migne P. L. XLI, 600); Chrysostom. in Gen. hom. 21. n. 1 (Migne P. Gr. LIII, 175); Theodoret. in Ps. praefat. (ibid. LXXX, 862); PP. Concilii V. (Collect. Mansi t. IX. p. 223).

[2] Chrysost. in Gen. hom. 2. n. 2 (Migne P. Gr. LIII, 28); Aug. serm. 2. in Ps. 90. n. 1; enarrat. in Ps. 149. n. 5; Gregor. M. l. IV. ep. 31. ad Theodor. (Migne P. L. XXXVII, 1159; 1952; LXXVII, 706).

[3] Clem. Rom. ep. 1. ad Cor. c. 45; Iren. l. II. c. 28. n. 2; Hippolyt. contr. Noet. n. 9 et apud Euseb. H. E. l. V. c. 58 (Migne P. Gr. I, 299; VII, 805; X, 818; XX, 518).

[4] Clem. Alex. Strom. II. p. 362 (ed. 1641. Migne VIII, 942); Gelasius Pontifex in Conc. Rom. (Mansi Supplement. t. I. p. 357).

homines in iis scribendis fuisse instrumenta sub operatione divini Spiritus[1]. — 2. In specialibus documentis authenticis fidei Ecclesiae explicite dicitur Deus profitendus *auctor librorum* utriusque Testamenti. In professione fidei Episcopis ordinandis praescripta in Concilio Carthag. IV.[2], quae ab iis adhuc nunc editur (Hard. Collect. t. I. c. 978), in professione fidei a Leone IX. missa ad Petrum Antiochen. (ibid. t. VI. P. I. c. 954), in symbolo Graecis proposito in Concilio Lugdun. II. (ibid. t. VII. c. 665) haec fides enuntiatur: ‚Credo (credimus) etiam *novi et veteris Testamenti, Legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.*‘ Adhuc expressius in Concilii Florentini decreto pro Iacobitis idem declaratur: Sacrosancta Romana Ecclesia ‚*unum atque eundem Deum veteris et novi Testamenti, h. e., Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur*, qui titulis sequentibus continentur‘ (sequitur recensio omnium librorum, ut in canone Tridentino). Hic igitur dicitur Deus auctor Legis, Prophetarum et Evangelii, quatenus conscriptores omnium librorum S. Scripturae locuti sunt (scribendo nempe ipsos libros) Spiritu Sancto inspirante: proinde talis est inspiratio ad scribendum, ut Deus sit auctor librorum. Porro ipsum Concilium Tridentinum in Sess. IV. hoc decretum Synodi Florentinae prae oculis habuit (Pallavicin. l. VI. c. XI. n. 11). Eodem igitur sensu intelligi debent verba Tridentini: ‚Omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, *cum utriusque unus Deus sit auctor* . . . suscipit et veneratur.“

Quum igitur Concilii Tridentini definitio per se, nisi cum Florentini decreto comparetur, videri possit Deum auctorem dicere utriusque Testamenti, sc. foederis vel oeconomiae, Concilii Vaticani definitione omne excluditur falsae explicationis periculum, quum hac Deus aperte dicatur *librorum* utriusque Testamenti auctor.

Orta est in discussionibus Concilii etiam quaestio de celeberrima *sententia Lessii* et aliquorum eius aequalium, praesertim Lovaniensium[3].

[1] Iustin. Cohort. ad Graec. n. 8; Athenagor. Legat. n. 9; Origen. de Princip. l. IV. n. 6 (Migne P. Gr. VI, 255. 907; XI, 354); Ambros. ep. 8. n. 1. ad Iust.; Cassiodor. Institut. div. litt. c. 13. 14 (al. 16); Gregor. M. in Iob praef. n. 2. 3 (Migne P. L. XVI, 912; LXX, 1131; LXXV, 517).

[2] Haec professio fidei, quae inter acta Concilii IV. Carthag. a. 398 continetur, non videtur praescripta esse a Concilio quodam Carthag. a. 398, quod num omnino habitum sit, dubitatur; est tamen antiquissima, sc. saeculi V. vel certe VI. Cf. Hefele, Conciliengeschichte (2. Aufl.) II, p. 68.

[3] De hac sententia cf. I. Kleutgen S. I., R. P. Leonardi Lessii S. I. de divina inspiratione doctrina e documentis magnam partem ineditis illustrata et ponderata. (Habetur libellus etiam tanquam appendix in G. Schnee-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quum enim aliqui putarent, primo definitionis membro illorum de inspiratione doctrinam condemnari, Brixinensis id falsum esse ostendit. „Doctrina," inquit, „quae primo in nostro capite notatur, nullatenus debet confundi cum doctrina Lessii et Lovaniensium; cum doctrina ipsa, utut sit erronea, tamen non sit eadem, quam nos in schemate nostro proscribimus. Lessius enim inductus fuit ad hanc sibi efformandam, de qua quaestio est, ideam de libro inspirato per illam agendi rationem protestantium, qui inspirationem, ut iam dixi, extenderunt non solummodo ad singulas sententias, sed etiam ad singulas voces, et proinde librum ex. gr. secundum Machabaeorum ideo reiecerunt, quia auctor huius libri dicit, se compendium quoddam perfecisse ex libro historico maiore Iasonis, et ex ipsis verbis auctoris apparet, quod utique humana industria adhibita hoc confecerit. Iam Lessius opposuit, forsitan fieri posse (dico fieri posse, quia solummodo de possibilitate agitur), quod liber humana industria exaretur; sed semper haec duo adiunxit, scilicet quod auctor instinctu divino incitatus accesserit ad opus hoc conficiendum, et secundo quod a Deo, ad finem saltem opere perfecto, pronuncietur, in libro isto nil erronei contineri. Ergo non de approbatione Ecclesiae egit Lessius, sed de approbatione seu revelatione ipsius Dei[1].

„Deus utique, quamvis sententia Lessii sit erronea, potest auctoritate sua librum confectum ita confirmare, ut liber iste divinus sit, ut ipse tanquam auctor huius operis appareat[2]; sed Ecclesia hoc nullatenus agere potest. Verba Lessii, ut ea solummodo proferam, sunt clarissima: ‚Nos docemus,' ait, ‚ut aliquid sit Scriptura Sacra, non esse necessarium, ut omnia verba, aut omnes omnino sententiae sint auctori positive et immediate inspirata a Spiritu Sancto, proponente et formante in ipsius intellectu singula verba ac singulas sententias scribendas; sed sufficere, ut auctor hagiographus divinitus instructus ad scribendum ea, quae vidit, audivit vel aliter novit, habeat infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, quae non permittat eum falli etiam in iis, quae cognoscit relatione, experientia aut ratione naturali: ab hac enim assistentia Spiritus Sancti habet Scriptura, ut sit infallibilis veritatis.

mann S. I., Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus.)

[1] Subtiliter animadvertit Kleutgen (l. c. n. 29): „Synodus decernit, qua de causa Ecclesia veteris novique foederis libros, quos veneratur, pro sacris et canonicis habeat, quae est *quaestio facti;* cum Lessius examinet, qua de causa liber quispiam pro sacro et canonico haberi possit, quae est *quaestio iuris.* Itaque vel propter hanc rationem Concilium non Lessii assertionem reprobavit."

[2] Potest Deus subsequente approbatione suam auctoritatem libro tribuere. Auctor tamen eius ita fieri non potest eo sensu, quo scriptor libri dicitur eius auctor.

Denique si aliquod opus pium et salutare, humana industria ex divino instinctu compositum, publico testimonio Spiritus Sancti approbaretur tanquam in omnibus suis partibus verissimum, tale opus habiturum auctoritatem aeque infallibilem atque Scripturam Sacram.' Sed expresse iterum adnotavit, se hocce solummodo dixisse, quod possibile, non autem quod reapse in corpore et canone Scripturae Sacrae talis liber inveniatur. Cum enim ex quadam negligentia ipse mentionem fecisset de libro secundo Machabaeorum, quasi liber iste tali ratione fuerit confectus, postmodum hoc omnino retractavit, equidem dicens, se non dixisse ex seipso, sed ratione habita adversariorum, qui impugnabant hunc librum, quasi humana industria fuerit exaratus: ergo sententia illa, quae hic damnatur, nullo modo debet confundi cum sententia Lessii et Lovaniensium."[1]

Alia quaestio oriri potest et orta est in Concilio Vaticano, num vel quomodo liber canonicus ab inspirato differat. Indicari videtur discrimen in ipso decreto, quum Ecclesia illos libros „pro *sacris et canonicis*" habere dicatur, „quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem,* atque *ut tales ipsi Ecclesiae traditi* sunt". Prius enim illud profecto sufficit, ut libri habeantur pro *inspiratis;* alterum praeterea requiri videtur, ut sint etiam *canonici.*

Sed in relatione nomine deputationis habita Brixinensis, quum ad tertiam paragraphum pervenisset, animadvertit[2]: „Hac occasione non possum non advertere, quod in schemate nostro liber canonicus idem sit ac liber sacer seu inspiratus: quum tamen videatur unus alterve Rm̃orum Patrum aliquam admittere distinctionem inter librum canonicum et inspiratum, paucissima hac de re dicam." Affert deinde aliqua documenta antiquitatis christianae, quibus libri inspirati dicuntur iidem canonici et contra canonici inspirati.

Quum autem de integro schemate suffragia rogarentur, unus ex Patribus suo „Placet" conditionem adiecit, ut locus supra commemoratus mutaretur et clarius enuntiaretur, quod discrimen inter librum canonicum et inspiratum exstaret. „Ratio *canonici* derivatur ex eo," inquit, „quod Ecclesia, librorum divinitate (ex Traditione) recognita, illos in canonem recenset et uti sacros recipiendos esse declarat." „Ad rem: Concilium Tridentinum libros illos ut *sacros* se suscipere ac venerari dicit, et posteaquam illorum indicem recensuit, anathemate percellit eos, qui pro sacris et *canonicis* eosdem non receperint." Propterea emendator conclusionem definitionis proponit hanc: „. . . atque ut tales ab ipsa Ecclesia accepti, in canonem sunt relati ac fidelibus propositi"[3].

Locum emendandum esse nomine deputationis negat Brixinensis. Quoad discrimen autem inter libros canonicos et inspiratos aliquid

[1] Relatio etc. C. V. 140a sqq. [2] Ibid. C. V. 138d sqq.
[3] Emendationes etc. C. V. 225d sq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

concedit. „Reapse“, inquit, „quoad etymologiam est discrimen inter has voces; imo etiam in hypothesi potest distingui inter librum canonicum et inspiratum seu potius vice versa: sed in concreto, sicut nos loquimur de libris sacris veteris et novi Testamenti, nullum datur discrimen inter libros canonicos et inter libros inspiratos seu sacros.“ [1]

Itaque licet voces inter se converti possint, quum omnes libri inspirati iidem sint canonici et vice versa, tamen conceptus formales sunt diversi atque hypothesis fingi potest, qua liber inspiratus non sit canonicus. Si vero quaerimus, quale inter eos sit discrimen, id, ut supra innuimus, satis in ipsa definitione indicatum est. Neque enim id plane repugnare patet, Deum hominem ad librum scribendum ita inspirare, ut ipse Deus sit libri auctor, licet eum Ecclesiae tanquam publicum eius librum tradere noluerit. Ea in hypothesi liber inspiratus quidem et sacer est, sed canonicus non est. Κανών est regula, amussis. Patres a primis christianae religionis saeculis haereticorum placitis opposuerunt doctrinam apostolica aetate Ecclesiae traditam tanquam canonem seu regulam fidei vel canonem ecclesiasticum, unde iam Irenaeus Evangelium S. Ioannis regulam veritatis appellavit [2]. Solebat mox scriptura vocari canonica. Inter Latinos autem tempore SS. Hieronymi et Augustini vox canonis ita usurpari coepta est, „ut sacrorum librorum collectionem, vel potius omnes eos libros designaret, qui publice in coetibus religiosis ceu sacri et divinitus inspirati praelegebantur“ [3]. Postea etiam catalogus horum librorum canon appellabatur.

Liber canonicus igitur est liber, qui non solum inspiratus, sed etiam Ecclesiae tanquam inspiratus ac publicus eius liber traditus est. Neque quidquam prohibet, quominus in conceptum libri inspirati etiam illud recipiamus, quod emendator eo contentum esse voluit, sc. librum ab Ecclesia etiam fidelibus propositum esse, quod vix quidquam addit. Nam tum solum Ecclesiae plene traditus est, quando ab auctoritate ecclesiastica omnibus fidelibus tanquam regula fidei proponitur. Cum hoc plane congruit, quod, ut supra notavimus, theologi schemati de doctrina catholica addunt: „Sequitur (in definitione) . . ., quo sensu omnes libri Scripturae et ob quam rationem eis intrinsecam fuerint ab Ecclesia *sacri* declarati, et iam hoc ipso in canonem relati.“ Etenim collectio librorum eorumque catalogus usu iam antiquo vocatur canon, quanquam canonicitas iam antea singulis tribuebatur libris. Si quis igitur propterea libros vult appellare canonicos, quia ab Ecclesia in collectionem referuntur vel in canone enumerantur, non errat, quum Ecclesia eos tanquam inspiratos proponit eo praecise, quod eos

[1] Relatio etc. C. V. 239 d sq. [2] C. haer. III. c. 11 (Migne P. Gr. VII, 880).

[3] R. Cornely, Historica et critica introductio in U. T. libros sacros I, p. 24 sqq. V. Patres ibi citatos.

in canonem refert, seu in catalogo enumerat. Si vero diserte ipsum essentiale indicandum est, quod libri alicuius proprium esse debet, ut non solum sit sacer et inspiratus, *sed etiam canonicus*, recte dicetur requiri, ut non solum Spiritu Sancto inspirante conscriptus Deum habeat auctorem, sed etiam, *ut talis ipsi Ecclesiae tanquam catholicae fidei regula sit traditus.*

III. Concilium Tridentinum decreverat, „ut nemo . . . in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium Sacram Scripturam . . . contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia . . . aut etiam contra unanimem consensum Patrum . . . interpretari audeat“. Concilium Vaticanum, quum hoc decretum renovat, eius sensum ita explicat, ut, quod Tridentinum *negative* enuntiavit, *positive* dicat: „Hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia.“ Tridentini enim decretum aliqui falso explicarunt, sc. „id, quod Concilium vetat Scripturam interpretari *contra sensum*, quem tenuit et tenet Ecclesia, ita intelligendum esse aiunt, ut solummodo fas non sit interpretando Scripturas dogma aliquod fidei ab Ecclesia definitum excludere et negare. Quamvis e. g. constet, textum Iac. 5, 14 ab Ecclesia intelligi de Sacramento extremae unctionis, iuxta haec principia sensus iste Ecclesiae non necessario esset norma interpretationis, sed posset aliquis libere negare, hunc sensum textui inesse, dummodo non neget ipsum dogma, extremam nempe unctionem esse Sacramentum novae Legis. Quare necesse est ad huiusmodi petulantia ingenia coercenda, supremam illam interpretationis catholicae normam, quae est iudicium et consensus Ecclesiae de vero sensu Scripturarum, ita proponere, ut manifestum sit, 1. non de re mutabilis disciplinae, sed incommutabilis dogmatis hic agi [1]; 2. non solum excludi interpretationem, quae contradictorie opponatur sensui, quem Ecclesia alicui Scripturae loco subesse doceat, sed etiam necesse esse, ipsum illum sensum ab Ecclesia retentum habere ut verum sensum Scripturae“ [2].

Hunc etiam Tridentini decreti sensum esse patet. Etenim „dum Concilium Tridentinum statuit, non licere Scripturam interpretari ‚contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia‘, satis indicat, illum sensum esse verum et pro vero habendum; addit enim continuo: ‚Cuius (Ecclesiae) est *iudicare* de *vero* sensu et interpretatione Scripturarum.‘ Unde etiam in professione fidei a Pio IV. edita forma positiva dicitur: ‚Sacram Scripturam *iuxta eum sensum,*

[1] Id aliqui contenderant. V. Annotationes ad schema de doctrina catholica. C. V. 523 b sqq.

[2] Ita in iisdem annotationibus ibid. Cf. Relatio etc. C. V. 143 d sq.

quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto.“ [1]

Quae in negativa enuntiatione Tridentini de unanimi consensu Patrum dicuntur, in positiva Concilii Vaticani omissa sunt; ea „plurium, non omnium Patrum deputatorum sententia hic praeteriri poterant, quia unanimis consensus Patrum et Ecclesiae sensus eatenus in idem recidunt, quod cognito unanimi Patrum consensu etiam Ecclesiae sensus cognoscitur. Etenim unanimis ille consensus Patrum Ecclesiae sensum et fidem testatur, et Ecclesia semper professa est, se Patrum vestigiis insistere et doctrinae unanimi inhaerere“ [2]. In fine capitis, ubi ipsa Tridentini negativa sententia retinetur, etiam, quae in ea de unanimi consensu Patrum dicuntur, recepta sunt.

Sensus S. Scripturae, quem tenet Ecclesia, pro vero habendus est *„in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium“*, quae verba accuratius explicanda sunt.

Unus ex Patribus ea omnino tolli volebat:

„1. Quia Ecclesia, sine ulla exceptione, est infallibilis interpres totius divinae revelationis, quae in Scripturis ac Traditione continetur. Declarando autem, *in rebus fidei et morum* tenendum esse sensum, quem tenuit ac tenet Ecclesia, divina illa interpretandi praerogativa ad huiusmodi materias tantum coarctari videtur, quasi in caeteris minime valeat.

„Nec obstat, quod verba illa non sint exclusiva; etsi enim specificativa tantum essent, aliarum rerum exclusionem nisi aperte indicarent, in dubium saltem revocant.

„Quod si urgeatur, omnia, quae in Scripturis continentur, ad fidem vel mores referri, iam et hoc ipsum omnem specificationem *rerum fidei et morum* superfluam ac vanam omnino esse confirmabit.

„2. Quia si in *rebus fidei et morum* tantum Scriptura accipi deberet iuxta eum sensum, quem tenuit ac tenet Ecclesia, in reliquis, puta historicis aliisque, libera cuique daretur ansa sanctissimum Dei verbum pro effreni lubitu explicandi; hac praesertim tempestate, in qua mythici, rationalistae, sexcentique errones totam ferme Scripturam ad fabulas amandant.

„Fortasse quis instabit, Ecclesiae infallibilitatem ad res fidei et morum restringi; in his ergo tantum [nos] eiusdem interpretationem sequi debere, in caeteris vero liberos esse. At contra: revelatio omnis obiectum fidei est, quippe quae continet verbum Dei, cui assentiri debemus; ac proinde tota, quanta est, Ecclesiae subest iudicio: eo vel magis, quod ait Apostolus: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia etc.*

„3. Quia verba illa aequivoce mutuata fuere a Tridentino. Hoc enim Concilium non adhibuit ea, quando locutum est de potestate

[1] Ratio etc. C. V. 80 a. b. [2] Ibid.

Ecclesiae in interpretatione Scripturae, quasi cancellos poneret, intra quos valebat illam infallibiliter exercere, sed quando indigitavit materiam, in qua petulantia ingenia detorquentia verbum Dei ad pravos sensus, gravissime illud offendebant.“ [1]

Respondet Brixinensis: „Rm̃us auctor huius exceptionis vult, quod, ubi agitur de vero sensu Sacrae Scripturae a quovis catholico tenendo, deleantur verba ista ‚in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium‘. Verba ista omnino deleri utique non possunt; nam habentur in Tridentino, et proinde etiam in nostra constitutione dogmatica desiderari nequeunt.

„Sed audiamus rationes seu argumenta, quae a Rm̃o auctore huius exceptionis afferuntur. Argumentum primum hoc est; dicit: Ecclesia est infallibilis interpres revelationis totius, quae tum in sacris Scripturis tum in Traditione continetur; et proinde ius habet iudicandi de vero sensu Sacrae Scripturae non solummodo in rebus ad fidem et mores spectantibus, sed etiam in aliis, ex. gr. historicis; et quidem hoc multo magis, quia nostris temporibus petulantia ingenia interpretum quorundam vel maxime veritatem historicam Sacrae Scripturae impugnant; et proinde dicit nimium coarctari ius Ecclesiae iudicandi de vero sensu Sacrae Scripturae.

„Quid dicam? Concedo antecedens, sed nego consequens. Concedo, quod Ecclesia ius habet non solummodo iudicandi de vero sensu in rebus fidei, id est in dogmatibus, ut ita dicam, speculativis, et in rebus, quae ad mores spectant; sed etiam in rebus, quae ad historicam veritatem etc. pertinent. Inde vero non sequitur, quod iuxta auctorem Rm̃um huius exceptionis sequi deberet; nam quod attinet istas interpretationes circa veritates historicas, dico, huiusmodi interpretationes aut non sunt contra dogma inspirationis Sacrae Scripturae et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori, si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, iam utique spectat ad res fidei, et proinde certe Ecclesia hac de re iudicandi ius habet.

„Sed instat Rm̃us auctor huius exceptionis, quod verba ista ‚in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae pertinentium‘ aequivoce et non in sensu Concilii Tridentini in nostra Constitutione dogmatica sonant. Nam dicit, in Concilio Tridentino hac additione coarctari solummodo petulantia ingenia: in nostra vero constitutione coarctari ius Ecclesiae. Rm̃i Patres, etiam haec obiectio mihi et deputationi de fide satis fundata non videtur. Quis est enim textus Concilii Tridentini? Textus Concilii Tridentini seu potius ipsissima eius verba haec sunt: ‚Praeterea ad coercenda petulantia ingenia (ergo praecedit

[1] Emendationes etc. C. V. 226 a sqq.

008378

hoc motivum decreti, et post hoc motivum venit ipsum decretum, et quid continetur?) decernit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.'

„Ergo decretum Concilii Tridentini duabus partibus constat, scilicet quod nemo audeat Sacram Scripturam contorquere in sensum suum privatum, et quod unusquisque teneatur Sacram Scripturam non aliter interpretari quam iuxta sensum Ecclesiae, et non contra consensum Patrum; sed adiuncta est conditio: in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium. Ergo restrictio illa utique ad priorem partem aeque pertinet ac ad posteriorem: et reapse nullum verum discrimen est inter Constitutionem dogmaticam nostram et inter decretum Tridentinum. Discrimen hoc tunc solummodo admitti posset saltem quadam veri specie, si Tridentina verba ipsissima sic sonarent: praeterea ad coercenda in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium petulantia ingenia decernit, ut nemo audeat Sacram Scripturam ad sensum suum contorquens contra eum sensum . . . interpretari. Ergo si restrictio illa revera in Tridentino transumpta fuisset ad coercenda petulantia ingenia, tunc utique aliqua saltem veri species adesset. Sed quum reapse haec restrictio referatur ad illam partem decreti, quod nemo ingenio suo privato indulgeat in interpretanda Scriptura, sed quod interpretetur Sacra[m] Scriptura[m] iuxta sensum Ecclesiae, et non contra consensum Patrum, reapse discrimen nullum intercedit.“ [1]

Dubitari certe nequit, quin verba illa „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium“ eodem sensu a Vaticano, quo a Tridentino, sint usurpata, atque ab utroque Concilio non solum recte, sed etiam sapienter addita sint. Quis negaverit, speciali Dei providentia factum esse, ut Patres Tridentini Concilii verba illa adderent, quum hi suspicari non possent, quam vehementer scientia, praesertim scientia naturalis, Sacram Scripturam, cuius loci aliqui propter res naturales a veteribus non satis cognitas non bene explicati erant, esset aggressura? — Ad ea verba explicanda pauca addemus.

Inprimis patet, rebus fidei et morum non opponi res historicas ut tales. Etenim multa maximi momenti dogmata sunt facta historica, ut ipsa Christi in cruce mors; imo fere integri S. Scripturae libri rebus historicis continentur: libri historici V. et N. Testamenti.

[1] Relatio etc. C. V. 240a sqq.

Rebus fidei et morum opponuntur *res, quae non sunt religiosae*, i. e. *quae non versantur circa Deum nostramque ad Deum relationem;* hae enim non pertinent ad materiam, ex qua aedificium christianae doctrinae exstruitur. Constat autem, etiam tales res in S. Scriptura contineri.

Huc retulerit forsitan quispiam locos illos, qui non propter res iis ipsis enuntiatas inspirati sunt, sed propter alios locos, cum quibus naturali quodam nexu coniunguntur. Si v. g. S. Paulus in fine secundae epistolae ad Timotheum scribit, se Troade penulam reliquisse, Erastum remansisse Corinthi, Trophimum infirmum Mileti: ad haec quidem scribenda inspiratus est, non tamen propter harum rerum vim, sed, cum inspiratus ad Timotheum epistolam scriberet, praeter res religiosas ea etiam affert, quae in epistola afferri solent, et quae ut cognoscat Timothei aliquantum interest. De horum autem locorum, quibus nihil plane religiosi continetur, in decreto Concilii de interpretatione Scripturae sermo esse vix potest, non solum, quia omnino perspicui sunt, sed etiam propterea, quia de eorum sensu nulla Ecclesiae se offert loquendi occasio. Excitari quidem circa hos locos potest quaestio, num vere inspirati sint. Haec quaestio evidenter ad res fidei spectat, quum sit quaestio de extensione inspirationis, neque certe in hac quaestione theologo licet negligere, quid tenuerit et teneat s. Mater Ecclesia. Sed ea in quaestione non agitur de *interpretatione* S. Scripturae.

Sunt alii S. Scripturae loci, quibus continentur quidem res religiosae, ita tamen, ut iis insit etiam aliquid non religiosum. Christi verba, quae a Matthaeo 5, 45 referuntur: „(Deus) solem suum oriri facit super bonos et malos“, veritatem religiosam enuntiant; sed „solem oriri“, religiosa veritas non est; si igitur in loco illo explicando veteres vocem „oriri“ sensu proprio usurpant, eorum interpretationem sequi nemo vi decreti, de quo agimus, tenetur. Veritas religiosa loco illo enuntiata eadem est, sive sol vere oritur, sive terra rotatur. Ad res religiosas, ut aliud exemplum afferamus, spectat, Deum parasse Ionae prophetae certam quandam plantam (hebr. kikaion), ut ascenderet super caput eius eumque umbra protegeret[1]. Illam autem plantam fuisse hederam, vel cucurbitam, vel ricinum, vel aliam plantam — est enim de significatione vocis Hebraicae dissensio opinionum —, ad res religiosas seu ad res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium non spectat. Eas igitur res Concilium Tridentinum et Vaticanum decreto comprehendere non vult, quo statuit, in explicanda S. Scriptura Ecclesiae explicationem sequendam esse.

Animadvertendum autem est, haec Concilia ita statuere, Scripturae interpretem in rebus religiosis Ecclesiae interpretationem sequi debere, ut non dicant, eum in rebus, quae religiosae non sint, liberum esse. Hoc alterum neque illis Conciliorum decretis formaliter con-

[1] Ion. 4, 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tinetur neque ex iis immediate effici potest. Solent tamen theologi, quum illa decreta exponant, interpretibus in rebus, quae ad fidem et mores non spectant, libertatem attribuere. „Nihil obstat," inquit R. Cornely[1], „quominus in rebus historicis, physicis aliisque similibus, quae nec fidem nec morum regulam attingunt, Patrum opiniones relinquantur", atque Brixinensem Episcopum vidimus[2] in ipsa Congregatione generali, cum nomine deputationis coram omnibus Patribus congregatis decretum explicaret, significasse, interpretes S. Scripturae in rebus, quae nec ad religionem spectarent nec inspirationis doctrinam tangerent, liberos esse.

Theologi autem, quum docent, in rebus ad religionem non spectantibus eum sensum, „quem tenuit ac tenet s. Mater Ecclesia", relinqui posse, de explicatione S. Scripturae loqui solent, quae *Patrum consensione* vel *ordinario Ecclesiae magisterio*, non de ea, quae *solemni Ecclesiae iudicio* proponitur. Fieri profecto potest, ut Ecclesia, quum de sensu alicuius loci Scripturae controversia orta sit, etiam in re ad religionem non spectante iudicio definitivo decidat, quis sit illius loci sensus, ita ut quaestioni finem imponat, nec iam aliter eum explicare liceat. Contenderat scriptor quidam Germaniae, veritates Scripturae, quae non propter se, sed propter alias inspiratae essent, ad Ecclesiae tribunal non pertinere. Ei respondit Franzelin, id „ita absolute ac simpliciter" dici non posse, quum veritates illae per ipsam inspirationem elevarentur ad ordinem religionis ac fidei: „Potest sane Ecclesia de his iudicare infallibiliter, maxime si opus sit propter alia, ad custodiam nempe depositi per se revelati."[3] Id profecto rectissime. Si quis v. g. in historica inquisitione de censibus a Romanis habitis doctrinam proposuisset, quae initio secundi capitis Evangelii Lucae, ubi census cuiusdam commemoratione tempus, quo Christus natus est, indicatur, contradiceret, atque, ne narrationem Evangelii e medio tollere videretur, ad innaturalem et intolerabilem eius explicationem confugeret, Ecclesia sine dubio eam explicationem infallibili auctoritate reiicere posset, quum doctrina per se revelata de tempore nativitatis Christi periclitaretur. Imo ea explicatione generatim doctrina de inspiratione in periculum vocaretur; quum enim artificiosa talis explicatio ferri non posset, periculum esset, ne tandem ipsa veritas narrationis illius atque divina eius inspiratio negaretur. Ad depositum igitur veritatum in S. Scriptura per se revelatarum custodiendum et ad extensionem inspirationis declarandam — id quod vel maxime spectat ad authenticum Ecclesiae magisterium — definitivo

[1] Historicae et criticae introductionis in U. T. libros sacros compendium p. 146. [2] Cfr. supra p. 55.

[3] Ioannes B. Franzelin, Tractatus de Traditione et Scriptura, editio altera, p. 736.

et infallibili iudicio illam explicationem reiicere posset. Quum Congregatio S. Officii Galileii doctrinam de motu terrae tanquam S. Scripturae contrariam reiiceret, erravit. Sed non putamus, eam in hoc errasse, quod Ecclesiae ius tribuebat locos Scripturae, qui in quaestionem veniebant, etiam eatenus authentice interpretandi, quatenus res per se non religiosas respiciunt. Erravit in explicatione locorum. Doctrinam novam et inauditam de motu terrae, quae eo tempore neque satis probari neque contra obiectiones defendi poterat, conciliari posse negabat cum locis S. Scripturae, quibus terra immota stare et sol oriri et occidere dicitur, quique ad illud usque tempus semper sensu primo se offerente explicati erant, quum nemini in mentem venisset, non solis sed terrae motu diei atque noctis vicissitudinem locum habere. *Supremum* Ecclesiae tribunal, si sententiam de interpretatione nova tulisset, ab illo errore servatum esset immune.

Itaque contendimus, fieri posse, ut Ecclesia iudicio definitivo, quis sit sensus alicuius loci S. Scripturae, etiam in re per se non religiosa, declaret, ita ut aliam explicationem sequi non iam liceat. Quae quidem quaestio practice magni momenti non est. Si enim accidat, ut Ecclesia sententiam definitivam de sensu alicuius loci per se non religiosi ferat, etiam is, qui contenderit, in rebus non religiosis iudicium de sensu S. Scripturae ad Ecclesiam non spectare, Ecclesiae sententiae se subiicere debet, quum quaestio de ambitu potestatis Ecclesiae profecto ad eius ipsius tribunal spectet.

Sed haec de ea sola Scripturae explicatione valent, quam Ecclesia *solemni iudicio* proponit. Theologi autem, quum dicunt, in rebus, quae ad fidem et mores non spectant, recedi posse a sensu, „quem tenuit ac tenet s. mater Ecclesia", de ea explicatione loquuntur, quae *ab ordinario Ecclesiae magisterio* vel *consensu Patrum* proponitur, eamque certe etiam ipsa Concilia ob oculos habuerunt[1]. Ac profecto vix unquam vel nunquam potest exstare obligatio hac in re, quae religiosa non est, sequendi. Licet enim ambitus obiecti, circa quod ordinarium Ecclesiae magisterium versatur, idem sit atque illud, circa quod versatur extraordinarium, Ecclesia tamen, quum ordinario magisterio Scripturam explicat, seu Patres, quum eam explicant, res, quae religiosae non sunt, secundum obvium et primo se offerentem locorum sensum *obiter* referunt neque in iis docendis vel tradendis versantur. Si quis igitur in rebus historicis, physicis, aliisque similibus opinionem sibi sequendam putat, quae cum S. Scriptura sine vi verbis illata conciliari potest, libertate illam opinionem sequendi non privatur propterea, quia in Ecclesia exstat alicuius loci S. Scripturae explicatio, quae cum illa opinione conciliari nequit. Quod quo iure dicatur, exemplo illustratur historiae systematis Kopernicani.

[1] Cf. Ratio etc. C. V. 80b. Cf. supra p. 54.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In ea autem re valde cavendum est, ne res dicatur non religiosa, quae vere religiosa est, quod quanti momenti sit, consideratis quibusdam exemplis controversiarum patet, quae hodie agitantur.

Sunt, qui doceant, corpus hominis non immediate a Deo e limo terrae formatum, sed lege a Deo statuta ex inferiorum animalium corpore paullatim evolutum esse, cui evoluto Deus animum humanum inspiraverit. Eam doctrinam cum S. Scripturae narratione de hominis creatione conciliare volunt. Id nos quidem impossibile esse censemus. Quaeritur autem, utrum in explicanda illa narratione liberi sint, an exstantem Ecclesiae explicationem sequi debeant. Quaestio haec pendet ab alia illa quaestione, utrum doctrina de hominis immediata creatione sit religionis doctrina necne. Id ipsi negant. Contendunt, ad religionem spectare solam veritatem hanc, hominem etiam secundum corpus a Deo creatum esse, non autem, corpus immediate a Deo creatum esse. Nobis quidem etiam haec quaestio videtur esse quaestio de veritate religiosa. Insignis enim quaedam excellentia hominis magnumque, quod grato animo ad Deum referre debet, bonum eo continetur, quod secundum corpus ipsis quasi Dei manibus formatus sit nec bestias habeat patrem et matrem. Neque Patres, cum S. Scripturam explicantes hominem immediate a Deo creatum esse dicunt, id quasi obiter referunt, sed narratione Scripturae summam quandam hominis laudem contineri putant. Oratoria quadam exaggeratione Tertullianus: „Totiens honoratur (caro)“, inquit, „quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia et ipsa inprimis affectione, qua lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus etc.“ [1]

Porro orta est quaestio, utrum diluvium ad totam plane terram omniaque animalia terrestria, quae extra arcam fuerint, extendendum sit, an ad eam solam terrae partem, in qua degerint homines; imo, utrum totum humanum genus, excepta Noe familia, exstinctum sit, an una sola gens, cuius historiam sacer scriptor exclusis aliis persequatur. Quae quaestio ut decidatur, consulenda est Scripturae narratio. Utrum autem in eius sensu determinando singuli sint liberi, an admittere debeant sensum, qui *fortasse* antiquitatis christianae consensu iam determinatus est, id pendet ab altera quaestione, utrum de re religiosa agatur necne. In ea autem quaestione duae partes doctrinae, quam commemoravimus, inter se recte distinguuntur. Multo enim magis altera pars, qua quaeritur, utrum totum genus humanum, an una gens exstincta sit, religiosa quaestio haberi debet quam prior, quae est de tota terra vel eius parte. Etenim diluvio generi humano manifestatur a Deo, quanta sit divinae iustitiae severitas, quantumque Deum offendendi crimen, quod utrumque certe ad ambitum veritatum religiosarum spectat. Multo praeclarius autem divinae iustitiae maiestas Deique peccati odium diluvio manifestatum est, si Deus, ut crimina vindicaret, ne a toto quidem genere humano delendo abstinuerit ac novum quasi ab alio parente prodire voluerit, quam si unam gentem exstinxerit. Alia tantum propter homines, in quibus solis culpa est, delet, ut non ita pateat, quomodo magis iustitiam manifestasse dicatur, si universam plane terram undis involvit omniaque eius animalia exstinxit, quam si eam solam terrae partem poenis petiit, quam homines incolebant. Caeterum etiam hanc quaestionem, quae est de tota terra vel sola eius parte, religiosam non esse equidem contendere noluerim.

[1] De resurrectione carnis c. 6 (Migne P. L. II, 802).

COMMENTATIO IV.

Sitne a Concilio definitum, eos, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperint, sine peccato formali eandem fidem mutare vel in dubium vocare non posse.

In capite tertio Constitutionis de fide, postquam expositum est, quae tanta sint revelationis christianae in Ecclesia catholica signa veritatis, atque quae sit gratiae divinae vis, qua homines ad veritatem agnoscendam ducantur et, ut in agnita perseverent, confirmentur, pergitur: „Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, *qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi.*“ Canon respondens hic est: „S. q. d., parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita *ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi*, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s.“

Quam quidem definitionem aliqui theologi ita explicaverunt, ut dicerent, ea definitum esse, fieri non posse, ut homo catholicus errore invincibili et sine peccato *formaliter* commisso fidem in dubium vocet vel deserat. Putant igitur, definiri, non solum *obiective* non adesse veram et iustam causam, sed ne talem quidem rationis speciem menti hominis catholici se offerre posse, qua deceptus errore invincibili putet, iam recte se de fide dubitare vel eam deserere [1].

[1] Id nuperrime contendit Aloysius Schmid, Erkenntnisslehre. Friburgi Brisg., Herder, 1890. T. I, p. 99. — Ios. Kleutgen S. I., licet censeat, hominem catholicum sine culpa a veritate deficere non posse, Concilium Vaticanum citat ille quidem, non tamen dicit, ab eo sententiam,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In ea autem re valde cavendum est, ne res dicatur non religiosa, quae vere religiosa est, quod quanti momenti sit, consideratis quibusdam exemplis controversiarum patet, quae hodie agitantur.

Sunt, qui doceant, corpus hominis non immediate a Deo e limo terrae formatum, sed lege a Deo statuta ex inferiorum animalium corpore paullatim evolutum esse, cui evoluto Deus animum humanum inspiraverit. Eam doctrinam cum S. Scripturae narratione de hominis creatione conciliare volunt. Id nos quidem impossibile esse censemus. Quaeritur autem, utrum in explicanda illa narratione liberi sint, an exstantem Ecclesiae explicationem sequi debeant. Quaestio haec pendet ab alia illa quaestione, utrum doctrina de hominis immediata creatione sit religionis doctrina necne. Id ipsi negant. Contendunt, ad religionem spectare solam veritatem hanc, hominem etiam secundum corpus a Deo creatum esse, non autem, corpus immediate a Deo creatum esse. Nobis quidem etiam haec quaestio videtur esse quaestio de veritate religiosa. Insignis enim quaedam excellentia hominis magnumque, quod grato animo ad Deum referre debet, bonum eo continetur, quod secundum corpus ipsis quasi Dei manibus formatus sit nec bestias habeat patrem et matrem. Neque Patres, cum S. Scripturam explicantes hominem immediate a Deo creatum esse dicunt, id quasi obiter referunt, sed narratione Scripturae summam quandam hominis laudem contineri putant. Oratoria quadam exaggeratione Tertullianus: „Totiens honoratur (caro)“, inquit, „quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia et ipsa inprimis affectione, qua lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus etc.“ [1]

Porro orta est quaestio, utrum diluvium ad totam plane terram omniaque animalia terrestria, quae extra arcam fuerint, extendendum sit, an ad eam solam terrae partem, in qua degerint homines; imo, utrum totum humanum genus, excepta Noe familia, exstinctum sit, an una sola gens, cuius historiam sacer scriptor exclusis aliis persequatur. Quae quaestio ut decidatur, consulenda est Scripturae narratio. Utrum autem in eius sensu determinando singuli sint liberi, an admittere debeant sensum, qui *fortasse* antiquitatis christianae consensu iam determinatus est, id pendet ab altera quaestione, utrum de re religiosa agatur necne. In ea autem quaestione duae partes doctrinae, quam commemoravimus, inter se recte distinguuntur. Multo enim magis altera pars, qua quaeritur, utrum totum genus humanum, an una gens exstincta sit, religiosa quaestio haberi debet quam prior, quae est de tota terra vel eius parte. Etenim diluvio generi humano manifestatur a Deo, quanta sit divinae iustitiae severitas, quantumque Deum offendendi crimen, quod utrumque certe ad ambitum veritatum religiosarum spectat. Multo praeclarius autem divinae iustitiae maiestas Deique peccati odium diluvio manifestatum est, si Deus, ut crimina vindicaret, ne a toto quidem genere humano delendo abstinuerit ac novum quasi ab alio parente prodire voluerit, quam si unam gentem exstinxerit. Alia tantum propter homines, in quibus solis culpa est, delet, ut non ita pateat, quomodo magis iustitiam manifestasse dicatur, si universam plane terram undis involvit omniaque eius animalia exstinxit, quam si eam solam terrae partem poenis petiit, quam homines incolebant. Caeterum etiam hanc quaestionem, quae est de tota terra vel sola eius parte, religiosam non esse equidem contendere noluerim.

[1] De resurrectione carnis c. 6 (Migne P. L. II, 802).

COMMENTATIO IV.

Sitne a Concilio definitum, eos, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperint, sine peccato formali eandem fidem mutare vel in dubium vocare non posse.

In capite tertio Constitutionis de fide, postquam expositum est, quae tanta sint revelationis christianae in Ecclesia catholica signa veritatis, atque quae sit gratiae divinae vis, qua homines ad veritatem agnoscendam ducantur et, ut in agnita perseverent, confirmentur, pergitur: „Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, *qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi.*“ Canon respondens hic est: „S. q. d., parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita *ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi*, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s.“

Quam quidem definitionem aliqui theologi ita explicaverunt, ut dicerent, ea definitum esse, fieri non posse, ut homo catholicus errore invincibili et sine peccato *formaliter* commisso fidem in dubium vocet vel deserat. Putant igitur, definiri, non solum *obiective* non adesse veram et iustam causam, sed ne talem quidem rationis speciem menti hominis catholici se offerre posse, qua deceptus errore invincibili putet, iam recte se de fide dubitare vel eam deserere [1].

[1] Id nuperrime contendit Aloysius Schmid, Erkenntnisslehre. Friburgi Brisg., Herder, 1890. T. I, p. 99. — Ios. Kleutgen S. I., licet censeat, hominem catholicum sine culpa a veritate deficere non posse, Concilium Vaticanum citat ille quidem, non tamen dicit, ab eo sententiam,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nec desunt rationes, cur eo sensu definitio conciliaris explicanda esse credatur. Etenim 1°, si non agitur de causa *subiective* iusta, nulla videtur definitionis esse ratio, quum per se pateat, *obiective* nullam iustam causam exstare, cur fides deseratur vel in dubium vocetur. 2° Antea de multis illis atque praeclaris motivis credibilitatis et de gratiae auxilio, quo homines ad veritatem ducuntur in eaque confirmantur, sermo erat; si igitur propter haec nulla unquam iusta causa adesse posse dicitur fidem deserendi, videtur negari, catholicos, qui eam deserant, posse unquam dici invincibiliter errasse. 3° Dicitur Deus eos confirmare „non deserens, nisi deseratur". Si igitur homo catholicus Deum non deserit, secundum Concilium ne ipse quidem a Deo deseritur ita, ut invincibiliter a veritate aberret.

Quae tamen explicatio probanda esse non videtur. Nunquam hominem catholicum ob errorem invincibilem veritatem ab Ecclesia propositam in dubium vocare seu ab ea deficere posse, nec verbis definitionis enuntiatur, et historia textus efficitur, Patres id dicere noluisse. Quod cum exponam, nequaquam contendere vel probare volo, posse aliquem propter errorem invincibilem sine culpa ab Ecclesia deficere, sed id solum ostendere, Concilium de hac re iudicium non tulisse.

Qui contendunt, Concilium definivisse, neminem sine peccato formali ab Ecclesia deficere, id aut ita intelligunt, ut dicant, neminem sine peccato formali *contra fidem* deficere posse, i. e. *ipsam defectionem* necessario semper esse peccatum formale, aut ita, ut censeant, neminem ab Ecclesia deficere, quin antecedentibus saltem peccatis veritatis luce se privarit. Nos hoc loco praesertim ostendere volumus, prius illud a Concilio definitum non esse. Quod cum effecerimus, etiam alterum definitum non esse breviter ostendemus.

Definitione supra commemorata, praesertim canone, doctrinam Hermesii condemnari constat. Desumpta est definitio ex capite nono schematis de doctrina catholica[1], cui de Hermesiana doctrina haec addunt[2] theologi: „Commendat G. Hermes catholicis suis lectoribus et auditoribus, ut, ‚dum in inquisitione versantur', erga quamvis doctrinam religionis ‚e. g. catholicae aut christianae', omnino indifferenter se habeant sibique persuadeant, ‚sancte se agere sequendo rationem, quocumque demum ea deduxerit'. (Introduct. positiv. ad theol. p. 30.) Porro ipse et de se testatur et aliis commendat hanc methodum inquisitionis fidei: ‚Omnibus hisce meis studiis propositum meum sancte servavi *ubique dubitandi, quamdiu possem,* et tum demum definitive pro alterutra parte decernendi, quando absolutam necessitatem rationis pro una sententia exhibere possem. Erat mihi propterea per varios

quam defendit, definitam esse. Theologie der Vorzeit. Ed. altera. Monasterii Westph., Theissing, 1874. Tom. V, p. 464 sqq.

[1] C. V. 511 b sqq. [2] C. V. 530 [1].

anfractus dubiorum eluctandum, in quos ingredi inutilis labor videbitur ei, qui nunquam *ad serium dubium* progressus est. . . Neque unquam timui aliquam hac via iacturam; intellexeram enim, quovis alio modo minus severo omnia, quae inquirebam, aequo iure reiici et admitti posse. Insuper perspexeram, pro hominibus nullum aliud tutum criterium veritatis dari praeter necessitatem rationis. . . Non auctoritate quantumvis multorum et gravium doctorum, sed unice intelligentia propria potest dubium superare, qui *revera dubitat*. . . Fuerit optabilius, si placet, huiusmodi dubiis carere quam iis satisfacere posse; pro futuris doctoribus religionis hoc non valet. Ii debent scire, se nescire, ut scientiam magno studio quaerant; debent labyrinthum dubiorum per omnes circuitus peragrare, ut deinde ipsi dubitantibus per omnes anfractus comites se dare possint.' (Introd. phil. ad theolog. Praef. p. 10 sq.)" [1]

Neque tamen contra solius Hermesii doctrinam veritas definitur, sed etiam contra aliorum multorum errorem, qui ab iisdem theologis dicitur „in nonnullis regionibus late diffusus et fere popularis eoque perniciosior, quo universim dicitur, transitum ab Ecclesia catholica ad alias communiones fieri posse ex dictamine conscientiae, atque ideo generatim huiusmodi homines non esse censendos criminis reos, cum ipsi fere semper affirment, se sequi dictamen suae conscientiae; quod nisi concedatur, inquiunt, damnandas etiam fore conversiones ab aliis communionibus ad Ecclesiam catholicam; sicque, ‚qui hoc ius negaret orthodoxis ad eos confirmandos in veritate, eodem principio heterodoxos confirmaret in errore'. Neque ita loquuntur solum homines impii, qui inter diversas religiones nihil discernunt et eo ipso nullam agnoscunt, . . . sed alii etiam, qui religionem veram non negant, affirmant tamen, concedi debere ius omnibus commune per institutam in-

[1] „Hac doctrina", ut aiunt theologi (C. V. 531 a), „explicite vel saltem aequipollenter negatur divinum praeceptum fidei, quo tum per necessariam consequentiam ex ipso facto divinae revelationis tum diserta promulgatione divinae legis praescribitur tam iis, qui ad veram fidem nondum pervenerunt, prudens ac sedula inquisitio et ad sufficientem propositionem susceptio fidei, quam fidelibus constantia in fide; hocque ipso vetatur sub reatu damnationis aeternae, sicut negatio, ita dubium deliberatum circa veritatem quamcunque revelatam sufficienter propositam. Neque vero, ut aliqui nunc falsissime et periculosissime dicunt, peccatum contra fidem in eo solummodo est, quod admisso facto revelationis Deo non credatur et ipse mendacii accusetur, cuiusmodi monstrum inter homines vix occurrit; sed infidelitas, quae damnatur, etiam illa est, quod, dum veritas tanquam revelata sufficienter proposita est, illa revelata esse negatur et ita fides in hac hypothesi propositionis sufficientis debita non praestatur; hanc enim subiectionem rationalis creaturae et captivitatem omnis intellectus infinita maiestas, veritas et sapientia, h. e. auctoritas Dei loquentis postulat."

quisitionem mutandi religionem, in qua unusquisque educatus est; atque propterea idem ius non minus valere pro catholicis quam pro heterodoxis. Leges ipsae in multis regnis catholicis latae pro ‚libertate conscientiae', ut falso nomine appellant, proxime innituntur aut saltem palam dicuntur inniti huic principio. At profecto in toto huius doctrinae complexu iura et officia hominis ad amplectendam veritatem a Deo revelatam et ad vitandum errorem in fide transmutantur in iura ad sequendum errorem; argumentis ac notis, quibus Deus suam revelationem in sua Ecclesia omnibus hominibus cognoscibilem reddidit, aequiparantur umbrae, quibus error speciem induit veritatis; denique nulla omnino ratio habetur gratiae ac luminis supernaturalis, quo Deus illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum deducit ab errore et inducit ad veritatem fidei unice verae, in eaque confirmat, nisi diligant homines ipsi magis tenebras quam lucem, propter quod iudicantur et damnantur a luce aeterna Iesu Christo (Ioan. 3, 18—21). Hinc Vicarius Iesu Christi errorem hunc proscripsit, si nominatim pro iis, qui ad fidem supernaturalem in Ecclesia catholica iam pervenerunt, asseratur, ‚liberum cuique homini esse, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit' (Prop. XV. Syllabi)"[1].

Iam in priori illo schemate de doctrina catholica hi errores reiiciuntur hisce verbis: „Haereticam esse declaramus et damnamus sententiam, si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium ac eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut fideles catholici licite possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt et crediderunt, in reale dubium vocare et assensum suspendere, donec demonstrationem credibilitatis et veritatis secundum regulas humanae scientiae ipsi absolverint."[2] Secundum hanc sententiam canon sextus capitis tertii schematis de fide, quod deputationi proponebatur, formatus est[3], qui idem in schemate Patribus proposito recurrit: „S. q. d., parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut fideles catholici licite possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocare, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s."[4] Hisce directe Hermesii doctrinam reiici patet, qua omnibus commendatur, ut, *etiamsi nulla se offerat dubitandi ratio*, fidei assensum suspendant. Id licitum profecto non est. At dicunt fortasse, Concilium hoc canone docere etiam, nunquam plane hominem catholicum in iis conditionibus versari posse, quibus *licite* fidem in dubium vocet. Non

[1] Schema de doctrina catholica. C. V. 531 b sqq.
[2] Schema etc. C. V. 512 b. c. [3] Ibid. C. V. 1632 b.
[4] Ibid. C. V. 77 b.

putamus, id — si solum *canonem*, non vero *caput* respicimus — verum esse, quum error, qui reiicitur, verbis ipsis, quibus exprimitur, notissimus Hermesii error, offeratur[1]. Sed etiamsi supponamus, canone id doceri, negamus tamen, eo damnari doctrinam: hominem catholicum aliquando ita in aliquo errore invincibili versari posse, ut, si de veritate suae religionis verum dubium admittat, solum materialiter peccet. Nam hac doctrina non asseritur, hominem in illis circumstantiis *obiective licite* admittere dubium, sed eum propter errorem *excusari* a culpa, dum faciat, quod facere *non licet*.

Sed multo minus haec sententia ea forma canonis condemnatur, qua tandem a Concilio approbatus et sancitus est. Proposuit enim unus ex Patribus in Congregatione generali, ut in canone loco „ut fideles catholici *licite* possint fidem . . . in dubium vocare" ponatur „ut fideles catholici *veram et iustam causam habere* possint etc."[2]. Canone hac forma enuntiato certe non excluditur sententia, fieri posse, ut fideles catholici, licet veram et iustam causam non habeant, tamen sine peccato formali fidem in dubium vocent, sc. ob errorem aliquem, quo laborant. Iam illa emendatio secundum sensum a Concilio recepta est. Animadvertit enim Paderbornensis nomine deputationis in relatione[3]: „Quod ad hanc emendationem pertinet, censuit deputatio, huic satisfaciendum esse cum hac parva modificatione, ut vox *veram*, quam proponit Illmus auctor, omittatur, cum sensus huius vocis in voce *iustam* iam contineatur. Placeat igitur vobis, Rmi Patres, ut pro *veram et iustam* ponatur simpliciter *iustam causam habere*." Iam id Patrum suffragiis probatum est[4].

Quod autem de canone, id etiam de capite valet, quum in eo eadem verba usurpentur: fideles catholici „nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi".

[1] Clarius id patet ex adnotatione schemati de doctrina catholica adiecta: „Haereseos damnatur error, quatenus quoad firmitatem et constantiam assensus et quoad independentiam examinis *par esse* dicitur *conditio fidelium et eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt;* et quatenus propterea dicitur, universim fideles catholicos licite posse in dubium vocare aut suspendere suam fidem, quam ante scientificum examen sub magisterio Ecclesiae susceperunt, ita ut ab hoc subsequente examine pendere debeat, utrum fides catholica eis retinenda an reiicienda sit; quemadmodum G. Hermes hortatur candidatos theologiae et consequenter omnes saltem eos, qui scientifico examini sunt idonei, ut, dum in inquisitione versantur, erga quamvis religionem, ‚e. g. catholicam aut christianam', omnino indifferenter se habeant, sibique persuadeant, sancte se agere ‚sequendo rationem, quocunque demum ea deduxerit'. Quo etiam sensu damnata est in *Syllabo* propositio XV.: ‚Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.'" (C. V. 534 b. c.)
[2] Emendationes etc. C. V. 164 a. [3] C. V. 189 d sq. [4] Ibid. 191 d.

Neque historica hac inquisitione opus fuit, ut caput ita explicandum esse comprobaremus. Verbis enim eius ipsis id patet. Quum enim catholicis nulla unquam iusta causa esse dicatur, cur de veritate suae religionis dubitent, seu ab ea deficiant, per se patet, sermonem esse de causa *obiective* iusta. Neque enim, ut rem exemplo illustremus, is, qui, cum *errore* se ab amico offensum esse *putet*, amicum deserit, *iustam eum deserendi causam* habere dicitur, sed is solum, qui *vere offensus* est.

Afferuntur autem, ut initio[1] vidimus, rationes quaedam, cur etiam possibilitas erroris invincibilis excludi dicenda sit. Eae tamen vi carent. Ad *primam* enim respondemus, rationem vere adfuisse definiendi, nullam causam *obiective iustam* exstare fidem in dubium vocandi. Illa enim capitis paragrapho primo loco respicitur doctrina Hermesii, qui causam *obiective iustam* dubitandi adesse docuit, imo *commendavit* dubium, et praesertim eos, qui religionis doctores futuri essent, labyrinthum dubiorum per omnes circuitus peragrare *iussit*, omnesque voluit sibi persuadere, *sancte se agere* sequendo rationem quocunque demum ea duxerit[2]. Hermes catholicam religionem aequiparat sectis. Etiam alii, quorum doctrina in Concilii Vaticani definitione respicitur, causam *obiective iustam* adesse posse docent, cur Ecclesiae catholicae fides deseratur, quam sectis nequaquam praeferunt. Eorum doctrina continetur quinta decima propositione in syllabo condemnata, ut supra[3] vidimus. Iam propositio haec, quae ad verbum ex Literis Apostolicis „Multiplices inter“ d. 10. Iunii 1851 desumpta est, attribuitur in his Literis Francisco de Paula G. Vigil, qui, ut ibidem dicitur, „ut indifferentismum ac rationalismum, quo se infectum prodit, securius ac impune sequatur, denegat, Ecclesiae inesse potestatem dogmatice definiendi, religionem Ecclesiae catholicae esse unice veram religionem, docetque, cuique liberum esse eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.“ Itaque non docet, aliquem, qui ab Ecclesia deficiat, errore invincibili excusari posse, sed *obiective* exstare eam deserendi *ius*, nec unice veram esse Ecclesiam catholicam.

Ut, quod *altera* ratione obiicitur, refutemus, animadvertimus, non *immediate* propterea catholicos dici nullam unquam iustam causam fidem mutandi vel in dubium vocandi habere posse, quia Ecclesia abundet divinae institutionis signis, et catholici, ut in ea perseverent, gratia divina adiuventur; sed illa sententia est explicatio et continuatio antecedentis sententiae, qua conditio catholicorum alia esse dicitur atque eorum, qui falsae religioni adhaerent. Deest ei membrum, quod si supplemus, sententia erit haec: „Hi enim, qui falsam religionem sectantur, quum et argumentis careant, quibus veritas huius

[1] P. 62. [2] Cf. supra p. 65. [3] P. 65.

religionis probetur, nec gratia Dei in ea confirmentur, sed contra argumentis et Dei gratia, ut religionis suae falsitatem agnoscant, et ut ad agnitionem veritatis veniant, excitentur, hi, inquam, iustam causam habent, quin immo officio tenentur mutandi religionem; illi autem, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium vocandi fidem.“ Si causam quaeris, cur Concilium prius illud membrum omiserit, respondeo, quia de officio eorum, qui ad Ecclesiam non spectant, loqui noluit. Cuius rei argumentum continetur in eius actis. Propositum enim erat revera ab uno ex Patribus, ut membrum, quod omissum esse diximus, suppleretur. „Ista propositio“, inquit, „evidentem inter duas personarum species distinctionem statuit, sed de ista distinctione nihil omnino agitur in secunda phrasis parte, quae sic se habet: *Nam nullam unquam iustam habere possunt causam mutandi aut in dubium revocandi fidem, qui eam sub Ecclesiae magisterio susceperunt.* Ad prosequendum igitur parallelismum melius videretur: *Isti enim, veritate detecta, errorem tenentur abiicere; illi autem* (catholici) *nullam unquam habere possunt legitimam causam etc.*“[1] Quam emendationem deputatio recipere noluit, *„quia hoc loco“*, ut ait Paderbornensis[2], *„minime sermo est de officio acatholicorum, sed tantummodo de officio catholicorum“*.

Itaque sensus loci videtur esse hic: ut causa *(obiective) iusta* semper exstat, cur, qui falsam religionem sectantur, de ea dubitent eamque deserant, ita causa *(obiective) iusta* nunquam adesse potest, cur catholici de veritate Ecclesiae dubitent vel eam relinquant. Quibus verbis Hermesii et Vigilii sententia reiicitur, qua vidimus vel expresse vel aequivalenter doceri, parem esse catholicorum et haereticorum conditionem, atque idem utrorumque ius vel officium dubia de sua religione excitandi vel eam deserendi. Discrimen conditionis catholicorum et aliorum eo continetur, quod illorum religio vera est ac Deus omnes eam sequi vult, horum autem religio falsa, quam Deus deseri vult; porro, quod, qui ad Ecclesiam catholicam spectant, et praeclarissimis divinae eius institutionis signis et gratia Dei, ut perseverent, adiuvantur, contra, qui falsae religioni adhaerent, neque argumentis rationi propositis, neque gratia divina in ea retinentur, imo hisce ab ea abducuntur. Signorum autem veritatis Ecclesiae non dicitur esse tanta vis, nec gratiarum, quae concedantur, tanta abundantia, ut homo catholicus nunquam ita in errorem aliquem duci possit, ut inculpabiliter aliquando dubitationi de veritate suae fidei se tradat.

Maiorem vim *tertia* ratio habere videri possit: dicitur Deus eos, qui ad veram religionem pervenerint, gratia in ea confirmare *„non deserens, nisi deseratur“*. Haec autem verba, sive confirmatio praecedentis incisi sunt sive eius explicatio, non indicant, ita Deum homi-

[1] Emendationes etc. C. V. 162 d. [2] Relatio etc. C. V. 182 d.

nem catholicum sua gratia in vera religione confirmare, ut is, nisi gratia fidei culpabiliter abiecta, ab ea recedere nequeat, seu ut, si ab ea recedat, necessario dicendus sit peccatum formale contra fidem commisisse. Id vel inde patet, quod ea verba iam in schemate de doctrina catholica occurrebant [1], quum tamen eius scriptores, ut statim videbimus, adnotatione addita clare animadvertant, schemate non excludi sententiam, posse aliquando per accidens fieri, ut homo catholicus sine peccato formali contra fidem sectam aliquam amplectatur. Verba autem ipsa, sive in se sive historice considerata, sensum offerunt universalem, atque enuntiant, Deum iustis ad recte vivendum se gratiamque suam nunquam subtrahere. In schemate de doctrina catholica, e quo hoc, in quo versamur, caput receptum est, locus correspondens fuit hic: „Sicut gratia Dei . . . ad hoc datur errantibus, ut . . . convertantur ad veritatem: ita per supernaturalem gratiam internam . . . fortitudo credentium Dominus est, *qui non deserit, nisi deseratur, ut pie semper iusteque vivatur.*“ [2] Desumpta sunt verba, ut auctores schematis adnotant, ex capite undecimo Sessionis sextae Concilii Tridentini; in eo, postquam declaratum est, iustos praecepta divina servare et „sobrie, iuste et pie viventes proficere“ posse, additur: „Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur.“ Eodem sensu occurrunt verba apud S. Augustinum [3], a quo tandem derivantur. Nec profecto Vaticanum novo sensu ea usurpavit. Subest igitur loco sensus: Sicut Deus generatim iustos non deserit, sed gratia adiuvat, ut praecepta servare ac recte vivere possint, ita etiam eos, qui in vera religione sunt, gratia sua adiuvat, ut in ea permanere possint. Quemadmodum autem priori parte huius sententiae non enuntiatur, Deum ita gratia iustos adiuvare, ut ne materiali quidem peccato praecepta divina transgredi possint, ita etiam altera non enuntiatur, Deum ita gratia sua homines catholicos in recta fide confirmare, ut ne materiali quidem peccato ab ea recedere possint. Patet autem illis verbis, Deum ne eum quidem deserere, qui, si id fieri possit, sine sua culpa ab Ecclesia separetur. Quare is non privabitur mediis ad salutem consequendam necessariis. Iam quum inter haec referenda sit etiam fides, fidem non amittet omnem, licet *eam* amiserit, quae versatur circa omnes veritates particulares ab Ecclesia catholica propositas.

Diximus, scriptores schematis de doctrina catholica huic adnotasse, schemate non excludi sententiam, posse aliquando per accidens fieri, ut homo catholicus sine peccato formali contra fidem sectam aliquam amplectatur. Quae quidem adnotatio pro tota nostra controversia magni momenti est. Neque enim, qui schema illud reformarunt, plus de nostra re dicere voluisse credendi sunt, quam qui pristinum illud

[1] C. V. 512 b. [2] Ibid. [3] De natura et gratia c. 26 (Migne P. L. XLIV, 261).

schema scripserunt. Adnotatio autem est haec: „. . . neque etiam in proposita declaratione doctrinae et condemnatione erroris illud attingitur, quod aliqui veteres theologi concedere non dubitant, posse *per accidens* et in certis quibusdam adiunctis conscientiam rudis cuiusdam hominis catholici ita induci in errorem invincibilem, ut sectam aliquam heterodoxam amplectatur sine peccato formali contra fidem, qua in hypothesi fidem non amitteret, nec formalis sed materialis haereticus foret (Tanner de fide q. 2. dub. 5. n. 139; Platelius de fide n. 61). Haec quidem nisi cautissime explicentur, periculose disputantur; sed ab haeresi, quae sacro Concilio examinanda proponitur, sunt alienissima.“ [1]

Itaque concludimus, a Concilio definitum non esse, nunquam fieri posse, ut homo catholicus sine peccato formali *contra fidem* divinitatem institutionis Ecclesiae in dubium vocet vel ab ea deficiat.

Restat quaestio, num Concilium definierit, hominem catholicum ad dubia libera seu ad defectionem transire non posse, quin antea iam graviter peccaverit. Facilis est responsio. Concilium enim de aliis peccatis omnino non loquitur; negat solum, nunquam hominem catholicum in ea conditione esse posse, ut recte agat, si fidem in dubium vocet vel eam deserat, seu ut ad id obiective legitima adsit ratio. Eum, si a peccatis abstinet, gratia divina a calamitate servatum iri fidem ex invincibili errore deserendi, id aliunde ostendant theologi; a Concilio non definitur. Theologi enim illi, qui putant, per accidens fieri posse, ut homo catholicus rudis sine peccato formali ad sectam transeat — quam opinionem Concilium reiicere non velle vidimus —, non distinguunt inter peccatum contra fidem et alia peccata.

Quod hac commentatione ostendimus, etiam alio argumento nos confirmare posse putamus. Ii, qui contendunt, Deum permittere non posse, ut homo catholicus, qui a peccatis abstinet, conscientia invincibiliter erronea ab Ecclesia plane deficiat, certe non iidem contendunt, Deum permittere non posse, ut homo catholicus, qui Dei legem servat, in errorem invincibilem inductus, *serium de fide dubium aliquando admittat.* Neque enim, si mox ad veritatem redit, in illa dubii admissione maior videtur esse calamitas, quam in alio graviori peccato ob errorem commisso. Inde novo argumento probamus, Concilium Vaticanum non definivisse, hominem catholicum sine peccato formali fidem catholicam deserere non posse. Etenim certe non definivit, Deum nunquam permittere, ut homo catholicus aliquando ex errore quodam invincibili sine peccato formali dubium contra fidem sustineat. Si autem id non definivit, ne alterum quidem definivit, sc. fieri plane non posse, ut homo catholicus sine peccato formali ab Ecclesia plane

[1] Schema etc. C. V. 534 d sq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deficiat. De utraque enim re eodem prorsus modo loquitur. „Illi," inquit, „qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam *mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi*."

CAPUT TERTIUM.

Ipsa Constitutio dogmatica de fide catholica adnotationibus subiectis explicata.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam [1].

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Iesus Christus, ad Patrem coelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt [2].

[1] Vi Literarum Apostolicarum „Multiplices inter" § VII. in Sessionibus publicis formulae decretorum et canonum recitandae erant, ut ait Summus Pontifex, „ea adhibita solemni tituli praefatione, qua Praedecessores Nostri in eiusmodi conciliari actione uti consueverunt, nempe: Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam". (C. V. 23 d.) Adnotatione prima schemati de doctrina catholica adiecta animadvertunt theologi: „Inscriptio *Pius Episcopus . . . sacro approbante Concilio* eadem est ac in ceteris oecumenicis Conciliis, quibus ipse Romanus Pontifex persona sua praesidebat." (Vide Lateran. IV. Harduin. Collect. t. VII. col. 18; Lugdun. I. ibid. col. 381. 401; Florentin. t. IX. col. 420; Lateran. V. ibid. col. 1719. Cf. PP. Chalcedonenses, ep. ad Leonem Pontif. t. II. col. 655. V. C. V. 518 d.)

[2] Ex complurium Patrum Congregationis generalis voluntate deputatio de fide prooemio schematis de doctrina catholica, quod valde breve erat (v. C. V. 507 a. b), substituit prooemium paullo amplius, „quo post commemoratos Concilii Tridentini, ultimi oecumenici, laetos fructus, errores, qui postea lapsu temporis nati et sparsi sunt, ob oculos ponerentur, atque ita tum finis Concilii Vaticani in universum, tum proprius Constitutionum dogmaticarum scopus indicaretur. Qui scopus esse non potest, ut fidei dogmata, de quibus agitur, plene declarentur, sed quatenus necessarium est ad fideles

Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum [1] nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae utpote supernatu-

praemuniendos contra errores, qui hac aetate nostra maxime grassantur". (C. V. 79 a. Cf. relationem Archiep. Simor de schemate ibid. 81 b et eiusdem relationem de emendationibus prooemii ibid. 91 d sq.)

[1] Inter conditiones, quas Patres aliqui voto „Placet" adiecerunt, animadvertitur etiam, rationalismum non ex contemptu sacrorum librorum, sed hunc ex illo natum esse. (V. Emendationes etc. Emend. 7. C. V. 220 d.) Id recte quidem. Sed illud „tum" universe ad totum illud tempus refertur, de quo sermo est in antecedenti paragrapho. Id ex historia prooemii apparet. Haec enim particula iam aderat in schemate, quod deputationi de fide proponebatur, in quo sententia de sacris libris deerat. (C. V. 1628 c.) Quum in schema Congregationi generali propositum haec sententia reciperetur, sequens sententia, particula illa omissa, ita formabatur, ut necessario ad *totam* superiorem sententiam referri deberet. (Cf. C. V. 70 c.) Restituebatur autem postea illud „tum". (Cf. ibid. 215 d.)

Volebant praeterea duo Patres, loco „tum nata est et late nimis per orbem vagata" poni „tum late nimis per orbem vagata est", „quia", ut alter dicit, „doctrina rationalismi seu naturalismi revera nata est longe antea, ni fallor, non solum, quia implicite continetur in omni haeresi, quae

rali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque [1] grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

praeponit rationem individuam auctoritati Ecclesiae, sed quia in aliquibus doctrinis falsis etiam antiquis *explicite docebatur* excellentia rationis naturalis". Alter Berengarii, Abelardi, Amalrici de Bena, Davidis de Dinanto exempla affert, ut ostendat, naturalismum et rationalismum exstitisse ante Tridentinum. (Emendationes etc. Emend. 6. 7. C. V. 220 c. d.) Respondet priori Episcopus Brixinensis, deputationis relator, omni tempore historiae ecclesiasticae, etiam ante protestantismum in complures sectas divisum, exstitisse rationalismum quendam, si vox accipiatur sensu latiori. „Omnes", inquit, „haeresiarchae imprimis ab Ario erant quodammodo rationalistae, nam fidebant plus arti suae dialecticae, quam simplici praedicationi evangelicae. . . Sed rationalismus in sensu moderno, qui omnem ordinem supernaturalem aut indirecte aut directe negat, certe enatus est ex protestantismo in plurimas sectas diviso, et ex agitatione animorum inde enata." (Relatio de exceptionibus. C. V. 233 c. d.)

[1] Inde errores illi dicuntur non fuisse inclusi inter terminos protestantismi, sed invenisse etiam multos asseclas inter catholicos; qui tamen in sequentibus dicuntur filii Ecclesiae, ii non sunt asseclae rationalismi, pantheismi etc., sed viri, qui causam Ecclesiae agere volebant, sed erroribus rationalismi aliquatenus inficiebantur. Etenim unus ex Patribus loco „plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis" poni voluit „plures etiam scriptores *catholicam fidem asserturi*" vel „*dum catholicam fidem asserere nitantur*", ne initio sententiae soli protestantes inter asseclas pantheismi, rationalismi etc. recenseri viderentur. (Emendationes. Emend. 7. C. V. 220 d.) Cui Episcopus Brixinensis respondit: „Dicimus expresse: hinc longe lateque vagata est pestis illa; sed exinde inferimus, hanc pestem non fuisse inclusam inter terminos protestantismi, sed invasisse etiam multos ex catholicis: et ii, qui dicuntur filii Ecclesiae in errorem inducti, non sunt asseclae pantheismi et materialismi etc., sed potius viri, qui sibi blandiebantur causam Ecclesiae agere; quia vero cum Ecclesia non sentiebant, etiam a vera pietate aberrarunt." (Relatio etc. C. V. 233 d sq.)

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum a).

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus [1] universi orbis Episcopis,

a) Is. 59, 21.

[1] In discussione speciali prooemii unus desiderabat, ut verbis „sedentibus et iudicantibus" adderetur „et definientibus". (V. Emend. etc. C. V. 90 d.) Exponit Archiep. Simor, deputationis relator, cur deputatio hanc additionem commendare nequeat. „Iudicare", inquit, „certe latius patet quam definire; hic nos non tantum definimus, sed iudicamus. Quomodo iudicamus? Quid hoc significat ‚Nobiscum sedentibus et iudicantibus'? Ad quid hic deputatio respexit? Ad verba ipsius Christi Domini dicentis (Matth. 19, 28): *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Huc respexit deputatio, cum scripsit ‚Nobiscum sedentibus, Nobiscum iudicantibus'. Sicut cum Filio Dei sedebunt Apostoli et iudicabunt, ita hic nos sedemus et iudicamus cum Ecclesiae capite, cum Romano Pontifice, cui hoc loco aliud ius non attribuitur, nisi ius sessionis nobiscum, ius iudicii nobiscum.

„Ipse Sm̃us Dominus Noster, recordemini, Rm̃i Patres, in sua prima allocutione, quam ad nos habuit, hoc dicit: haec sunt ipsius verba: ‚Vos autem nunc, Venerabiles Fratres, in nomine Christi congregati adestis, ut Nobiscum testimonium perhibeatis Verbo Dei et testimonium Iesu Christi, viamque Dei in veritate omnes homines Nobiscum doceatis, et de oppositionibus falsi nominis scientiae Nobiscum Spiritu Sancto duce iudicetis.' Et provocat ad Actus apostolorum cap. 15, et quidem provocat ad verba s. Iacobi Apostoli, qui in Concilio Hierosolymitano dixit: *Ego autem iudico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum:* ergo verbum *iudico* sumitur hic in vero iudicii sensu. Hic nos non consiliarii tantum sumus, et quidem etiam ex voluntate Summi Pontificis, sed veri iudices: hic verum actum iudicii exercemus. Haec verba deinde adhibuit deputatio etiam propterea quod respexit ad Cardinalis Bellarmini de hac re de Conciliis opus, qui expresse dicit, Concilium oecumenicum Episcoporum non esse consensum [*l.* consessum] tantum consiliariorum, sed esse consensum [*l.* con-

in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis[1].

CAPUT I.

De Deo rerum omnium Creatore[2].

[1.] Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia[3] credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem[4] ac Dominum

---

sessum] verorum iudicum. Ergo ex his causis, sed etiam propterea, Rm̃i Patres, quod illi, qui ad finem Concilii supervicturi ex nobis sunt, subscribent actis Concilii: *Ego definiens subscripsi;* propterea deputatio existimavit, ut propositio maneat sicuti est, tanquam Episcoporum iuri absolute nihil detrahens." (V. Relatio etc. C. V. 94a sqq.)

[1] Inter emendationes in discussione speciali prooemii propositas continebatur etiam talis, qua vox proscribendi et damnandi vitabatur. Proponebat unus, ut post verba „declarare constituimus" solum adderetur „erroresque adversos omnibus, qui salvandos se sperent, indigitare, ut illos agnoscant agnitosque evitent". (Emendationes etc. C. V. 90d.) Respondet Archiep. Simor, deputationis relator: „Haeccine est destinatio Conciliorum oecumenicorum, ut errores tantum indigitent et indigitent illis tantum, qui volunt salvari? Omnia Concilia errores condemnaverunt; errores, non autem errantes; omnia Concilia prae oculis habuerunt illud S. Augustini: ‚Interficite errores, sed diligite errantes.' Ergo deputatio existimat, etiam hancce mutationem acceptandam non esse salvo meliori vestro iudicio." (Relatio etc. C. V. 94d sq.)

Quum in Congregatione generali quadragesima quinta de toto schemate ageretur, unus ex Patribus voluit, in fine prooemii addi, „nemini licere absque salutis dispendio sentire, docere aut praedicare secus, ac in hac Constitutione declaratur et definitur", „ut expressius refellatur error eorum (et nominatim Denzingeri), qui contendant, *ea tantum* ex capitibus tenenda esse ut definita, quae subiectis canonibus respondent". (Emendationes etc. C. V. 221a.) Opponit relator, idem non quidem expressis verbis, sed vere tamen enuntiari in fine prooemii verbis „Nunc autem sedentibus Nobiscum etc." „In his verbis utique dicitur," inquit, „inter doctrinam, quae habetur in capitibus Constitutionis de fide, et inter doctrinam, quae habetur in canonibus, non aliam esse differentiam, quam quae est inter positivam doctrinam de fide et negativam. Prima edicit, quid sit de fide tenendum; altera vero, quid sit de fide vitandum et damnandum." (Relatio etc. C. V. 234b. c.)

[2] Primum hoc caput desumptum est ex capite primo schematis de doctrina catholica, excepta ultima paragrapho. (C. V. 507b. c.)

[3] Quae controversia exstiterit de his verbis, v. supra c. I. comm. I. p. 29 sqq.

[4] Uni ex Patribus vox Creatoris hoc loco omittenda videbatur, quum

coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus[1], in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

[2.] Hic solus verus Deus[2] bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul[3] ab initio temporis utramque de nihilo con-

---

altera demum paragrapho de creatione ageretur. (Emendationes etc. C. V. 98d.) Sed respondet Brixinensis, deputationis relator, Creatoris nomen, quum ad frequentissima nomina Dei pertineat, in solemni hac professione fidei in Deum non posse omitti; praeterea eo nomine Deum maxime distingui a creaturis. (Relatio etc. C. V. 104d.)

[1] Archiep. Simor animadvertit (Relatio etc. C. V. 85 d sq. Cf. 86b), his verbis etiam ontologistas feriri, „qui nempe docent, quod universa per se considerata non differant ab ipso Deo, et quos sacrae Inquisitionis Officium die 4. Septembris a. 1861 condemnavit". Videntur tamen verba Constitutionis non enuntiare veritatem formaliter, sed solum virtualiter oppositam ontologismo, quum Dei a mundo distinctio non formaliter negetur ab ontologistis, sed eatenus solum, quatenus ex eorum de rerum cognitione doctrina fluit error, mundum et Deum idem esse.

[2] Seriem sententiarum huius paragraphi ita exponit Brixinensis, deputationis de fide relator: „Primo agit (paragraphus) de actu creationis, et postmodum de effectu." Prior pars „iterum constat ex duabus partibus subordinatis, scilicet primo affertur doctrina catholica de actu creationis, qualis est in se, deinde in oppositione ad errores nostri temporis. Ad priorem partem pertinent verba: ‚Solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur'; ad posteriorem partem, scilicet oppositam erroribus nostri temporis, qui ferme omnes aut ex pantheismo aut saltem ex affini ipsius systemate derivantur, apponuntur verba ultima huius primae partis, scilicet ‚liberrimo consilio' et ‚ex nihilo simul ab initio temporis'. Quoad iterum priorem partem attinet, scilicet doctrinam ipsam, qualis est in se, exponitur primo motivum creationis, scilicet ‚bonitate', deinde causa efficiens creationis ‚omnipotenti virtute', et demum finis creationis ‚non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur'." (Relatio etc. C. V. 109d sq. V. ibid. 110d sqq., quid Brixinensis de creationis causa exemplari, movente, efficiente disserat.)

[3] Quae sequuntur, iam in schema de doctrina catholica ex Concilio Lateranensi IV. recepta erant. (Schema etc. C. V. 507c.) Theologi adnotant, iis adiectum esse illud „liberrimo consilio", „ut, quemadmodum *creatio de nihilo*, eaque *ab initio temporis* facta directe opponitur evolutioni aut emanationi aeternae a pantheistis assertae, ita libertas creationis directe

didit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam a).

[3.] Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter b). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius c), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt [1].

a) Conc. Later. IV. c. 1. *Firmiter.* (Hard. Coll. Conc. VII, 15.)
b) Sap. 7, 1. c) Cf. Hebr. 4, 13.

opponatur necessitati ab iisdem propugnatae". (Ibid. C. V. 520b.) In discussione schematis de doctrina catholica vituperatum est illud „*simul* ab initio temporis". Quaerebatur: „Quo iure asseritur, Angelos et homines simul esse creatos?" Consultor Franzelin, quum schema in sessione secunda deputationis explicaret (cf. Ex actis etc. C. V. 1647d. V. supra cap. I. p. 15): „Id verbis (Lateranensis IV.), quae transcripta sunt in schemate," inquit, „non solum non asseritur, sed clare indicatur contrarium, dum dicitur, ‚simul ab initio temporis conditam esse creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam (angelos et materiam, seu quod dicitur terra inanis et vacua Gen. 1, 2; materia invisa, ἄμορφος ὕλη Sap. 11, 18), *ac deinde humanam!* — Ceterum 1. non est apud omnes adeo certum, in Lateranensi particulam *simul* exprimere simultaneum temporis; potest enim significare paritatem creationis, ut Eccles. 18, 1 dicitur: ‚Deus creavit omnia simul, κοινῇ' (S. Thom. in I. Decretalem; Vasquez 1. P. disp. 224. c. 4). Praeterea 2. etiamsi accipiatur pro particula temporis, certum tamen est, in tali particula incidente non contineri definitionem quaestionis de tempore, quo fuerint Angeli creati (S. Thom. 1. q. 61. a. 3.; de potent. q. 3. a. 18.; Valentia 1. P. disp. IV. q. 12. punct. 2.)." (Disquisitio etc. C. V. 1625d.)

Illud „simul" certe hoc loco explicandum est, ut in Concilio Lateranensi IV. Ibi theologi illud intelligere solent tanquam particulam temporis, ita tamen, ut negent, *definiri,* Angelos et mundum corporeum eodem tempore creatos esse. Illud „simul" obiter vel incidenter addi. Cf. *Caiet.* in S. Thomae P. I. q. 61. a. 3. *M. Canus,* De locis l. 4. cap. 5. *Greg. de Val.* P. I. Disp. 12. p. 2. *Suar.,* De Angelis l. II. cap. 3. n. 6 sqq.

[1] Ultima paragraphus non iam erat in schemate Patribus proposito. (Cf. C. V. 72a.) In prima autem schematis paragrapho, ubi de attributis divinis sermo erat, Deus etiam „providissimus" praedicabatur (C. V. 71d), quo verbo Archiep. Simor deistas feriri dicit. (Relatio etc. C. V. 85d.) Ad eam vocem unus ex Patribus proposuit, ut ea omissa tertia paragraphus de providentia et praescientia Dei adderetur. (Emendationes etc. C. V. 99d sq.) Ei assentiebatur deputatio (C. V. 1671c); primo quidem, ut Brixinensis relator exponit, quia vox „providissimum" postea demum fuit introducta et turbat aliquantulum seriem sententiarum; deinde emendationem, qua offertur sententia de providentia et praescientia Dei, deputatio „ea etiam ex causa admittendam esse censuit, quia reapse multis in locis videtur dubitari etiam a theologis, utrum Deus reapse praesciat futura contingentia, i. e. futura libera: propterea certe non abs re erit, doctrinam certissimam, imo doctrinam, quae certe est de fide, proponere, quod Deus est providissimus et praesciens futura etiam contingentia et libera". (Relatio etc. C. V. 105a. b.) Emendationem fere omnes Patres approbarunt. (Ibid. C. V. 109a.)

CAPUT II.

De revelatione [1].

[1.] Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem [2], naturali [3] humanae rationis [4] lumine e rebus creatis certo cognosci posse [5]; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur a) [6], attamen placuisse eius sapientiae et bonitati [7], alia, eaque supernaturali via se

a) Rom. 1, 20.

[1] Prima capitis paragraphus, qua de possibilitate Deum naturaliter cognoscendi ac de facto revelationis supernaturalis agitur, et tres priores canones ex altero capite schematis de doctrina catholica (C. V. 507b) desumpti sunt. Altera paragraphus (de necessitate revelationis) ex capite quarto illius schematis. (C. V. 509a.) Duae ultimae paragraphi cum quarto canone (de revelationis fontibus et interpretatione Scripturarum) tertio capiti schematis de doctrina catholica (C. V. 508c sqq.) respondent. Quod in capite altero huius schematis continetur de hominum revelationis recipiendae officio (C. V. 507d sq.), transiit in caput tertium Constitutionis de fide.

[2] Num Deus *tanquam principium et finis omnium rerum* sola ratione certo cognosci possit, et quatenus id hoc loco definiatur, v. supra cap. II. comment. II. p. 42 sqq.

[3] Volebat unus ex Patribus deleri vocem „naturali". „Homo enim", inquit, „nunquam in statu mere naturali fuit, nec proinde esset rationis lumen." (Emendationes etc. C. V. 225a.) Respondet Brixinensis: „Mihi videtur Rmus auctor huius exceptionis confundere duo, quae non sunt confundenda, scilicet principiis rationis et exercitium rationis. Nos solummodo loquimur de principiis rationis, quod Deus ex principiis rationis certo cognosci possit; quidquid sit de exercitio rationis. Si in hoc sensu non possit dici lumen naturale hominis, deinde, Rmi Patres, omnes omnino libri tam theologorum scholasticorum tam reliquorum essent delendi." (Relatio etc. C. V. 238b.)

[4] Ratio hominis sive in statu naturae purae sive in statu naturae lapsae exsistentis ad Deum certo cognoscendum sufficere dicitur. V. supra cap. II. comment. II. p. 33.

[5] De vi totius huius definitionis v. supra cap. II. comment. II. p. 32 sqq.

[6] Etiam ad hunc versiculum spectat, quod Brixinensis de sequenti animadvertit (Relatio etc. C. V. 238a): „Apostolus, cum hoc in loco dicit, quod [ethnici philosophi] cognoverint Deum, hanc cognitionem derivat ex speculo creaturarum; . . . non potest dici quod habuerint ethnici philosophi etiam semina traditionis, quidquid sit hac de re, de qua multum disputatum est et disputari potest; sed apostolus Paulus, cum haec scribit, nonnisi ad cognitionem Dei naturalem per speculum creaturarum respicit."

[7] Unus voluit deleri „et bonitati", ne tangeretur quaestio scholarum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio a).

[2.] Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt [1], in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus [2] expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint [3]. Non hac tamen

a) Hebr. 1, 1—2.

utrum supernaturalis elevatio esset merus effectus bonitatis, an requisitum sapientiae Dei. (Emendationes etc. C. V. 121 c.) Respondet Brixinensis, quum agatur de facto revelationis V. et N. Testamenti, quae certo et bonitati et sapientiae divinae attribuenda sit, propositum in locum non quadrare. (Relatio etc. C. V. 133 c. Cf. ibid. 225 a. 235 d.)

[1] Ea latius patent, quam quae in antecedenti paragrapho naturali rationis humanae lumine cognosci posse dicuntur. Voluit unus ex Patribus in discussione generali (Emendationes etc. C. V. 122 c), loco „quae in rebus divinis“ ex pristino schemate de doctrina catholica recipi „quae de Deo et de lege naturali“. (Schema etc. C. V. 509 b.) Id recusat deputatio, „quia studio expressio ista ‚in rebus divinis‘ fuit assumpta, ut notio paullulum latior habeatur“. (Relatio etc. C. V. 136 b.) — Intelliguntur veritates religiosae et morales naturales. Omnes tamen veritates naturales (religiosas) humanae rationi per se pervias esse non affirmari, dicit Brixinensis. (Ibid. C. V. 239 b.)

[2] Ne nunc quidem, facta revelatione, illa omnia ab omnibus, imo ab ullo homine „expedite, firma certitudine et nullo admixto errore“ cognosci possunt. Beneficio revelationis tribuendum est, ut illa, id quod per se subintelligitur, *convenienti quadam mensura* ab omnibus cognosci possint. Id expressum erat in primo schemate de doctrina catholica verbis „sufficienti amplitudine“. (Schema etc. C. V. 509 b.)

[3] Brixinensis in relatione ait: „. . . docetur necessitas moralis revelationis divinae, i. e. necessitas, quae non se habet ex parte obiecti, nam ex parte obiecti agitur de iis, quae in rebus divinis humanae rationi impervia non sunt; sed agitur de necessitate, quae se habet ex parte subiecti, i. e. hominis in praesenti quoque generis humani conditione. . . Si agatur ergo de cognitione naturali actuali in istis circumstantiis, tot ac tantae difficultates homini, prout nunc est, obiiciuntur, ut revelatio supernaturalis dici possit moraliter necessaria.“ (Relatio etc. C. V. 135 a.) De eadem re explicatu non tam facili haec habent theologi in adnotationibus ad schema de doctrina catholica (C. V. 524 d): „Praeter dogmata supernaturalia, de quibus hactenus dictum est, in revelatione supernaturali continentur etiam veritates ad Deum et ad legem naturalem spectantes, quae *per se possunt* ex naturali quoque Dei manifestatione cognosci. Non potest ergo ad cognitionem huiusmodi veritatum affirmari necessitas *absoluta* manifestationis supernaturalis aut revelationis; si nimirum non de modo cognitionis, sed solum de ipsa cognitione in se agitur. Attamen pro genere humano in praesenti conditione ad has veritates debito tempore, sufficienti claritate et plena certitudine, sine

de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum a) [1].

a) I. Cor. 2, 9.

admixtione errorum assequendas eae sunt difficultates, ut potentia physica generatim non perducatur ad actum sine speciali adiutorio. Difficultates ita comparatae constituunt *impotentiam moralem*, cui respondet *moralis necessitas* adiutorii. Hoc autem adiutorium speciale in communi providentia praesentis ordinis naturae elevatae consistit in ipsa supernaturali revelatione. Ergo haec revelatio quoad illas quoque veritates per se rationales in praesenti ordine censeri debet humano generi *moraliter necessaria* (cf. S. Thom. 1. q. 1. a. 1.; 2. 2. q. 2. a. 4.; contr. gent. I. 4; de verit. q. 14. a. 10.). — Haec moralis necessitas exprimitur, dum declaratur supernaturalis revelationis *maximum beneficium*, quia ei *debetur in ordine praesenti harum quoque veritatum propositio omnibus accommodata, ut ad earum cognitionem debito tempore, sufficienti amplitudine, firma certitudine et absque errorum permixtione perveniri possit.* Videlicet per ipsam revelationem tollitur *moralis impotentia*, atque adeo redditur humano generi cognitio *moraliter possibilis.*“ — Ad quaestionem ipsam de morali revelationis necessitate intelligendam bene notandum est, quod theologi dicunt, illud „speciale adiutorium“, quo indigemus, „in communi providentia praesentis ordinis *naturae elevatae*“ consistere „in ipsa supernaturali revelatione“. Itaque non sequitur, in statu *naturae purae* futurum fuisse, ut homines revelatione indiguissent, etiamsi eorum vires naturales non superassent nostras. Alia enim fuisset providentia ordinis naturae purae, qua non quidem revelatio exstitisset, sed alia tamen subsidia oblata essent, quibus cognitio rerum divinarum etiam moraliter facta esset possibilis.

[1] Sententia explicatur a Brixinensi (Relatio etc. C. V. 134 b. c) et accuratius ita a theologis in adnotatione ad schema de doctrina catholica (C. V. 524 a sqq.): „Per naturale lumen rationis cognosci quidem possent finis naturalis, ad quem nimirum natura humana ex intrinsecis suis principiis ordinata esset, et media ad hunc finem assequendum necessaria. At finis supernaturalis et huic fini proportionata proindeque supernaturalia media, sicut sunt supra vires totius naturae creatae, supra eius exigentiam, et supra totam perfectibilitatem intra limites naturae; ita ordinatio ad talem finem per talia media (supposita etiam quacunque perfectione naturali) non potest esse nisi ex libero infinitae bonitatis consilio. Unde hoc consilium, et proinde ordinatio ad talem finem et media ei proportionata non possunt cognosci per ea quae facta sunt, seu ex naturali manifestatione Dei; sed necessaria est alia Dei manifestatio, quae sicut ipsa res manifestanda est supra exigentiam naturae humanae. Haec supernaturalis revelatio pro vita praesenti in hoc caliginoso loco, donec lucifer oriatur in cordibus nostris, nobis fit per verbum Dei.

„Hypothesis ergo, sub qua affirmari debet omnimoda necessitas revela-

(3.) Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt a). Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione [1] habentur, pro sacris et canonicis [2] suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola

a) Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

tionis supernaturalis, est elevatio humanae naturae ad ordinem supernaturalem, in quo sicut dona supernaturalia impertiuntur, ita veritates supernaturales supernaturali modo cognoscendae sunt. Quaecunque proinde supponatur *naturalis perfectio* hominis, manet eadem necessitas huius supernaturalis revelationis quoad ea dogmata, ‚quae (ut S. D. N. Pius IX. loquitur in litteris *Gravissimas inter* 11. Dec. 1862) supernaturalem hominis elevationem ac supernaturale eius cum Deo commercium respiciunt, atque ad hunc finem revelata noscuntur'. Ergo hypothesis, sub qua necessaria dici debeat revelatio, non est abusus tantummodo virium naturalium ex parte hominis et corruptio humanae rationis; simili fere modo, quo gratia interna non solum propter corruptionem naturae, sed propter ipsam elevationem ad ordinem supernaturalem (quavis supposita perfectione naturali) necessaria credi debet. Expositio huius doctrinae maxime ideo gravis momenti est pro nostris temporibus, quia in errore opposito continetur unum ex principiis, quibus doctrina catholica de ordine supernaturali subvertitur vel in periculum vocatur.

„Propterea in schemate decreti excluditur hic error, quo dicitur necessaria revelatio tantummodo *velut subsidium ad facilius et universalius assequenda ea, quae in manifestatione naturali iam continerentur et ex ea intelligi possent.* Affirmatur autem necessitas omnimoda propter ipsam *elevationem ad supernaturalem ordinem, et in hoc ordine ad supernaturalium rerum cognitionem per fidem.* Sicut deinde summa erroris posita est in confusione veritatum, quae ex supernaturali revelatione tantummodo cognosci possunt, cum veritatibus, quae in naturali etiam manifestatione continentur: ita errori opponitur veritas catholica, quod *supernaturalia dantur dogmata, quae in naturali Dei manifestatione non continentur.*

„Tota haec catholicae doctrinae expositio est contra ipsam radicem erroris in *Syllabo* notati sub n. VIII: ‚Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.'"

[1] Non intelligenda est sola Clementis VIII. editio, sed intelligitur vulgata, ut in Tridentino ante vulgatam a Clemente Papa editam intelligebatur. V. supra cap. II. comment. III. p. 47.

[2] Quale intercedat discrimen inter librum inspiratum et canonicum, v. supra cap. II. comment. III. p. 51 sqq.

humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati [1]; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant [2]; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti [3] Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt [4].

[4.] Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes [5], hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium [6], is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari [7].

CAPUT III.

De fide [8].

[1.] Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur [9]. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ec-

[1] Num hac sententia doctrina Lessii et Lovaniensium notetur, v. ibid. p. 49 sqq.

[2] „Nam si huiusmodi libri essent inspirati, omnes canones Conciliorum libris sacris essent adnumerandi." (Relatio etc. C. V. 141a.)

[3] Offendebatur unus ex Patribus, quod hoc loco verba ex II. Petr. 1, 21, quibus tantum de prophetiis sermo esset, generatim ad libros inspiratos referrentur. Voluit scribi ex II. Tim. 3, 16: „divinitus inspirati". (Emendationes etc. C. V. 125d.) Respondit Brixinensis, verba, quum ex Florentino decreto assumpta essent, retinenda esse. (Relatio etc. C. V. 239b.)

[4] De tota hac definitione v. supra cap. II. comment. III. P. II. p. 47 sqq.

[5] Cur Tridentini decretum renovari debeat, v. supra cap. II. comment. III. p. 53.

[6] Explicationem horum verborum v. ibid. p. 54 sqq.

[7] Totius huius paragraphi explicationem v. ibid. P. III. p. 53 sqq.

[8] Rmus Conradus Martin, Episcopus Paderbornensis, qui de emendationibus in caput tertium eiusque canones propositis nomine deputationis relationem habuit: „Deputatio . . . sibi proponit," inquit, „in hoc capite tertio exponere doctrinam de fide; sed, quod bene notandum est, non eam completam et absolutam, sicuti in theologico aliquo tractatu exhibenda foret, sed potius contractam ad illa puncta, quae hodiernis circa fidem erroribus opponuntur." (Relatio etc. C. V. 165d sq.)

[9] Haec sententia, ex capite altero schematis de doctrina catholica recepta (C. V. 507d sq.), in schemate primo reformato continebatur in altero

clesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium a) [1].

a) Hebr. 11, 1.

eius capite de revelatione (C. V. 1629 b. c.), et a deputatione in caput tertium de fide translata est. (Ex actis etc. C. V. 1665 b.) Atque his quidem verbis expressa certe magis ad doctrinam de fide, quam ad doctrinam de revelatione spectat. Adversariorum autem doctrina, cui haec sententia primo opponitur, magis directe doctrinam de revelatione aggreditur, quam doctrinam de fide. Etenim „dicunt, humanam rationem esse penitus independentem atque in se ipsa esse omnis veri omnisque boni fontem et unicam normam ac legem, ita ut supra naturales rationis cognitiones veritas credenda ne divina quidem opera et auctoritate revelari ac fides imperari queat". (Schema de doctrina catholica. C. V. 508 a.) Cf. quae infra ad canonem primum huius capitis adnotavimus.

[1] Haec altera paragraphi pars ex cap. sexto schematis de doctrina catholica recepta est. (C. V. 510 a. b.) In nota ibi addita explicatur ita: „Imprimis datur descriptio ipsius fidei secundum definitionem Concilii Tridentini (Sess. VI. cap. 6.), eo solum discrimine, quod ibi fides spectatur praecise, ut est initium iustificationis impii, hic autem consideratur fides eadem per se, et directe quidem ac proxime, quatenus a scientia mere rationali distinguitur. Dicitur igitur *virtus supernaturalis,* quae deinde ex proprio suo actu declaratur. Actus vero ipse, qui est assensus in veritatem adeoque formaliter pertinet ad intellectum, definitur secundum suum *obiectum formale et materiale* et secundum *principium eliciens,* quod est homo quidem, sed instructus supernaturalibus viribus gratiae." (C. V. 528 a.) De adversariis, quorum erroribus haec definita doctrina opponitur, haec ibi (C. V. 527 a) animadvertuntur: „Rationalistae loquuntur et ipsi de *fide religiosa;* sed fidem, cuius motivum sit auctoritas Dei loquentis, nullam possunt admittere, cum ipsam locutionem Dei seu revelationem negent. Unde nomine *fidei* generatim non aliud intelligunt, quam rationalem scientiam rerum ad Deum et ad religionem pertinentium. Pro diverso autem modo, quo scientiam constituunt, etiam fidem religiosam solo nomine retento alii aliter concipiunt. Verum hac quoque in fundamentali notione *fidei* derivatio aliqua doctrinae a rationalismo ad semirationalismum locum habuit. Semirationalistae negant, auctoritatem Dei loquentis esse motivum formale fidei, qua fideles nominamur et sumus; h. e. negant, propriam rationem huius fidei in eo positam esse, ut assensus praestetur *propter auctoritatem* Dei loquentis. Docent enim, omnem firmam persuasionem de Deo et de rebus divinis esse fidem illam proprie dictam, a qua fideles denominantur, etiamsi motivum amplectendi et tenendi veritatem non sit auctoritas Dei, sed veritas teneatur solummodo propter perspectum intrinsecum nexum idearum. Imo dicunt, sensu sublimissimo *fidem* esse ac dici debere e. g.

[2.] Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata [1]. Quare tum Moyses et Pro-

cognitionem exsistentiae Dei, ad quam ex consideratione huius universi perveniatur."

Semirationalistarum doctrina his eorum locis illustratur ibid. (C. V. 527 d): „Si exclusa falsa credulitate, etiam illa quae per accidens verum credit, sed ideo secundum dictamina rationis non minus reprehensibilis est, velimus fidem definire, dicendum est, *fidem esse in nobis statum certitudinis seu persuasionis de veritate rei cognitae, in quem statum inducimur per necessarium assensum rationis theoreticae vel per necessarium consensum rationis practicae.* Haec fides rationalis est finis supremus totius philosophiae, unica vera norma hominis in hac vita, et necessaria conditio ad eius elevationem. Quare dicit Apostolus gentium: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium." (G. Hermes, Introd. philos. ad theolog. p. 259.) — „Si auctoritas designatur ut unicum motivum fidei atque adeo ut eius fundamentum, hoc ipso intrinseca firmitas fidei subvertitur." (Ibid. p. 265.) — „Quid est fides sublimissimo sensu? Apprehensio eorum, quae per sua phaenomena se manifestant, vel tanquam fundamentum substant cognitioni empiricae. Christianus cognoscit et *credit* Dei exsistentiam, dum in universo eius maiestatem et divinitatem intellectu conspicit." (G. C. Mayer, Lexic. Ecclesiast. t. IV. p. 522.)

[1] Paragraphus recepta est ex cap. septimo schematis de doctrina catholica. (C. V. 510 b sqq.) — Quae sit doctrina opposita, quam respiciat, v. in relatione Archiep. Strigoniensis (C. V. 87 b), in relatione Episc. Paderbornensis (C. V. 166 d), idque accurate exponunt theologi in adnotatione 16. ad schema de doctrina catholica (C. V. 528 b sqq.): „Hic articulus opponitur errori, qui speciem pietatis quandoque assumens eo plus habet periculi. Inter protestantes illos, qui revelationem christianam se admittere profitentur, multi sunt, qui reiectis criteriis ad cognoscendum et probandum factum revelationis idoneis, unice provocant ad *internam experientiam,* ad *sensum religiosum*, ad *testimonium spiritus*, ad *immediatam certitudinem fidei.* Valorem itaque aut necessitatem *motivorum credibilitatis*, quae inducantur ex miraculis, prophetiis adimpletis etc., vel omnino negant, vel ea solum admittunt tanquam subsidia quaedam, si fides iam supponitur; quia (ut aiunt) ipsa huiusmodi facta nisi per fidem iam suppositam cognosci non possunt. Iam pseudo-reformatores verbum Dei genuinum ex ‚sapore' et ‚gustu' discernere consuerunt, ad quem finem in unoquoque homine fideli ponebant immediatum testimonium Spiritus Sancti. Recentiores vero eadem methodo retenta huic testimonio Spiritus Sancti plerumque substituunt naturalem *sensum religiosum* vel *indigentiam animi religiosi,* per quem sensum immediate, et quin veritas revelata ex criteriis extrinsecis nobis fiat *credibilis,* religionem christianam amplectamur tanquam veram et divinam. Neque

phetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis a). Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco b).

[3.] Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo

a) Marc. XVI, 20. b) II. Petr. 1, 19.

desunt alii, qui doceant, facta illa supernaturalia non posse intelligi tanquam motiva credibilitatis, nisi fides iam praesupponatur, et propterea ipsum factum revelationis homini, qui fidem nondum suscepit, demonstrari non posse, ac proinde certam persuasionem de veritate facti revelationis seu de revelationis exsistentia non posse praecedere ad susceptionem fidei christianae; sed absque huiusmodi persuasione per divinam gratiam produci fidem ita, ut haec sit spontaneus et immediatus actus rationis.

„Ceterum S. Sedes iam saepius necesse habuit huiusmodi errores proscribere. Ab Innocentio XI. 2. Martii 1679 damnata est haec propositio (XXI.): ‚Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.‘ Approbante S. Sede subscribendae theses propositae sunt 8. Sept. 1840: ‚Revelationis christianae probatio ex miraculis Christi desumpta, quae testium ocularium sensus mentesque percellebant, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit. Hanc eandem probationem in traditione omnium Christianorum orali et scripta reperire est; qua duplici traditione illis demonstranda est, qui vel eam reiiciunt vel, quin admittant, requirunt.‘ ‚Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis Iudaeis per Moysem et Christianis per Iesum Christum factae probare valet.‘ In Literis Apostolicis Sñi D. N. 9. Nov. 1846 inter alia docetur: ‚Humana ratio ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse loqutum.‘

„Errorem vero ipsum, contra quem hic articulus in schemate proponitur, periculis plenum esse, per se manifestum est. Si enim reiectis vel suo valore exutis criteriis extrinsecis, quibus Deus suam revelationem velut sigillis divinis cognoscibilem reddidit, totum revocatur ad ‚internam experientiam‘ et ad ‚sensum internum‘, nullus amplius remanet modus certus discernendi revelationem veram a fictitia. Ille enim sensus secundum providentiam ordinariam non subest experientiae sub formali ratione, quatenus sit *supernaturalis*, et si seiungatur a criteriis extrinsecis, patet illusionibus gravissimis. Unde etiam videmus, homines pro religione falsa et erroribus manifestis appellare ‚ad experientiam et ad sensum internum‘, quem ipsi tribuunt Spiritui Sancto.“

veritati a). Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando [1].

a) Syn. Araus. II. can. 7. [Hard. Coll. Conc. II, 1099.]

[1] Paragraphus contra Hermesianos recepta est. (Relatio etc. C. V. 87 c. 166 d.) Error eorum accurate expositus est in theologorum adnotationibus ad cap. octavum schematis de doctrina catholica (C. L. 529 c sqq.): „In doctrina Hermesiana distinguitur imprimis ‚fides cognitionis‘ (ut ipsi appellant), h. e. fides, qua assensus praestatur veritati, et deinde ‚fides cordis‘, h. e. fides, quae per charitatem operatur. Illa prior dicitur etiam fides ‚passiva‘, et ‚consistit in *consensu necessario, qui inducitur* per argumenta pro veritatibus religionis christianae, et in *necessaria (coacta) persuasione* de veritate demonstrata‘. Fides autem ‚cordis‘ est liberae voluntatis: ‚continetur enim in ea libera et absoluta subiectio sub iis, quae revelata sunt, scilicet omnimoda resignatio in Deum ac res divinas. Est nempe haec fides avulsio ab omnibus rebus terrenis, et ideo eam sequitur libera perfecta [de]liberatio ac voluntas amandi et quaerendi Deum‘. (G. Hermes, Dogmatic. P. III. § 282 sqq.) Assensus igitur fidei non est liberae voluntatis, sed est persuasio necessaria inducta rationibus ‚cogentibus‘, quae necessitas assensus si desit, putant non aliud remanere quam vanam credulitatem, ‚etiamsi forte per accidens verum sit, quod creditur‘. (Idem, Introd. philos. ad theol. p. 259.)

„Hinc consequitur, ad assensum fidei nullo modo necessariam esse gratiam. Namque, aiunt, ‚fides illa passiva oritur necessario secundum mere naturalem constitutionem humani intellectus et humanae rationis, *et ideo ad hanc fidem eliciendam neque potest esse sermo de necessitate gratiae actualis*‘. Unde ulterius fides *ne mediate quidem salutaris est;* attamen praeparat hominem ad fidem operantem, quae ‚sola est actus mediate salutaris‘, sicut ‚spes operans et charitas operans sunt immediate salutares‘. (Idem, Dogmatic. P. III. § 285.) Unde etiam pervertendo sensum definitionum, quibus a Conciliis [et] a PP. declaratur gratia necessaria ad credendum, sicut oportet, aiunt, has definitiones solummodo de necessitate gratiae ad fidem iam vivam, quae per charitatem operatur, intelligi oportere; et hoc ipso significari, ad fidem cognitionis, quae nondum viva sit, gratiam non requiri. Non intelligunt nimirum, illas particulas *sicut oportet, sicut expedit,* a Conciliis additas esse, ut indicetur necessitas gratiae ad credendum *actu supernaturali.*“

(„In opusculo apologetico ‚Meletemata theologica‘, quod patroni Hermesianae doctrinae Summo Pontifici offerre tentarunt, hic error clarissime defenditur. ‚Quid iudicabimus secundum Ecclesiam catholicam de fide mortua et otiosa? Etiam hanc esse donum gratiae illius supernaturalis, id neque diserte expressum inest in Conc. Trid. Sess. VI. can. 28., neque concludendo effici potest; nam isto canone de gratiae necessitate nullus omnino sermo fit, quamvis dicatur, posse in eo, qui per peccatum gratiam amiserit, veram fidem remanere licet mortuam et sine caritate. . .

[4.] Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata [1] credenda proponuntur.

Non est fidei dogma, eiusdem gratiae supernaturalis necessitatem pertinere etiam ad fidem mortuam, quae salutem non praestat. Addimus, hanc postremam sententiam ne habere quidem, quo fulciatur; imo videri pugnantem esse cum mente Patrum, qui in illis Conciliis Ecclesiae doctrinam explicuere (Arausic. II. can. 7. 8.; Trid. Sess. VI. can. 3.). Nam si PP. declarant: Homini, ut possit cogitare de rebus ad salutem vitae aeternae pertinentibus, *sicut expedit,* ut possit credere, *sicut oportet,* necessaria est gratia divina supernaturalis; nonne colligi licet a contrario, fuisse tacitam mentem illorum Patrum, posse hominem sine gratiae supernaturalis adiutorio credere, *sicut non oportet,* id est, habere fidem mortuam et otiosam?' [Ibi § 33. p. 82 sq.]")

„At errorem hunc plane esse haereticum, nemo dubitare potest. Iam Semipelagiani distinguebant inter fidem seu fidei initium et inter opera bona seu vitae sanctitatem; et quod ad initium fidei gratiam supernaturalem necessariam esse negarent, ideo haereseos damnati sunt ab universa Ecclesia, nominatimque definita est necessitas gratiae ad fidem christianam, qua consentitur evangelicae praedicationi, seu ad fidem illam, quam recentiores isti appellant ‚fidem cognitionis'. Sic e. g. definitur in Conc. Arausic. II. can. 7.: ‚Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, *sive salutari id est evangelicae praedicationi consentire posse* confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, *qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati,* haeretico fallitur spiritu' etc. Pariter Concilium Tridentinum Sess. VI. cap. 8. declarat, ‚fidem esse humanae salutis initium, fundamentum et radicem omnis iustificationis'. Ubi vero describit ordinem et progressum iustificationis, tanquam primum gradum dispositionis ad iustitiam ponit ipsam fidem dogmatum, eamque docet esse ex gratia ibid. cap. 6.: ‚Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum *excitati divina gratia et adiuti fidem ex auditu concipientes* libere moventur in Deum, *credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt.*' Quae quidem Concilii doctrina directe opponitur sententiae, qua ‚fides cognitionis', h. e. fides dogmatum nec ex gratia supernaturali, nec salutaris, nec libera esse dicitur."

[1] De hac paragrapho a deputatione de fide schemati reformato addita v. supra cap. I. Historia originis etc. p. 16. 22 sq. In schemate Patribus a deputatione proposito sententia erat haec: „quae . . . continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario magisterio credenda proponuntur". (Schema etc. C. V. 73 c.) Quaedam emendationes proponebantur, quibus patet, aliquos ordinarium illud magisterium Summum Pontificem intellexisse. (Emendationes etc. C. V. 159 b sqq.) Secundum has emendationes Paderbornensis nomine deputationis de fide proposuit, ut diceretur „ordinario *et universali* magisterio", idque, ut ait, propterea, „ne quis putet, nos loqui hoc loco de magisterio infallibili S. Sedis Apostolicae, hoc magisterium opponendo nempe Conciliis generalibus. Nam nuper honorem habui, vobis ex hoc loco de-

[5.] Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa [1] contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit [2], suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

[6.] Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes a), et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur [3]. Cui quidem testi-

---

a) Is. 11, 12.

---

clarare, quod nullatenus ea fuit intentio deputationis, hanc quaestionem de infallibilitate Summi Pontificis sive directe sive indirecte tangere; et hoc igitur verbum *universale* idem fere significat, quod illud verbum, quod Sñus Pater in suis Literis Apostolicis adhibuit, nempe magisterium totius Ecclesiae per orbem dispersae". — Porro eodem Rño Episcopo proponente additur „tanquam divinitus revelata", quibus duabus additionibus id spectari dicit, „ne sc. scholarum opiniones, quae per scholas catholicas traduntur, etiamsi certae, inserantur doctrinae fidei". „Secundo", inquit, „hac modificatione totum obiectum materiale fidei divinae pressius determinatur atque erroribus temporis obviam itur." (Relatio etc. C. V. 176 b sqq.)

[1] Agitur de fide, ut est *virtus,* quae in baptismo etiam infantibus infunditur; quod declarat Paderbornensis, ut pateat, cur ad verba „nemini unquam" non addendum sit „eorum, qui ad usum rationis pervenerunt". (Relatio etc. C. V. 178 c.)

[2] Non excluduntur alii Ecclesiae fines. (Ibid. 179 a. Cf. Emendationes etc. C. V. 160 d.)

[3] Ecclesia, ut adnotant theologi ad schema de doctrina catholica (C. V. 533 a. b), „fidelibus etiam citra arduas et scientificas inquisitiones est munimentum firmissimum, ut maneant in eo, quod audierunt ab initio (I. Ioan. 2). Quamvis enim fideles rudiores motiva omnia credibilitatis distincte non noverint nec ipsi ea valeant explicare; noverunt tamen modo ipsis accommodato unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, et in hac semper eis ob oculos versatur incommutabile, plene sufficiens et certum credibilitatis motivum, seu potius motivorum complexus, ut non iam, quasi ‚cito credant, leves sint corde' (Eccles. 19, 4), sed *fundamentis innitantur firmissimis ad plenam credibilitatis certitudinem, parati semper, quantum ad*

monio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur[1]. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur[2]; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi[3]. Quae cum ita sint, gratias

singulos pro eorum conditione spectat, ad satisfactionem, per Ecclesiam nempe et in Ecclesia, *omni poscenti rationem de ea, quae in ipsis est, spe.* Sicut namque in veritatibus quibusdam naturalibus disponente providentia Dei naturali totum genus humanum citra demonstrationem scientificam habet plenam certitudinem, quae inquisitione philosophica potest quidem in suis fundamentis amplius et distinctius explicari, sed nullis apparentibus rationibus labefactari: ita divina bonitas et sapientia in ordine providentiae supernaturalis disposuit Ecclesiam catholicam iis insignem characteribus, ut in ea citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam rudes habeant facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quae poterunt per disciplinas apologeticas distinctiori et ampliori explicatione confirmari; sed non potest rationibus oppositis induci prudens dubium ad illam certitudinem labefactandam. Profecto Deus et Christus eius non doctis tantum hominibus fidem destinavit et suam revelationem certo cognoscibilem reddidit; sed pauperes evangelizantur, et ut Apostolus ait, non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes."

[1] De his verbis v. supra cap. II. comment. IV. p. 67 sq.

[2] Duabus rationibus: 1. Quia Ecclesia catholica signis veritatis lucet, quibus caret religio falsa; 2. „quum prae lumine gratiae", ut aiunt theologi in adnotatione ad schema de doctrina catholica (C. V. 533c. d.), „non par, sed omnino opposita sit ratio veritatis et erroris. Qui enim religione falsa tenentur, per lumen gratiae inducuntur ad examen apparentium rationum sui erroris et rationum veritatis, atque in hoc examine quo diligentius divina illustratione implorata consultaverint, eo magis Deus, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, *suam dabit gratiam errantibus,* ut, dummodo ipsi cooperentur, *ab errore reducantur et convertantur ad veritatem.* Ex adverso autem Deus veritatis per suam gratiam fideles in semel agnita fidei veritate confirmat, atque ita *in auxilio opportuno credentium fortitudo Dominus est, qui non deserit, nisi deseratur.* Sicut ergo sequendo gratiam eique cooperando homines trahuntur a Patre luminum ad fidem, ita gratiam negligendo eique resistendo a fide deficiunt, ut ait Apostolus: Bonam conscientiam . . . quidam repellentes circa fidem naufragaverunt."

[3] De quaestione, num definiatur hoc loco, eos, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperint, sine peccato formali eandem fidem mutare vel in dubium vocare non posse, v. supra cap. II. comment. IV. p. 61 sqq. Ibidem v. Hermesii aliorumque doctrinam, quae doctrinae hoc loco definitae opponitur.

agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

CAPUT IV.

De fide et ratione[1].

[1.] Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus[2]; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt[3]. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est[a]), pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: — nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei[b]). Et ipse

a) Ioan. 1, 17. b) I. Cor. 2, 7—9.

[1] Prima et altera capitis paragraphus desumpta est ex capite quinto schematis de doctrina catholica (C. V. 509c. d), tertia ex eiusdem capite decimo (C. V. 512c sqq.), quarta primo addita in schemate Patribus proposito (C. V. 75b. c), eique inserta in Congregatione generali sententia „Non enim . . . perducere". (C. V. 205c.) Ultima paragraphus est ex capite undecimo schematis de doctrina catholica (C. V. 513b sqq.), eique adiecta ultima sententia ex Vincentio Lirinensi in 8. sess. deputationis de fide. (C. V. 1656b.)

[2] „Quum in prima paragrapho capitis quarti duplex cognoscendi ordo etiam ex eo distinguitur, quod in ‚altero per rationem naturalem', in altero per ‚fidem divinam' cognoscatur, non asseritur, a fide rationem sic excludi, ut credendi actus non sit actus ipsius intellectus. Sed id asseritur, in altero ordine intervenire tantum principia homini seu rationi propria, in altero etiam principium infusum, quo intellectus ad exercendum fidei actum elevatur seu idoneus redditur." (Ratio etc. C. V. 80c.)

[3] In schemate, quod primo reformatum Patribus deputationis proponebatur, erat: „quae, nisi revelata divinitus, *nec homini nec angelo* innotescere possunt". (C. V. 1630c.) Licet id mutatum (C. V. 1656c) nec iam expresse definitum sit, res tamen ipsa patet et locis scripturae citatis et Literis Apostolicis, quas in nota ad canonem primum attulimus, facile probatur.

Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis a).

[2.] Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt [1]. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem b) [2].

a) Matth. 11, 25. b) II. Cor. 5, 7.

[1] Respondenti loco schematis de doctrina catholica theologi haec adnotant: „Dupliciter nimirum de scientia mysteriorum sermo haberi potest: 1. ita ut ex principiis solo lumine rationis perspectis ad eorum exsistentiam demonstrandam, et intrinsecam essentiam intelligendam perveniri posse dicatur, atque hoc sensu existimentur veritates non superrationales sed rationales. . . 2. Est alia mysteriorum scientia, quae progreditur ex principiis revelatis et fide creditis, atque his principiis innititur. Haec intelligentia absit, ut excludatur; ea enim constituitur magna pars sacrae theologiae. Fide nimirum supposita inquiritur, quomodo veritates in revelatione sint propositae, quae est theologia *positiva* (ut dici solet); atque inde assumptis etiam veritatibus et principiis rationalibus aliqua *analogica* intelligentia rerum per revelationem cognitarum deducitur, quid sint in se ipsis: ‚fides quaerit intellectum'; haecque est theologia speculativa. Ubi sensus dogmatum, ut in revelatione continetur et ab Ecclesia declaratur, praestituitur tanquam norma, secundum quam notiones philosophicae expoliendae sunt in sua applicatione ad analogicam aliquam intelligentiam mysteriorum, ut a Summis Pontificibus et theologis catholicis semper factum est; non vero ordine inverso notiones mere rationales ex philosophia praestruere fas est, quibus sensus dogmatum accommodetur diversus ab eo, qui in revelatione secundum doctrinam ac professionem Ecclesiae continetur. Hoc autem ipsum est, quod ‚humana ratio et philosophia in religionis rebus non dominari sed ancillari omnino debent'. Propterea ad praecavendam falsam interpretationem decreti dicitur (in schemate de doctrina catholica): *fide praelucente ad aliquam mysteriorum intelligentiam perveniri, quae tamen ipsa principiis revelatis innititur.* Hunc quippe intellectum Sm̃us D. N. in literis citatis 11. Dec. 1862 et 21. Dec. 1863 indicat, eundemque SS. Patres et Doctores tum verbis tum multo magis suo exemplo commendarunt. Cf. S. Aug. ep. 120. n. 2—4; Vinc. Lirin. c. 22; S. Anselm. Proslog. c. 1. (Migne PP. LL. XXXIII, 453 sq.; L, 667; CLVIII, 224); S. Thom. Prooem. ad ll. sent. etc." (C. V. 526 b. c.)

[2] Ad respondentem locum schematis de doctrina catholica adnotant theologi: „Error oppositus, quo negatur, contineri in revelatione mysteria

[3.] Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus a). Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi [1], ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem

a) Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis*. [Hard. Coll. Conc. IX, 1719.]

supra captum rationis, nunc universaliori nunc temperatiori forma enuntiatus, constituit ipsum logicum principium semirationalismi. Aiunt scilicet, veritates proponi historice in revelatione, sed eas omnes, saltem postquam ita historice innotuerunt, posse etiam ex intrinsecis necessariis principiis lumine rationis perspectis intelligi et demonstrari, imo hoc ipsum esse proprium munus philosophiae. Qui creationem et operationes Dei ad extra affirmant necessarias esse ex ipsa Dei natura et amore, quo se ipsum non potest non amare, illi absque distinctione universim loquuntur de demonstratione philosophica *omnium veritatum* revelatarum, quamvis directe prae oculis habere soleant mysteria praecipua SS. Trinitatis et Incarnationis; alii vero distinguunt veritates revelatas in duplicem classem, quarum aliae fundamentum habeant in liberis Dei consiliis, aliae sint in se necessariae ex ipsis rerum essentiis, atque de his posterioribus nominatimque de mysterio SS. Trinitatis affirmant illam philosophicam demonstrationem ex principiis lumine rationis perspectis, ac proinde negant, ea mysteria esse supra captum rationis." (C. V. 525 b. c.)

[1] Quaeritur, num Ecclesia hoc loco etiam eam doctrinam proscribere posse dicatur, quae, cum non *immediate* et *formaliter* doctrinae revelatae opponatur, haeresis non est, sed propterea solum vitari debet, ne doctrina revelata et depositum fidei in periculum vocetur. Id putat I. B. Andries (Cathedra Romana oder der apostolische Lehrprimat p. 205). In eo tamen errat. In pristino quidem schemate de doctr. cath. sermo erat de erroribus „fidei et *doctrinae catholicae*" contrariis (C. V. 513 a. b), et secundum adnotationem theologorum (C. V. 537 b) his vocibus comprehendebantur praeter haereses etiam alii errores revelationi adversantes. Eae autem voces a deputatione mutatae sunt, ut non iam de illis erroribus sermo sit. Concilium de iis agere noluisse, plane evidens est ex historia huius capitis. In schemate enim Congregationi generali proposito canon correspondens antea exstitit: „Si quis dixerit, licitum esse, tenere vel tradere opiniones ab Ecclesia damnatas, dummodo ne sint damnatae tanquam haereticae, anathema sit." (C. V. 77 c.) Iam aliqui Patres alii aliis ducti rationibus hunc canonem omitti vel mutari voluerunt. (C. V. 199 b. c.) Decretum igitur est

fallaciam a) [1]. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino [2].

a) Col. 2, 8.

in sess. 24. deputationis de fide, ut canon ille ad Constitutionem dogmaticam de Ecclesia remittatur. (Ex actis etc. C. V. 1675 a.) De ea re Rmus Ludov. Pie, Episc. Pictaviensis, qui nomine deputationis relationem de quarto capite in Congregatione generali habuit: „Sane", inquit, „principium in hoc canone assertum deputationi vestrae in se utilissimum ac pernecessarium visum est. Hoc enim principio secluso, sc. admisso, quod iudicia doctrinalia conscientias non ligent, si error aliqua nota citra notam haeresis ab ipsamet Ecclesiae configitur, tunc paene tota ruit auctoritas doctrinalis Ecclesiae et exercitium hierarchicae gubernationis fit impossibile. Certe, ubi Dominus noster Iesus Christus dixit (Matth. 18, 17): *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* tunc non agebatur de Ecclesia tantum haeresim condemnante. — Attamen, Rmi Patres, et praecise etiam propter gravitatem rei, cum doctrina huic canoni correspondens reapse, sicut merito observatum est a nonnullis Patribus, non fuerit in ipso capite sufficienter exposita, sed tantummodo insinuata, censuerunt Patres deputati, satius esse, re serius perpensa, si assertio tanti momenti, tantae necessitatis et expressius et clarius exprimeretur in altera constitutione, ubi de potestate doctrinali iudiciaria Ecclesiae directe et ex professo agatur." (Relatio etc. C. V. 208a. b.) Itaque illo loco definitum non est, Ecclesiam posse proscribere errores haeresi inferiores, licet res, ut ostendit etiam Pictaviensis, certissima sit. Imo haec veritas ex principio a Concilio statuto de officio Ecclesiae fidei depositum custodiendi immediate fluit. Quomodo enim Ecclesia fidei depositum custodire potest, si nequit prohibere doctrinam, quae, licet formaliter veritatem revelatam non neget, tamen virtualiter ei opponitur, quatenus sc. ex ea alia doctrina recte et necessario deducitur, quae veritatem revelatam negat?

[1] Voluit unus ex Patribus, adnotari, Ecclesiam agnoscere, „inter humanas scientias plures esse, quae nil cum deposito fidei concredito commune habeant, ideoque eas plane a revelatione supernaturali independenter tractari posse". (Emendationes etc. C. V. 197 c.) Respondit Episcopus Pie: „Certissime Ecclesia agnoscit, nonnullas scientias proprio suo obiecto aut nihil aut vix aliquid commune habere cum directo obiecto fidei. . . Attamen deputationis Patres non censuerunt, per solemnem declarationem et quasi definitionem alicuius Concilii oecumenici absolutam quarundam scientiarum independentiam seu immunitatem relate ad fidem, ideoque ad Ecclesiam, proclamari posse ac debere . . .; et hanc insuper [Ecclesiae] affirmare non posset, quin determinaret simul, quaenam et quales scientiae hac immunitate fruerentur." (Relatio etc. C. V. 205 a. b.)

[2] Respondenti loco schematis de doctrina catholica adnotant theologi: „Acres de hac re nostris temporibus excitatas esse controversias, nemo est, qui ignoret; nec minus constat, ab aliquibus assertam esse et magna contentione defensam plenam autonomiam et independentiam rationis a fide in excolendis scientiis ita, ut ipsa infallibilis certitudo fidei et munus Ecclesiae divinitus iniunctum ad custodiam depositi cum illis sententiis consistere non posset. Haec assertae illius *independentiae* indoles sese prodit in ea forma erroris, sub qua is a S. Sede iam proscriptus est. Dicitur nempe: ‚Cum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at *philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati*'; ‚Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam *debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat*'; ‚*Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione*' (Syllab. complect. praecipuos nostrae aetatis errores etc. Propos. X. XI. XIV.)." (C. V. 535 a.)

[1] Theologi ad respondentem locum schematis de doctrina catholica: „Sane", inquiunt, „1. Ecclesia de iis, quae in humanis disciplinis traduntur, non iudicat nisi ex principiis revelatis, et sub formali ratione, quatenus illa cum doctrina fidei ac morum disciplina congruunt aut eidem adversantur; scientia vero mere rationalis sive philosophia non progreditur ex principiis, quatenus fide creduntur, sed unice ex principiis rationalibus, quatenus lumine rationis intelliguntur, nec potest quidquam admittere velut obiectum sibi proprium, ‚quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum'. Adeoque revelatio et revelationem proponens Ecclesia theologiae quidem, non autem philosophiae suppeditat principia, ut his fide creditis innitatur. Obiectum enim *formale* fidei et scientiae diversum est; illic auctoritas Dei revelantis, hic intrinsecus perspecta veritas. . .

„Verum 2. fides et scientia rationalis non quidem adaequate, sed quadamtenus commune habent obiectum materiale; multae enim veritates, quae ratione ex fontibus naturalibus cognosci possunt, atque ideo sunt obiectum scientiae in humanis disciplinis, simul continentur explicite vel implicite in divina revelatione. Propterea in excolendis paene omnibus scientiis ex in-

[4.] Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent [1].

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

[5.] Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum [1]. Crescat igitur et multum vehementerque profi-

---

firmitate et per abusum rationis potest deveniri ad sententias ipsi revelatae veritati oppositas. Iam vero sunt inter semirationalistas, qui in his ipsis obiectis fidei et scientiae communibus postulent rationis ac scientiae independentiam a fide ita, ut fides non possit praemonstrare veritatem, a qua dissentire nefas, et quacum consentire necesse sit. Aiunt enim, subverti legitimam libertatem ipsamque naturam scientiae, si huic per fidem et per magisterium Ecclesiae praestituantur principia, a quibus progredi necesse sit, et conclusiones, ad quas pervenire debeat, ita ut iam in antecessum praescriptus sit consensus cum doctrina fidei, vel saltem *negative* postuletur, ut non sit dissensus ab eadem fidei doctrina; hoc modo tolli facultatem examinandi ipsum factum revelationis, atque hanc non seriam sed ludicram fore scientiae tractationem (Frohschammer, De libertate scientiae p. 82; Introd. in philos. p. 307. 314).

„At quod fide catholica proponitur, est utique infallibiliter verum tum ratione Dei revelantis tum ratione Ecclesiae proponentis, atque ideo supernaturali et incommutabili fide credendum. Cum autem verum vero non possit contradicere, nec possit esse verum in philosophia, quod falsum esse infallibili fide constat; assertio talis ‚libertatis scientiae', ut fides non sit respicienda tanquam norma dirigens ad cavendos errores, sed philosophia dicatur tractanda ‚nulla habita ratione revelationis supernaturalis', haec, inquam, assertio includit negationem absolutae certitudinis et infallibilitatis in ipsa veritate fidei et in propositione Ecclesiae. Profecto enim supposita infallibilitate Ecclesiae et absoluta certitudine fidei catholicae, iam eadem certitudine omnis propositio contraria in antecessum habetur ut falsa, ac proinde non secundum leges genuinae scientiae, sed vel ex falsis principiis vel per consequentiam non legitimam deducta, licet forte nondum scientifice constet, ubi et quomodo sit erratum. Hoc autem ipsum et hoc unum postulatur, quando dicitur, fidem doctrinamque Ecclesiae in disciplinis etiam philosophicis et naturalibus prae oculis habendam esse ‚velut stellam rectricem, qua praelucente catholici scientiarum cultores sibi a syrtibus et erroribus caveant'." (C. V. 535 d sqq.)

[1] Quomodo aliqui „altioris intelligentiae specie et nomine" dogmatibus sibi novum sensum tribuendum esse putent, exponunt theologi in adnotatione respondenti loco schematis de doctrina catholica adieta: Putant illi, profectum in intelligentia veritatis revelatae „potissimum pendere a scientia philosophica, et theologicas disciplinas perinde ac philosophicas tractandas esse (Syllab. Prop. VIII.). Hi dicunt, intelligentiam dogmatum esse variam diversis aetatibus pro diverso statu scientiarum philosophicarum: in Apostolis intelligentiam fuisse non quidem falsam sed imperfectam; in

ciat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia a) [1].

---

a) Vinc. Lir. Common. n. 28. [*l.* 23.] [Migne PP. LL. L, 668.]

SS. Patribus fuisse perfectiorem quam in Apostolis, sed tamen longe remotam a sua ultima perfectione; nunc vero per veram philosophiam et in hac luce scientiarum recentioris aetatis ad plenum intellectum veritatum revelatarum perveniendum esse. Huiusmodi autem profectum non solum haeretici adstruunt, qui infallibilitatem Ecclesiae negant; verum etiam admittendo infallibilitatem, sed eam non recte interpretando error inducitur. Affirmatur enim, munus Ecclesiae infallibilis sub assistentia Spiritus Sancti eo tandem spectare, ut inter varias sententias de sensu dogmatis illa praevaleat, quae pro tali tempore sit *aptissima;* in qua sententia ita per Ecclesiae definitionem praevalente concedunt semper esse *aliquam veritatem*, sed non ideo veritatem simpliciter et totam veritatem; atque ideo progressu temporis pro alio ulteriori stadio scientiarum necessariam reddi definitionem perfectiorem, quia illa prior huic posteriori stadio scientiae iam apta non est. Sic, aiunt, saeculo V. excludenda erat *separatio* duarum personarum hominis Iesu et Filii Dei; damnatio vero huius separationis *‚iuxta psychologiam illius aetatis'* includebat unitatem personae Christi, et ita definita est una hypostasis seu persona in duabus naturis. At iuxta veram philosophiam nostrae aetatis, inquiunt, iam intelligi debent duae personae, divina et humana, permanentes in ipsa unione; et ideo intelligendam esse non unitatem *realem* personae Christi, qualis hactenus intelligebatur, sed unam personam compositam ex duabus personis. Si autem quaeritur, cur Spiritus Sanctus non docuerit Ecclesiam, quod illius temporis philosophia non docuit, respondent, Spiritum Sanctum paulatim inducere in omnem veritatem, sicut Trinitas personarum non iam per Moysen sed in N. T. demum revelata est, et sicut Christus ipse dixit: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo." (C. V. 537 d sqq.)

[1] Adnotant iidem theologi: Vi decreti non „sane profectus ille verus et genuinus excluditur, quem SS. Patres commendant, et qui sub assistentia Spiritus Sancti per ipsius Ecclesiae explicationes et definitiones doctrinae revelatae locum habet amplissimum. ‚Christi vero Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit . . . sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat, si qua iam confirmata et definita, custodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur?' (S. Vinc. Lir. Common. n. 23). In ipsa nimirum Ecclesia et per Ecclesiam non permutatio dogmatis, sed profectus in intelligentia ipsius dogmatis revelati locum habet, ut quod minus diserte vel obscurius propositum erat, vel implicitum

CANONES [1].

I.

De Deo rerum omnium Creatore.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam [2]; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

---

continebatur in aliis dogmatibus, disertius, clarius et explicite in se ipso proponatur, et intelligatur distinctius. Qua in re licet humanae etiam scientiae subsidium ferre possint, istae tamen non dominari, sed omnino subservire debent (Sñus D. N. lit. 15. Iunii 1857), et verae explicationis plena securitas tandem non ab humanis ingeniis est, sed ab assistentia Spiritus Sancti." (C. V. 537 c. d.)

[1] Quid generatim de canonibus adiiciendis decretum sit, v. supra cap. I. Historia originis etc. p. 13 sq. Speciales a Patribus allatae sunt rationes, cur *capiti primo* canones non adderentur. Praesertim secundus canon contra materialistas nonnemini videbatur omittendus, quum materialistae ipsi iam a Deo se plane separarint, ita ut poena, quam canon iis minitetur, nihil moveantur. (Emendationes etc. C. V. 100 c. d.) Concedit Brixinensis relator, non parvas rationes militare pro canonibus primi capitis omittendis. Deputationem tamen pluribus medietate suffragiis decrevisse, ut canones adderentur; id decrevit, inquit, „quia eiusmodi errores aluntur et defenduntur non solummodo a baptizatis, qui proinde vi baptismatis sunt membra Ecclesiae, sed etiam non raro eiusmodi errores tenentur et defenduntur ab eiusmodi hominibus etiam sub specie veritatis: nam non pauci sunt et praecipue erant penes nos in Germania, qui crediderunt, systemata philosophorum quamvis pantheisticorum posse omnino componi cum veritate catholica". Itaque duabus rationibus Patres deputati movebantur, 1. quia materialistae, licet ab Ecclesia defecerint, vi baptismi ei tamen subecti sunt; 2. ut minuatur periculum, fidelibus inde timendum, quod errores ita proponantur, ut cum veritate catholica componi posse videantur. (Relatio etc. C. V. 113 b. c. Cf. ibid. 114 b. Cf. Emendationes in caput quartum. C. V. 163 a sq. Relatio etc. ibid. 185 a.)

[2] Propositum erat, ut vox „essentiae" deleretur, quum in Deo substantia et essentia esset idem. (Emendationes etc. C. V. 100 d.) Respondet Brixinensis, usum loquendi pantheistarum respiciendum esse, et cum triplex exstet pantheismus, substantialis, essentialis et pantheismus entis universalis, et quum pantheismus essentialis sc. Schellingii multos habuerit asseclas, praeter vocem substantiae etiam essentiae retinendam esse. (Relatio etc. C. V. 114 d sq.)

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit [1].

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit [2].

II.

De revelatione.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem [3] et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse [4]; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

---

[1] De hoc canone postea addito v. supra cap. I. Historia originis etc. p. 21. — De tribus, quae hodie vigent, pantheismi speciebus seu modis haec in adnotationibus schemati de doctrina catholica adiectis habentur: „Vel ... omnia singularia dicuntur tantummodo phaenomena et *manifestationes* illius essentiae universalis, vel *Esse purum*, quod etiam dicunt *Esse absolutum*, h. e. cuius nulla alia est determinatio aut notio, quam abstractum *Esse*, dicitur sese evolvere et fieri determinatum in hoc universo, quod universum proinde sit necessaria et perpetua evolutio seu *explicatio illius unicae essentiae;* vel denique ponitur crassiori modo unica substantia, ex qua per *emanationem* progreditur vel dimittitur (ut etiam aliqui aiunt) hoc universum, quod proinde non diversae sed eiusdem essentiae est, ac primitiva illa substantia, ex qua emanat, et revera unam cum illa essentiam constituit." (Schema etc. C. V. 519 c. d.)

[2] Alteram partem canonis contra errores Güntherianos, tertiam contra Hermesianos et Güntherianos dirigi, notat Strigoniensis Archiepiscopus. (Relatio etc. C. V. 86 b.)

[3] Nihil decidi de quaestione, num creatio proprie dicta solo rationis lumine cognosci possit, et Creatoris nomen simpliciter receptum esse ex libri Sap. cap. 13. eodemque sensu intelligendum esse, quo hic occurrat, v. supra cap. II. comment. II. P. II. p. 42 sqq.

[4] De sensu canonis v. ibid. P. I. p. 33 sqq.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit[1]; anathema sit.

III.

De fide.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit[2]; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere[3]; anathema sit.

[1] V. cap. II. comment. III. P. I. II. p. 41 sqq.

[2] Canon, ex capite secundo schematis de doctrina catholica receptus, in schemate reformato inter canones secundi capitis de revelatione erat (C. V. 1631 d): huc transmissus est cum prima sententia capitis (cf. supra p. 81. n. 9.). — Is non recte canonem interpretaretur, qui eo primo ac directe reiici diceret errorem, rationem fidem Deo iure detrectare posse. Quum enim Patres aliqui, qui eum ita interpretabantur, emendationibus propositis id clarius efferrent (Emendationes etc. Em. 95. 96. 97. C. V. 163 c), Paderbornensis: „Animadverto," inquit, „errorem damnandum non eum esse, ut, si Deus revelat, ratio humana ei obsequium detrectare iure possit; sed id non obiiciunt, id non impugnant illi, qui possibilitatem revelationis sive factum revelationis non concedunt. . . Error, qui hic erat excludendus, hic est, rationem humanam ita in se perfectam esse, ut ex se ipsa omnem veritatem haurire possit; ideoque Deum nullam iustam revelandi nec fidem a ratione exigendi causam habere." (Relatio etc. C. V. 185 b. c.) Itaque canon magis directe errorem doctrinae de revelatione oppositum reprobat, quam errorem doctrinae de fide oppositum, magisque ad secundum caput de revelatione, quam ad tertium de fide spectat.

[3] Vox „debere" in schemate Patribus proposito deerat. (Cf. C. V. 77 a.) Ne excludi videretur doctrina, posse aliquem etiam interna experientia ad fidem moveri, cui non sufficienter constet de externis divinae revelationis argumentis, in Congregatione generali propositum est, ut illa vox adderetur (Emendationes etc. Em. 105. C. V. 164 a), id quod in deputatione et in Congregatione generali approbatum est. (Ex actis etc. C. V. 1673 d. Relatio etc. C. V. 187 b; 191 a.)

Errores reiectos v. explicatos supra p. 83. n. 1. Eorum exempla afferunt theologi in adnotationibus ad schema de doctrina catholica haec: „Non obscuriorem veritatis suae sensum ultro Scriptura prae se fert, quam coloris sui res albae ac nigrae, saporis suaves et amarae. . . Maneat ergo fixum, quos Spiritus Sanctus intus docuit, solide acquiescere in Scriptura,

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci[1]; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse[2]; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint[3]; anathema sit.

IV.

De fide et ratione.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari[4]; anathema sit.

et hanc esse autopiston. . . Non argumenta, non verisimilitudines quaerimus, quibus iudicium nostrum incumbat, sed ut rei extra aestimandi aleam positae iudicium ingeniumque nostrum subiicimus." (Calvin. Instit. I. c. 7. n. 1. 5.) — „Cuivis probationi pro veritate et necessitate religionis christianae omnino renuntiamus; sed potius supponimus, unicuique christiano ante huiusmodi inquisitiones iam esse certum, suae pietati non aliam formam praeter hanc (christianam) congruere." (Schleiermacher, Doctr. fidei § 11.) — Pro illis [dicunt], qui nondum inclinantur ad religionem christianam, miracula sunt incomprehensibilia quaedam facta, sed non signa altioris virtutis. Unde praetensio Ecclesiae Romanae suam veritatem demonstrandi ex miraculis reiicienda est. „Illud, cui fides in doctrinam Scripturae ultimatim innititur, est ipsa vita christiana a Deo per verbum suum excitata et secum ferens immediatam certitudinem." (Twesten, Praelect. dogm. I. p. 346 sqq. 393 sqq.) Multorum aliorum sententiae geminae citantur a cl. Denzinger, De cognit. relig. II. p. 305 sqq. (C. V. 528 d.)

[1] Quae de hoc loco disputata sunt, v. supra cap. I. Historia originis etc. p. 23 sq. De errore cf. supra p. 14. n. 6.

[2] Errores reiectos v. supra p. 85. n. 1.

[3] De Hermesii doctrina hoc canone reprobata ac sensu canonis v. supra cap. II. comment. IV. p. 61 sqq.

[4] Canone peti imprimis novatores, de quorum erroribus agat Pius IX. literis ad Archiep. Monachiensem (11. Dec. 1862) datis, animadvertit Episc. Pie, deputationis relator. (Relatio etc. C. V. 207 a.) — Aliqua, quibus Summi Pontifices iam de errore proscripto antea egerint, theologi ex actis S. Sedis ad locum respondentem schematis de doctrina catholica referunt. (C. V. 525 sqq.)

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint [1]; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia [2]; anathema sit.

[1] Etiam huc spectant, quae supra (p. 91. nota 1.) ad caput quartum adnotavimus. — Theologi ad locum respondentem schematis de doctrina catholica afferunt locum ex literis Pii IX. ad Archiep. Monach. (11. Dec. 1862), quo doctrina catholica errori opposita explicatur. (C. V. 535b sqq.) Addunt in fine: „Ceterum quoad rem ipsam hic error recentis aetatis non differt ab eo, qui saeculo XV. et XVI. inductus a quibusdam philosophis in Concilio Lateranensi V. damnatus est. Asserebant enim et illi philosophiam autonomam et omnino independentem a quibusvis normis ac legibus sibi extrinsecis, quemadmodum nostra aetate dicitur, ‚libertatem scientiae consistere in iure sequendi sine ullo impedimento solas leges scientiae, quin aliunde quovis modo limitetur vel circumscribatur'. (Frohschammer, De libert. scient. p. 30.) Hinc etiam antiquiores illi postulabant, ut quae in philosophia secundum propriam eius methodum statuuntur, habeantur *philosophice vera*, licet ea legibus alterius ordinis, quibus theologia regitur, forte repugnent, et ideo *theologice vera* non sint. Atque huiusmodi fidei repugnantes conclusiones docebant ipsi, et impune doceri posse asserebant, non quidem velut veras etiam secundum theologiam, sed velut legitime consequentes ex principiis philosophicis. Quae quidem quoad rem ipsam nihil aliud significant, nisi quod fides catholica pro scientiis naturalibus non debeat nec possit haberi velut norma *negativa* hoc sensu, ut sententias secundum fidem falsas etiam in scientiis habere non liceat tanquam legitime deductas ex veris principiis, adeoque ut veras secundum normas genuinae scientiae. Hoc autem ipsum est, quod in schemate praesentis Constitutionis proscribitur, et quod Constitutione ‚Apostolici regimis' in Lateranensi Concilio edita iam praedamnatum reperitur. ‚Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus; et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus; omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhaerentes velut damnatissimas haereses seminantes per omnia ut detestabiles et abominabiles haereticos et infideles catholicam fidem labefactantes vitandos et puniendos fore decernimus.' (Conc. Coll. Hard. t. IX. p. 1719.)" (C. V. 536d sq.)

[2] Iidem theologi ad locum respondentem schematis de doctrina cath. adnotant: „Huc pertinent, quae Sm̃us D. N. iam (in lit. 15. Iunii 1857) edixit: ‚maxime improbandum ac damnandum esse, quod humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari sed ancillari omnino debent, magisterii ius temere attribuatur, ac propterea omnia perturbentur, quae firmissima manere debent tum de distinctione inter scientiam et fidem, tum *de perenni fidei immutabilitate, quae una semper atque eadem est, dum philosophia humanaeque disciplinae neque semper sibi constant, neque sunt a multiplici errorum varietate immunes*'. Sub alia adhuc crudiore forma invectum errorem designavit et condemnavit ipse Summus Pontifex in allocutione

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur [1], ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt [2].

9. Iunii 1862 coram praesentibus ex toto fere orbe catholico Episcopis: ‚Summa praeterea impudentia asserere non dubitant', ait Sanctus Pater, . . . ‚ipsam divinam revelationem esse imperfectam, et idcirco subiectam continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.'" (C. V. 538c. d.) — Antea notaverant: „Possunt utique et solent aliquando necessariae fieri definitiones sub nova forma in directa oppositione contra novos errores, hisque ipsis definitionibus promovetur etiam intelligentia dogmatum, quae ipsa dogmatum explicatio pertinet ad illum genuinum profectum a Patribus descriptum. Potest etiam scientia et intelligentia theologica innixa doctrinae Ecclesiae a privatis theologis suo modo promoveri. Sed nunquam potest non esse simpliciter verus intellectus et sensus dogmatum, quem Ecclesia quavis aetate sive definiendo sive praedicando proposuit vel proponit: et ideo quoad eadem dogmata intellectus et sensus *diversus* a sensu et intellectu Ecclesiae, ita ut hic iam simpliciter et absolute verus esse negetur, nunquam potest esse nisi corruptio sensus veri. Hoc autem ipsum est, quod in schemate declaratur."

[1] Imprimis intelliguntur eae pravae opiniones, quae erroribus in Constitutione damnatis affines sunt, nec tamen bene a Concilio sine novis disceptationibus tractari poterant. Videbatur v. g. traditionalismus mitior, qui non directe damnabatur (cf. supra cap. II. comment. II. p. 36 sq.), ab Ecclesia arcendus esse. Iam id praesertim hoc monito, quod Constitutioni addebatur, obtineri, animadvertit Episc. Brixinensis in relatione de capite altero habita. (Cf. C. V. 131b.) Porro, ut Episc. Pictaviensis in relatione de conclusione (C. V. 211a sqq.) monet, inter disceptationes de Constitutione habitas aliae, quae non receptae erant, opiniones Patribus sese obtulerunt, ab Episcopis et S. Sede damnatae, quae a Concilio plane exstirpandae esse videbantur, ne controversiae reviviscerent. Cui periculo ut occurreretur, „oecumenica Synodus, gravi (hac) monitione capitibus et canonibus postmissa, neminem ignorare posse declarat, ea omnia, quae circa huiusmodi controversias doctrinales et pravas opiniones a Sancta Sede fuerunt decreta et sancita, sollicite et religiose servanda esse". (Ibid. Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 27 sq.)

[2] Est tantum monitum, gravissimum illud quidem, quo omnes etiam ea decreta servare iubentur, quibus opiniones censura notantur haeresi inferiori; eas prohibendi potestatem esse penes S. Sedem, supponitur, non

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

Ita est.

Iosephus
Episcopus S. Hippolyti,
Secretarius Concilii Vaticani.

definitur; neque enim Concilium, ut adnotatione (p. 91[1].) ad caput quartum vidimus, id definire voluit. — Alia, quae ad conclusionem spectant, v. supra cap. I. Historia originis etc. p. 24 sqq. 27 sqq.

PARS ALTERA.

CONSTITUTIONIS DOGMATICAE PRIMAE DE ECCLESIA CHRISTI EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

Historia originis Constitutionis primae de Ecclesia et conciliaris eius comprobationis.

CONSTITUTIONIS primae de Ecclesia tria priora capita (de apostolici Primatus in beato Petro institutione, de perpetuitate Primatus beati Petri in Romanis Pontificibus, de vi ac ratione Primatus Romani Pontificis) capite undecimo[1] et canonibus 14. 15. 16.[2] schematis Constitutionis de Ecclesia Christi[3] continebantur.

Hoc schema a dogmatica theologorum commissione ante inchoatum Concilium elaboratum quindecim capitibus atque uno et viginti canonibus constabat[4]. Tradebatur Patribus in decima tertia Congregatione generali die 21. Ianuarii 1870 habita[5], et in Congregatione

[1] Schema etc. C. V. 571a sqq. [2] Ibid. C. V. 577d.
[3] C. V. 567b sqq.
[4] Quae eo schemate contineantur, hisce capitum inscriptionibus indicatur: 1. Ecclesiam esse corpus Christi mysticum. — 2. Christianam religionem nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam a Christo fundatam excoli posse. — 3. Ecclesiam esse societatem veram, perfectam, spiritualem et supernaturalem. — 4. Ecclesiam esse societatem visibilem. — 5. De visibili Ecclesiae unitate. — 6. Ecclesiam esse societatem ad salutem consequendam omnino necessariam. — 7. Extra Ecclesiam salvari neminem posse. — 8. De Ecclesiae indefectibilitate. — 9. De Ecclesiae infallibilitate. — 10. De Ecclesiae potestate. — 11. De Romani Pontificis Primatu. — 12. De temporali Sanctae Sedis dominio. — 13. De concordia inter Ecclesiam et societatem civilem. — 14. De iure et usu potestatis civilis secundum Ecclesiae catholicae doctrinam. — 15. De specialibus quibusdam Ecclesiae iuribus in relatione ad societatem civilem.
[5] Acta etc. C. V. 720c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

Ita est.

Iosephus
Episcopus S. Hippolyti,
Secretarius Concilii Vaticani.

definitur; neque enim Concilium, ut adnotatione (p. 91[1].) ad caput quartum vidimus, id definire voluit. — Alia, quae ad conclusionem spectant, v. supra cap. I. Historia originis etc. p. 24 sqq. 27 sqq.

PARS ALTERA.

CONSTITUTIONIS DOGMATICAE PRIMAE DE ECCLESIA CHRISTI EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

Historia originis Constitutionis primae de Ecclesia et conciliaris eius comprobationis.

CONSTITUTIONIS primae de Ecclesia tria priora capita (de apostolici Primatus in beato Petro institutione, de perpetuitate Primatus beati Petri in Romanis Pontificibus, de vi ac ratione Primatus Romani Pontificis) capite undecimo[1] et canonibus 14. 15. 16.[2] schematis Constitutionis de Ecclesia Christi[3] continebantur.

Hoc schema a dogmatica theologorum commissione ante inchoatum Concilium elaboratum quindecim capitibus atque uno et viginti canonibus constabat[4]. Tradebatur Patribus in decima tertia Congregatione generali die 21. Ianuarii 1870 habita[5], et in Congregatione

[1] Schema etc. C. V. 571a sqq. [2] Ibid. C. V. 577d.
[3] C. V. 567b sqq.
[4] Quae eo schemate contineantur, hisce capitum inscriptionibus indicatur: 1. Ecclesiam esse corpus Christi mysticum. — 2. Christianam religionem nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam a Christo fundatam excoli posse. — 3. Ecclesiam esse societatem veram, perfectam, spiritualem et supernaturalem. — 4. Ecclesiam esse societatem visibilem. — 5. De visibili Ecclesiae unitate. — 6. Ecclesiam esse societatem ad salutem consequendam omnino necessariam. — 7. Extra Ecclesiam salvari neminem posse. — 8. De Ecclesiae indefectibilitate. — 9. De Ecclesiae infallibilitate. — 10. De Ecclesiae potestate. — 11. De Romani Pontificis Primatu. — 12. De temporali Sanctae Sedis dominio. — 13. De concordia inter Ecclesiam et societatem civilem. — 14. De iure et usu potestatis civilis secundum Ecclesiae catholicae doctrinam. — 15. De specialibus quibusdam Ecclesiae iuribus in relatione ad societatem civilem.
[5] Acta etc. C. V. 720c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

undetricesima (d. 22. Februarii) Patres monebantur, ut, quae de primis decem capitibus et tredecim respondentibus canonibus animadvertenda censerent, intra decem dies Secretario Concilii scripto exhiberent[1]. Ad hanc autem schematis partem tractandam Patres propter suspensum Concilium non pervenerunt, quare ea relicta tota nostra enarratio versabitur in persequenda historia capitis undecimi, quod erat de Romani Pontificis Primatu, et capitis novi de Romani Pontificis infallibilitate, quod d. 9. Martii, post caput undecimum inserendum, schemati additum est[2]. Ex his enim duobus Constitutio dogmatica prima de Ecclesia proxime exstitit.

Atque primum quidem enarrandum est, quae additi capitis de infallibilitate pontificia fuerit origo.

Concilii Vaticani adversarii dicere solent, Summum Pontificem in Concilio convocando nihil magis spectasse, quam ut pontificiam infallibilitatem definiendam curaret, imo, eum ad hoc ipsum Synodum convocasse. Cuius quidem rei nullum afferunt argumentum. Contra ex actis plane evidens est, doctrinam de infallibilitate pontificia inter res a Concilio tractandas propterea receptam esse, quia id a parte Patrum longe maiori liberrime et instanter postulatum est.

Quum Summus Pontifex anno 1865, Concilio primum annuntiato, a Cardinalibus in Curia residentibus quaesivisset, quae in Concilio tractanda essent, inter unius et viginti Cardinalium vota ei tradita duo sola exstiterunt, in quibus pontificiae infallibilitatis fiebat mentio[3]. Quum eodem anno Episcopos ritus latini a se destinatos de eadem re consuli iussisset, aliqui ex illis doctrinam de pontificia infallibilitate Concilio proponendam esse censuerunt[4]. De ea re postea anno 1869 in tribus sessionibus (d. 11. 18. 25. Februarii) deliberatio a commissione dogmatica theologorum habita est. Duo quaerebantur: „1. Utrum illa [doctrina] tanquam fidei articulus definiri possit. 2. Utrum illa tanquam articulus fidei sit definienda.“ Prius illud affirmabant omnes. Alterum unus plane negabat, qui quidem eius doctrinae definitionem simpliciter inopportunam esse censuit. Alii omnes „nonnisi ad postulationem Episcoporum rei huius propositionem ab Apostolica Sede faciendam esse“ iudicarunt. Atque id decretum est[5].

Commissio igitur, cum postea (d. 22. Aprilis) schema, quo de Romano Pontifice ageretur, pararet Concilio proponendum, non recepit doctrinam de pontificia infallibilitate „ob prudentem illam oeconomiam, de qua alibi“, ut est in actis sessionum[6]. Sine dubio illud „alibi“

[1] Acta etc. C. V. 729 a. b. [2] Ibid. C. V. 729 b. c. — Ipsum caput v. C. V. 641 a. b.
[3] C. V. 1014 c. d. [4] Responsa Episcoporum. C. V. 1018 c. Cf. ibid. 1022 b.
[5] C. V. 1106 b sq. [6] Ibid.

referendum est ad sessiones mense Februario habitas. Nec profecto cognitu difficile est, propter quas rationes commissio in his sessionibus „prudentem illam oeconomiam“ servare statuerit. Quum eo tempore maximae tempestates contra Concilium et praesertim contra doctrinam infallibilitatis, quam alii definiendam censebant alii negabant, ortae essent, timebant consultores, ne, si Summus Pontifex eam doctrinam Concilio proponeret, animi perturbati ab ipso et a Concilio abalienarentur. Quodsi Episcopi postulaturi essent, ut doctrina illa proponeretur, consultores recte censebant, tum nec tantum fore abalienandi animos periculum, nec fas esse Episcopis denegandi, quod iure peterent. Mirum plane est, quod Concilii reprehensores contra illud commissionis decretum suspiciones excitare audeant, atque ei prudentiam in crimen vertant, quum tamen prudentia virtus sit atque ea quidem virtus cardinalis et omnium aliarum virtutum moderatrix.

Commissio postea (mense Iunio) schema de infallibilitate pontificia paravit, ut praesto esset, si huiusmodi doctrinae propositio ab Episcopis peteretur. Sed aliis gravioris momenti rebus impedita examen schematis non absolvit[1].

Ante Concilium inchoatum et eo vix congregato Episcopi petierunt alii, ut doctrina de infallibilitate pontificia a Concilio tractaretur, alii, ut omitteretur. Cardinalis Schwarzenberg, Archiep. Pragensis, quum futuro Concilio quaedam desideria proponeret, „a doctissimis et prudentissimis fidelibus, Sanctae Sedi intime addictis, vehementer“ optari ait, „ne Concilium declaret, vel definiat infallibilitatem Summi Pontificis“[2]. Maior etiam pars Episcoporum Germaniae mense Augusto a. 1869 Fuldae congregatorum in literis ad Summum Pontificem datis significat, sese, „in quantum res ad Germaniam spectat, praesens tempus minus opportunum existimare ad definiendam Summi Pontificis infallibilitatem“[3]. Item undecim Galliae Episcopi in postulatis quibusdam Concilio propositis: „Attento“, inquiunt, „praesenti statu Ecclesiae humanaeque societatis, prudens opportunumque videretur, ut novae definitiones fidei non ederentur, nisi ob maximam et evidentissimam necessitatem etc.“[4] Contra Episcopi Quitenses in Concilio provinciali congregati (a. 1869) in literis ad Pium IX. datis petierunt, ut „Romani Pontificis in iis, quae ad fidem et mores pertinent, infallibilis auctoritas tanquam dogma certissimum a Deoque revelatum definiretur“[5]. Similiter Episcopi Neapolitani inter doctrinas, quas a Concilio tractari volunt, etiam eam offerunt, qua fidelibus officium inculcatur Summi Pontificis obtemperandi mandatis, „seu quoad veritates tenendas, seu quoad errores aversandos“[6]. Tandem Rmus De-

[1] C. V. 1106 c. [2] C. V. 914 a. [3] C. V. 914 b. 1196 d.
[4] C. V. 914 b. 848 d. [5] C. V. 914 b.
[6] Postulata etc. C. V. 782 b.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

champs, Archiep. Mechliniensis, petit, ut infallibilitas Summi Pontificis definiatur; etiam formulam definitionis exhibet [1].

Quemadmodum notavimus supra, ante ipsum Concilium congregatum magna animorum commotio praesertim de quaestione infallibilitatis excitata est, neque viri privati solum, sed etiam rerum publicarum moderatores atque populorum senatus ea quaestione commoti sunt. Ipso iam a. 1868 de futura definitione multum disputabant, quam vel timebant vel exoptabant [2]. Commotio crevit in dies, ita quidem, ut aliis Episcopis videretur esse ratio, cur Concilio de ea re tractanda supersedendum, aliis, cur de ea agendum esset; timebant illi, ne definitio infallibilitatis schismatum et persecutionum Ecclesiae futura esset vel causa vel occasio; hi, ne doctrina revelata, si tantopere impetita et aperte negata inopportuno silentio tegeretur, in periculum vocaretur.

Itaque ab ipso Concilii initio Patres de pontificia infallibilitate definienda in varias sententias abierunt. „Alii, quum in privatis conventibus et familiaribus colloquiis, tum in orationibus coram Concilio habitis, talem se definitionem omnino impedire velle significabant, et quum, si proponeretur, eam plurimis probatum iri scirent, ipsam causae propositionem arcere nitebantur. Aliis contra, huius definitionis studiosissimis, omnia, quae obiicerentur, impedimenta pro viribus removere fixum deliberatumque erat, quod eam definitionem, propter infinitas auctoritatis supremi doctoris aggressiones, iam plane necessariam evasisse persuasissimum haberent. Multi autem primo veluti in medio dubii haerebant. Quamvis enim doctrinam ipsam decerni vehementer cuperent, prae timore tamen vix eam quaestionem attingere audebant. Alii mala, quae definitionem, ut adversarii aiebant, secutura essent, alii gubernia sua catholicae religioni infensa metuebant; alii aliis de causis a rei tractatione abstinendum putabant.

„Quum vero definitionis adversarii in dies magis populum, optimates, clericos, Episcopos in suas partes trahere viderentur, illi, qui definitionem necessariam iudicabant, ne res cum magno Ecclesiae damno impediretur, eo magis sibi strenue agendum esse duxerunt.“ [3]

Nonnulli igitur libellum, quo definitio infallibilitatis a Concilio peteretur, scripserunt atque adiectis literis cum aliis Patribus, ut ei subscriberent et subscribentes colligerent, communicaverunt. Postulationi fere quadringenti Patres subscripserunt [4], eamque Rmus Antonius Petrus Hassun, Patriarcha Armenus, et Rmus Miecislaus Ledochowski, Archiep. Gnesnensis et Posnaniensis, Emo Cardinali Patrizi,

[1] Postulata etc. C. V. 923 a. [2] Cf. varia documenta in C. V. 1259 a sqq. 912 b. 1261 b. 1129 c. 1153 c sqq. 1156 a. 1157 c.

[3] Ex diurnis commentariis unius ex Patribus pro rebus fidei deputatis. C. V. 1695 d sq.

[4] Ibid. C. V. 1696 b sq. Cf. Postulata etc. C. V. 924 a sqq.

Praesidi Congregationis postulationibus expendendis, d. 28. Ianuarii tradiderunt [1]. Aliae postulationes accesserunt, quibus iisdem, ut doctrina de infallibilitate Summi Pontificis Concilio proponeretur, petebatur, ita ut fere quingenti Patres, longe maior Concilii pars, in ea re consentirent [2]. Schema aliquod, ab Archiep. Baltimorensi conscriptum [3], „pro infallibilitate Romani Pontificis ex principiis iam ab Ecclesia universali receptis logice clareque definienda“ a nonnullis Episcopis Americae septentrionalis proponebatur [4].

Eo ipso tempore, quo, qui infallibilitatem pontificiam definiri volebant, postulata illa alii cum aliis communicabant, ii, qui a doctrina illa definienda abstinendum esse putabant, petita Patribus obtulerunt, quibus Summus Pontifex obsecraretur, ne infallibilitatis doctrinam proponi sineret. Eis centum triginta sex Patres subscripserunt, eaque Emus Cardinalis Schwarzenberg d. 29. Ianuarii S. Patri obtulit [5].

Praesides Congregationum generalium, etsi forte omnes infallibilitatis doctrinam proponendam esse censebant, non omnes tamen pari animo rei difficultatibus obviam ibant. Ipse primus Praeses, Cardinalis de Angelis, rem differendam esse putavit. Sed Congregatio expendendis Patrum propositionibus in sessione d. 9. Februarii habita sibi petitionem infallibilitatis propositioni adversam negligendam, alteram, qua petebatur eius propositio, Summo Pontifici vel maxime commendandam esse censuit. Unus dissensit Cardinalis Rauscher, qui se difficultates contra infallibilitatis doctrinam eiusque definitionem explicare posse negavit [6]. Summus Pontifex Congregationis consilium secutus est, atque d. 6. Martii schema capitis, quo definiretur, a Cardinali Bilio exaratum et a Summo Pontifice approbatum [7], inter Patres distribuebatur, quod caput schemati Constitutionis de Ecclesia post caput undecimum esset addendum [8]. Simul Patres monebantur, ut, quae de capite undecimo atque canonibus ad id spectantibus et de capite addito animadvertenda esse censerent, „intra decem dies, nempe a die octavo usque ad diem decimum septimum Martii inclusive“ Secretario Concilii scripto traderent [9]. Illi autem Patres, qui definitioni infallibilitatis pontificiae adversabantur, a Cardinali Bilio impetrarunt, ut tempus illud ad d. 25. Martii prorogaretur [10].

Quum autem animorum commotiones ubique, maxime in Gallia et Germania, contra doctrinam de infallibilitate et de ipso Primatu

[1] Postulata etc. C. V. 923 b sqq. Cf. Ex diurnis comment. etc. C. V. 1697 b. [2] Postulata etc. C. V. 934 b sqq. [3] C. V. 1366 b.

[4] C. V. 938 b sqq. Cf. C. V. 1362 b sqq.

[5] Postulata etc. C. V. 944 a sqq. Cf. Ex diurnis etc. C. V. 1697 b.

[6] Ex diurnis etc. C. V. 1697 b. c. [7] Ibid. C. V. 1699 c.

[8] Acta etc. C. V. 729 b. c. [9] Ibid. — Ex diurnis etc. C. V. 1697 c.

[10] C. V. 1697 c. Postulatum tredecim Patrum v. C. V. 972 d sqq.

excitatae in dies cum Ecclesiae periculo crescerent, quumque discordia, quae inter ipsos Patres orta erat, rebus Concilii feliciter gerendis obstaret, permulti Patres ipsam quaestionem infallibilitatis quam primum aggrediendam esse censebant, ut ea soluta tempestates sedarentur et Patres unanimi labore ceteris negotiis operam darent. Itaque initio mensis Martii permulti Patres complures epistolas ad Summum Pontificem vel ad Cardinales Praesides vel ad Congregationem expendendis Patrum postulationibus dederunt, quibus petebant, ut quaestio infallibilitatis statim atque ante omnes alias proponeretur [1]. Contra hos sex Patres Hungarici, qui ei quaestioni multas difficultates inesse putabant, epistola ad primum Praesidem data petierunt, „ut . . . discussio quaestionis talis in illud tempus differatur, quo post praemissum accuratissimum et operosum examen Patres sicut omnes, ita singuli ad partes conciliaris suae vocationis implendas debite praeparati fuerint“ [2].

Ut supra [3] narravimus, d. 14. Martii schema Constitutionis de fide, a Patribus deputatis reformatum, omnibus Patribus traditum eiusque discussio d. 18. Martii incepta est, quum Congregationes generales, quae inde a d. 22. Februarii omissae erant, resumerentur. Eo tempore iis, qui petierant, ut statim quaestio infallibilitatis proponeretur, Cardinales Praesides privatim promiserunt, eam post absolutam primam Constitutionem de fide introductum iri [4].

„Episcopi [autem], qui ex adverso stabant,“ ut narrat unus ex iis, qui doctrinam infallibilitatis mox definiri volebant [5], „nullum non movebant lapidem, ut impedirent praeposteram, ut aiebant, tractationem, instabantque, ut totum schema de Ecclesia Christi secundum ordinem propositum tractaretur, incipiendo a capite primo: ‚Ecclesiam esse corpus Christi mysticum‘. Quod si factum esset, periculum erat, ne caput undecimum ‚de Romano Pontifice‘ omnino examinandum non proponeretur. Nam Cardinalem Bilio adversarii definitionis fere quotidie adibant, ut, quod volebant, obtinerent. Hunc denique unus ex iis, qui definitionem cupiebant, convenit petiitque, ut, infallibilitatis quaestione in Concilium introducta, tandem bono Ecclesiae et saluti animarum vellet consulere Patresque tam gravi sollicitudine liberare. Illius quaestionis tractationem sine magno periculo diutius differri non posse, sed saltem post primam partem Constitutionis de fide catholica, cuius disquisitio in Congregatione generali ante Pascha terminanda esset, proponi debere. Respondit Emus, a Cardinalibus Praesidibus decretum esse, ut statim proponeretur schema ‚capitis addendi‘, neque prius de Primatu (cap. XI.) discussio haberetur. Itaque ab ipso

[1] Postulata etc. C. V. 968b sqq. Cf. Ex diurnis etc. C. V. 1697d.
[2] Postulata etc. C. V. 973d sqq. [3] P. 17.
[4] Ex diurnis etc. C. V. 1697d. [5] Ibid. C. V. 1697d sqq.

provisum esse, ut observationes sive harum summaria, tum ‚de Primatu‘ tum ‚de infallibilitate Romani Pontificis‘, *separatim* in duobus fasciculis imprimerentur. Iussit etiam relationes de observationibus tempestive scribi ita, ut in prima sessione congregationis particularis [deputationis de fide] omnia parata essent, et discussio brevi absolvi posset.

„Per hebdomadam sanctam (d. 10.—16. Aprilis) complures privati congressus a Patribus deputationis de fide habebantur in domo Westmonasteriensis, ut de schemate componendo deliberarent. Convenerunt sub vesperum, praeter Westmonasteriensem, Ratisbonensis, Gnesnensis, Calvensis, Paderbornensis, Tarvisinus, Sedunensis, Bostrensis, Casseliensis. Placuit, quod a duobus theologis proponebatur, ut tota Constitutio de Romano Pontifice (i. e. cap. undecimum primi schematis cum capite addendo) in quatuor capita divideretur, et, quoad formulam definitionis infallibilitatis, ut in sessione deputationis textus schematis [capitis additi, quod erit quartum caput Constitutionis de Romano Pontifice] ab omnibus retineretur et approbaretur, prout in ‚capite addendo‘ reperitur.

„Putabant Patres, qui infallibilitatis quaestionem mox in Concilium introduci volebant, discussionem schematis in congregatione particulari incipi posse feria II. vel III. Paschatis. Sed qui oppositam sententiam sequebantur, discussionem schematis impedire omni ope studebant. Praeter alia, se quoque propositioni quaestionis infallibilitatis consensuros esse dixerant, si schema de Ecclesia iuxta ordinem capitum proponeretur. Quod aliquos ex Patribus, qui definitioni favebant, adduxit, ut quaestionem differri vellent. Cardinalis Morichini [1] petitionem subscripsit aliisque subscribendam transmisit, qua postulabatur capitum, uti disposita erant, tractatio. Accessere alia, quibus Cardinalis Bilio timore afficiebatur, ita ut rem proponere dubitaret. Maximum igitur periculum erat, ne de aliis capitibus ageretur et, protracta nimis eorum discussione, crescentibus aestivo tempore caloribus, denique, antequam ad caput de infallibilitate ventum esset, Concilium prorogaretur. Neque solum urgebant adversarii definitionis, ut, antequam ad doctrinam de Summo Pontifice veniretur, discuterentur decem priora capita schematis de Ecclesia, sed volebant etiam, absoluta prima Constitutione de fide, ad alteram item de fide Constitutionem gradum fieri, ac postea demum incipi tractationem schematis de Ecclesia Christi, eamque secundum ordinem in ipso schemate propositum. Cardinalis Bilio, Praeses deputationis de rebus fidei, iis obsequi velle videbatur, nec iam in sessione deputationis schema de Romano Pontifice, sed secundam Constitutionem de fide catholica proponere statuit [2].

[1] Postulata etc. C. V. 974c. [2] Quod propositum peregit. V. Ex actis etc. C. V. 1678a sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„Patres igitur definiendae infallibilitatis studiosi, quum non sine gravi sanctissimae causae periculo rem diutius differri posse cernerent, habita deliberatione, nonnullos ad Cardinalem de Angelis mittendos decreverunt, qui ei damnum, quod immineret Ecclesiae, exponerent. Qui ex colloquio cum illo habito (18. Aprilis) cognoverunt, Praesides iis magis favere, qui discussionem infallibilitatis differri vellent. Quare nihil iam reliquum erat, nisi ut se ad Summum Pontificem converterent atque, facta sincera relatione de statu rerum, enixe flagitarent, ne Cardinales Praesides in hac re gravissima diutius conniverent. Sequente igitur die (19. Aprilis) mane ante Congregationem generalem eorum aliqui S. Patrem adierunt, qui iis benigne exceptis promisit, id se facturum, quod congruum videretur. Sed . . . in congregatione particulari [i. e. in deputatione de fide] etiam sequentibus diebus nulla facta est mentio schematis de Romano Pontifice. Quare aliqui ex Patribus d. 22. Aprilis vespere conventu privato in domo Episcopi Carcassonensis habito, S. Patri petitionem exhibere statuerunt, ut discussionem illius schematis incipi iuberet. Quam petitionem [1], cui centum et quinquaginta statim subscripserant, d. 23. Aprilis per tres Episcopos Summo Pontifici obtulerunt. Eorum votis respondit eventus. Nam d. 27. Aprilis feria IV. post Dominicam in Albis in sessione deputationis de rebus fidei proponebatur Constitutio de Romano Pontifice, quae sessio huius deputationis erat tricesima quarta."

In ea sessione unus e theologis de animadversionibus referre incepit, quas Patres in caput undecimum de Ecclesia (de Summo Pontifice) et in canones respondentes scriptas Secretario Concilii tradiderant [2], et duas quaestiones proposuit: 1. Num singularis Constitutio de Romano Pontifice conficienda esset, quae ex capite undecimo et capite de infallibilitate ei addito constaret; 2. num, si id placeret, haec Constitutio in quatuor capita esset dividenda: de institutione, de perpetuitate, de natura seu potestate Primatus, de infallibilitate Romani Pontificis. Responsum est a Praeside, de priori quaestione suffragia iam ferri non posse, quum a Praesidibus Congregationum generalium decisum iam sit, ut singularis Constitutio haec proponatur. Ad alteram quaestionem longe maior pars respondit affirmative, omnesque uni e deputatis assentiebantur, proponenti, ut haec Constitutio inscriberetur „prima de Ecclesia" [3]. Reversi igitur sunt Patres ad illud, quod commissio dogmatica ante schema Constitutionis de Ecclesia conscriptum inierat, consilium. Caput enim de Romano Pontifice, quod huic schemati tanquam undecimum insertum est, prius propositum erat tanquam schema singularis Constitutionis de Romano Pontifice [4]. In eo tamen doctrina de Summi Pontificis infallibilitate non continebatur.

[1] Postulata etc. C. V. 977 b sqq. [2] Cf. supra p. 107.
[3] Ex actis etc. C. V. 1678 c sqq. [4] Schema etc. C. V. 611 c.

In eadem illa sessione deputationis alius theologus de animadversionibus referre incepit, quas Patres in caput addendum de Romani Pontificis infallibilitate scripserant, quae relatio typis impressa inter deputatos distribuebatur. Unanimi consensu iudicabant Patres, schema quoad substantiam retinendum esse. Aliqua secundum animadversiones Patrum mutabant. In duabus sequentibus sessionibus idem theologus in eadem relatione pergebat, eaque finita deputati decernebant, ut haec ipsa relatio paucis mutatis in eam relationem reciperetur, quae typis impressa simul cum toto schemate novae Constitutionis tradenda esset [1]. Legebatur deinde ab eodem theologo relatio de animadversionibus Patrum in caput undecimum schematis de Ecclesia seu in prooemium et tria capita priora schematis de Summo Pontifice factis; relatio finiebatur in sessione tricesima septima; pauca quaedam in schemate mutabantur [2].

Relationibus his finitis in tricesima septima sessione deputationis (d. 2. Maii) propria iam incepit discussio novi schematis, quod ex duobus capitibus, de quibus antea actum erat, conflatum inscribebatur *Constitutio prima de Ecclesia Christi* [3]. Agebatur de exordio in illa ipsa sessione et in sessione quadragesima prima [4], de capite primo in sessione tricesima septima [5], de capite altero et tertio in sequenti, in qua etiam discussio quarti capitis incepit, de quo deputati in quatuor sequentibus fere integris agere pergebant [6]. Praesertim disputatum est de verbis, quibus exprimeretur obiectum infallibilitatis pontificiae, de qua disputatione infra specialem afferemus commentationem [7]. Canones tres in sessione quadragesima prima recepti sunt tales, quales proponebantur [8].

Totum schema emendatum in sessione quadragesima secunda legebatur et in aliquibus locis emendatum prelo subiiciebatur. Sed typis impressum in sequenti sessione (d. 8. Maii) denuo examinabatur et paulo mutatum [9] iterum subiectum est prelo Patribus Congregationis generalis iam tradendum [10]. In eadem sessione etiam relatio de animadversionibus Patrum, quae his simul cum schemate tradenda erat, examini subiiciebatur [11]. Interea in Congregatione generali quadragesima

[1] Ex actis etc. C. V. 1678 c sqq. [2] Ibid. V. C. 1679 d sq. — Ex diurnis etc. C. V. 1699 a. [3] Habes hoc schema C. V. 1640 b sqq.
[4] Ex actis etc. C. V. 1680 a sqq. — Ex diurnis etc. C. V. 1700 b.
[5] Ex actis etc. C. V. 1680 c. [6] Ibid. C. V. 1680 c sqq. — Ex diurnis etc. C. V. 1699 b. [7] V. cap. II. comment. IX.
[8] Ex actis etc. C. V. 1680 a sqq. — Ex diurnis etc. C. V. 1699 b sqq.
[9] Ex actis etc. C. V. 1685 c. nota 2*.
[10] Ex actis etc. C. V. 1685 a. b. — Ex diurnis etc. C. V. 1700 c. Ipsum schema v. C. V. 269 a sqq.
[11] Ex actis etc. C. V. 1685 b. Haec relatio conflata est ex duabus illis relationibus, quas in sessionibus deputationis de animadversionibus

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DE MADRID
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA

septima (d. 29. Aprilis), quae prima habita est, postquam Summus Pontifex, ut iam de Primatu ageretur, decrevit, id a primo Praeside Patribus annuntiatum erat [1]. Plurimos Patres, ait, iterum atque iterum enixe postulasse, „ut ante reliqua schemata, fidem aut disciplinam respicientia, de infallibilitate Romani Pontificis tractaretur, ea praesertim de causa, quod recenti tempore circa hoc gravissimum doctrinae caput non leves anxietates in fidelium animis ubique excitatae sint, unde eorum conscientiae anguntur et religiosae societatis pax ac tranquillitas perturbatur. Quapropter necessarium visum est, Patrum examini quamprimum subiicere schema de Romano Pontifice continens doctrinam de eius Primatu et infallibilitate".

Eodem et sequenti die distribuebantur Patrum animadversiones in caput undecimum et caput addendum [2]. Quinquaginta tres Patres statim binas literas ad Summum Pontificem dederunt, quibus gratias agebant, quod schema iam proponi iussisset [3]. Quum autem postea schema traderetur, unus et septuaginta Patres literis ad Concilii Praesides datis conquerebantur, quod mutato ordine, antequam alia capita doctrinae de Ecclesia tractata essent, iam de Primatu et infallibilitate esset agendum [4].

Schema Constitutionis primae de Ecclesia et deputationis relatio de Patrum animadversionibus tradebatur d. 9. Maii [5]. Relationis praesertim ea pars, qua de animadversionibus in caput quartum exhibitis agitur [6], magna diligentia et acerrimo ingenio scripta est. Animadversiones, quae in caput quartum exhibitae sunt, in ea ad tres classes revocantur: 1. eorum Patrum, qui schema capitis sive integrum sive quoad substantiam retinendum, 2. eorum, qui illud ex integro mutandum, 3. eorum, qui schema omnino omittendum censebant. Postquam actum est de duabus prioribus classibus, ea, quae in animadversionibus classis tertiae contra schema obiiciuntur, ad tria iterum revocantur. Ea enim respiciunt vel priorem schematis partem, qua Conciliorum testimonia tanquam rei definiendae fundamenta, vel alteram partem, qua ipsa definitio continetur, vel ipsam doctrinam definiendam. De singulis hisce in relatione agitur.

Die 13. Maii in quinquagesima Congregatione generali nomine deputationis de toto schemate relationem habuit Episcopus Pictaviensis [7]. Cur de Primatu agatur, antequam de ceteris capitibus de Ecclesia

Patrum in caput undecimum et in caput addendum habitas esse supra diximus. De iis v. C. V. 1678 d. nota 8*.

[1] Acta etc. C. V. 740 c. d. [2] Ibid. C. V. 740 d. 741 a.
[3] Literae etc. C. V. 979 a sqq.
[4] Protestatio etc. C. V. 980 d sqq. [5] Acta etc. C. V. 742 b.
[6] C. V. 277 d sqq.
[7] Acta etc. C. V. 743 b. V. relationem C. V. 290 d sqq.

actum sit, explicat iisdem verbis, quibus primum Praesidem id explicasse vidimus; deinde pergens: „Liceat ergo dicere sine ulla ullius offensione", inquit, „sine ulla ad hos vel illos criminis insimulatione, nihil cunctis iam nunc optabilius esse, nisi ut quam primum et doctrinam scrutari et dubia solvere et malis mederi, id est, ea palam producta luce divina, quae ex promissione Christi nobis semper intus affulget, nubes discutere, tempestates sedare, et in veritatis unitate pacem facere communi consilio, aequo tranquilloque animo cuncti simul connitamur" [1].

Discussio generalis, quae in Congregatione quinquagesima prima (d. 14. Maii) incepit [2], in quatuordecim Congregationibus habita est. Tandem plus centum quinquaginta Patres „persuasum habentes, discussionem super schemate . . ., de quo Rmi Patres ex omnibus regionibus iam locuti sunt, esse omni ex parte exhaustam, ac protrahi iam non posse, quin inutilibus aeque ac fastidiosis repetitionibus tempus teratur", ut ei finis imponeretur, petierunt [3]. Itaque Praesides in Congregatione generali sexagesima quarta (d. 3. Iunii) secundum undecimam paragraphum [4] decreti d. 20. Februarii Patres interrogarunt, utrum discussionem generalem continuari vellent, necne. Quum longe maior Patrum pars surgeret, primus Praeses declaravit, se potestate a Summo Pontifice per decretum d. 20. Februarii facta utentem discussioni generali finem imponere. „Haec verba generali plausu excepta sunt, licet non defuerint nonnulli, qui tum postulatum tum conclusionem aegre se ferre ostenderint." [5] Sequenti die unus et octoginta Patres protestationem contra indictum finem discussionis generalis Praesidibus obtulerunt [6], qui responderunt, se, quum in concludenda discussione generali omnia servassent, quae in decreto d. 20. Februarii auctoritate Summi Pontificis essent constituta, protestationem admittere non posse [7].

Qui in discussione generali contra schema iam tractandum locuti sunt, praesertim conquerebantur, quod de Primatu ageretur, antequam actum esset de Ecclesia. Quae querela etiam postea in discussione speciali occurrit. Quod Rmus d'Avanzo, deputationis relator, in discussione capitis primi respondit iis, qui schema improbabant „propter ordinem logicum violatum, propter exemplum Christi non secutum, denique propter ordinariam methodum prorsus immutatam", hoc loco aptius referemus, quam postea, quanto agemus de discussione capitis primi: „Igitur quoad ordinem logicum violatum", inquit, „verum est, quod

[1] Relatio etc. C. V. 291 b. c. [2] Acta etc. C. V. 743 c.
[3] Postulatum etc. C. V. 984 c sqq. [4] C. V. 69 a. Cf. supra Proleg. I. p. 4.
[5] Acta etc. C. V. 748 c. [6] Protestatio etc. C. V. 986 d sqq.
[7] V. C. V. 988 b. — De conclusione discussionis cf. epistolam Rmi Ravinet, Episcopi Trecensis. C. V. 1432 b sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ab initio observavit Illmus Moguntinus, quod scilicet omnem constructionem semper aliqua delineatio praecedat oportet. — At verum etiam est illud scitum philosophorum, scilicet, quod prius est in intentione, posterius est in exsecutione.

„Iam . . . Christus Dominus noster venit in hunc mundum, ut aedificaret sibi Ecclesiam sponsam non habentem maculam aut rugam; ac proinde illius perfectam delineationem debuit habere. — At quaeso undenam nobis huiusmodi delineatio potuit apparere? Utique Iesus Christus nullam constitutionem de Ecclesia nobis scripto reliquit; ipse enim, ut ait evangelium, *coepit facere et docere*[1]. Itaque ex factis et dictis Christi tantummodo constitutio Ecclesiae debet argui. Iam vero quodnam est factum primum vel dictum Domini nostri in ordine ad Ecclesiam? Certe est illud, quod secunda die a vita sua publica, ut aiunt, cum nonnisi duos discipulos haberet, duodecim mensibus antequam eligeret Apostolos, cum tertius discipulus Simon sese illi offerret, Iesus Christus dixit: *Tu es Simon Ioannis, tu vocaberis Cephas, quod est interpretatum Petrus*[2]. Utique neque Simon neque alii intelligebant tunc temporis mysterium illius mutationis et illius cognominis; at certe Christus sciebat, quid facturus, quid dicturus esset; post sexdecim menses, in Capharnaum scilicet, dicturus erat: *Tu es Petrus*[3]; nimirum de aeternali aedificio, quod est Ecclesia, extollendo Iesus cogitans, primum de fundamento sollicitus fuit, atque sicut olim Abrahamo dixerat: *Tu vocaberis Abraham*[4], ut in mutatione nominis iugiter admoneretur novi sui officii; ita et Petro, quem designabat fundamentum et petram fundamentalem suae Ecclesiae, Petro dixit: *Tu vocaberis Cephas*. Igitur in analysi factorum et dictorum Christi quoad Ecclesiam primo loco venit Petrus, h. e. Primatus. Quis ergo iure et iuste posset indignari nostro schemati, quod incipiat a Primatu?

„Sed neque aliud peccatum de methodo tractationis ex arbitrio innovata accusari potest iuste. Equidem, ut omnes melius nostis, methodus vel analytica est vel synthetica. Verum est, quod tractatores sive theologiae sive iuris ecclesiastici ut plurimum utuntur synthetica methodo; sed certe methodus analytica praesertim modernis ignota non est. Bonum est, quod nobis res est cum doctis viris ex Germania, in quorum manus certe venerunt celeberrima instituta iuris ecclesiastici Vindobonensis Prof. Georgii Phillips, quique haec instituta evolverunt, sciunt quod iste professor, iste doctissimus auctor, incipiat a titulis Christi integram tractationem; quare primum caput operis est: Christus est rex, et Ecclesia eius regnum. Quare breviter delineata idea regni Christi, quoniam Christus, ut observat, est rex et pastor, statim addit: Idcirco dicit: *pasce agnos meos, pasce oves meas*. Non absimili modo nostrum schema in exordio, cum metaphoram ducat ab

[1] Act. Apost. 1, 1. [2] Io. 1, 42. [3] Matth. 16, 18. [4] Gen. 17, 5.

architecto, statim subiungit: *Tu es petra*. Et post generalem delineationem in secundo capite doctissimus auctor statim addit tractationem de vicario regni eius et de Petro eius locum tenente, ubi fuse et fusius loquitur de Primatu tum honoris tum iurisdictionis tum in docendo tum in regendo. In tertio capite agit de Apostolis et nihil de Ecclesia; in quarto capite agit de notis Ecclesiae; in quinto capite tandem agit de proprietatibus Ecclesiae. Ergo videtis, Rmi Patres, quod omnis tractatio de Ecclesia non debet necessario incipi a notis et proprietatibus Ecclesiae, sed potius analytice debet et potest incipi a Primatu: primus enim in ordine in Ecclesia est Petrus; et proinde Primatus. Igitur neque ex hoc capite nostrum schema iuste potest accusari; ac proinde quum emendator primus ordine dicit, quod adsit aliqua contradictio in ipso titulo nostri schematis, sc. titulus sit ‚Constitutio de Ecclesia', et tamen incipiat tantummodo de Primatu, nos observamus, quod titulus non est absolute ‚*Constitutio de Ecclesia*', in quo sensu possemus etiam de Primatu agere; sed dicit titulus ‚Constitutio prima de Ecclesia'. Ergo prima de Ecclesia agit de Primatu; secunda erit de Apostolis, de notis Ecclesiae et sic deinceps."[1]

Itaque generali discussione finita specialis singularum Constitutionis partium discussio in sexagesima quinta Congregatione generali d. 6. Iunii incepit, quo die agebatur *de prooemio*[2]. Emendationes in discussione a Patribus propositae[3], typis impressae, sequenti die inter omnes Patres distribuebantur[4] et in duabus sessionibus deputationis de fide (d. 9. et 12. Iunii) examinabantur[5]. Deinde in septuagesima Congregatione generali (d. 13. Iunii) singulae emendationes, relatione de iis a Rmo Leahy, Archiep. Casseliensi, nomine deputationis habita[6], Patrum suffragiis subiectae sunt[7]. Prooemium secundum emendationes ab iis receptas reformatum[8], in quadragesima octava sessione deputationis lectum[9] atque inter Patres distributum[10], suffragiis Patrum in octogesima prima Congregatione (d. 2. Iulii) comprobabatur[11] atque, quoad stilum paulum a deputatione emendatum[12], cum ceteris Constitutionis partibus in Congregatione generali octogesima quinta suffragiis Patrum subiiciebatur.

Caput primum et alterum simul discutiebantur d. 7. Iunii in sexagesima sexta Congregatione generali[13]. Emendationes, quae a Patri-

[1] Relatio etc. C. V. 316a sqq. [2] Acta etc. C. V. 749b.
[3] C. V. 301b sqq. [4] Acta etc. C. V. 750c.
[5] Ex actis etc. C. V. 1688d sq. — Ex diurnis etc. C. V. 1701b.
[6] C. V. 304b sqq.
[7] Acta etc. C. V. 751b. — Relatio etc. C. V. 311c sq.
[8] C. V. 330d sqq. [9] Ex actis etc. C. V. 1689c sqq. Cf. ibid. 1690c.
[10] Acta etc. C. V. 755a. [11] Ibid. 756a.
[12] Ex actis etc. C. V. 1695a. [13] Acta etc. C. V. 749d.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus proponebantur [1], d. 10. Iunii omnibus traditae [2], examini deputationis d. 12. eiusdem subiectae sunt [3]. Relator deputationis in Congregatione generali fuit Rmus Bartholomaeus d'Avanzo, Episcopus Calvensis et Theanensis [4]. Relatione habita singulae emendationes Patrum suffragiis subiectae sunt [5]. Capita secundum emendationes a Patribus receptas a deputatione reformata [6], d. 28. Iunii inter Patres distributa [7], in octogesima prima Congregatione generali (d. 2. Iulii) Patrum suffragiis probata sunt [8], atque stilistice emendata [9] cum ceteris partibus Constitutionis in octogesima quinta Congregatione generali Patrum suffragiis subiiciebantur.

Quae a Patribus disputata sunt, infra capite tertio in adnotationibus Constitutioni adiectis, et aliqua, quae maioris momenti sunt, capite secundo duabus commentationibus [10] afferemus.

Discussio specialis *capitis tertii ac trium canonum* ad tria priora capita spectantium in sex Congregationibus generalibus a d. 9. ad 14. Iunii habita est [11]. Emendationes, quae a Patribus propositae sunt, d. 30. Iunii inter Patres distribuebantur [12]. De iis deputatio egit in quinque sessionibus [13], atque relatione de iis nomine deputationis habita a Rmo Friderico Zinelli, Episc. Tarvisino, singulae Patrum suffragiis subiectae sunt in Congregatione generali octogesima tertia, d. 5. Iunii [14]. De una tamen, secundum quam canoni tertio a Patribus deputatis inserta erant verba „aut eum (Papam) habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis", Patres Congregationis suffragia statim ferre noluerunt, quare in sequenti Congregatione ab Episc. Tarvisino specialis de hoc additamento habita est relatio, qua finita incisum additum a Patribus approbatum est [15]. Deinde caput cum tribus canonibus secundum emendationes a Patribus approbatas reformatum [16] in sessione quinquagesima sexta deputationis legitur [17], inter

[1] C. V. 312b sqq. [2] Acta etc. C. V. 750d.
[3] Ex actis etc. C. V. 1689b. [4] Acta etc. C. V. 752b. Relatio habetur C. V. 315c sqq.
[5] Relatio etc. C. V. 330b. c. — Acta etc. C. V. 752b.
[6] C. V. 311b sqq. Cf. Ex actis. C. V. 1689d. 1690c.
[7] Acta etc. C. V. 755a. [8] Ibid. C. V. 756a.
[9] C. V. 427a sqq. Cf. Ex actis. C. V. 1695a.
[10] Commentatio II. De Primatu soli Petro collato ac de Petri ad ceteros Apostolos ratione. — Commentatio III. De iure, quo Primatus cum sede Romana coniunctus sit. [11] Acta etc. C. V. 750a sqq.
[12] Ibid. C. V. 755c. Emendationes habes C. V. 332d sqq.
[13] Ex actis etc. 1689c sqq.
[14] Acta etc. C. V. 757d. — Relatio etc. C. V. 346c sqq.
[15] De toto hoc negotio v. infra cap. II. comment. IV.: De inciso canonis capitis tertii etc. [16] C. V. 422c sqq.
[17] Ex actis etc. C. V. 1695a. — Ex diurnis etc. C. V. 1702b.

Patres d. 12. Iulii distribuitur [1] atque sequenti die eorum suffragiis approbatur [2], cum ceteris Constitutionis partibus postea suffragiis denuo subiiciendum.

Ex iis, quae de hoc capite disputata sunt, aliqua postea accuratius referemus. Pauca quaedam hoc loco addimus.

Prima capitis paragrapho Concilii Florentini de Primatu definitio innovatur. Quae de hoc Florentini decreto, praesertim de eius conclusione, a Patribus disputata sunt, speciali commentatione referemus [3]. Altera paragrapho accuratior continetur definitionis Florentinae explicatio. Eam aliqui omitti volebant, quippe quae quoad substantiam in definitione Florentina iam contineretur [4]. Bene respondet Episc. Tarvisinus relator [5]: „Quamvis laudabile sit desiderium resecandi quod superabundat, attamen providendum etiam est, ne, dum superflua respuimus, in necessariis deficiamus. Verum est, in verbis Concilii Florentini contineri, quantum ex se sufficeret ad vim Primatus cognoscendam; at nihilominus, non obstante definitione Florentina, errores orti sunt [6], qui respiciunt naturam Primatus, et in dies crescunt, adeo ut necessarium sit, ut in Concilio Vaticano genuinus sensus definitionis Florentinae Synodi explicetur auctoritative, et auctoritative etiam, quae non satis explicite in verbis ab illa Synodo adhibitis continentur, eruantur. Repetitio est apparens; realiter per duas paragraphos lux affertur doctrinae; ac proinde elucidatio, non repetitio est." At emendationum auctores nihil amplius in paragrapho vident, quam ea, quae sunt in verbis Florentinae Synodi. Hoc quam maxime arridet; nam auctoritate horum Rmorum Patrum tali modo respondetur illis, qui doctrinas in secunda paragrapho contentas impugnant." His displicebat doctrina de Summi Pontificis suprema ordinaria et immediata in omnes et singulos fideles potestate episcopali, id quod illis iam animadversionibus, quas de schemate pristino scriptas tradiderant, patet. Aliqui enim timendum esse animadverterant, ne enuntiata illa doctrina excluderetur vel detrimentum pateretur Episcoporum potestas [7]. Eam

[1] Acta etc. C. V. 758c. [2] Ibid. C. V. 759c.
[3] Infra cap. II. comment. IV. Concilii Florentini de vi ac ratione Primatus definitio etc. [4] Emendationes etc. C. V. 336c sqq.
[5] Relatio etc. C. V. 350a. b. [6] Cf. infra cap. III. adnot. ad locum.
[7] Quo iure Summi Pontificis potestas dicatur episcopalis v. infra in speciali commentatione cap. II. comment. V. — In relatione cum schemate Patribus tradita de illis Patrum animadversionibus sermo est, atque respondetur (C. V. 277a sqq.): „Verum a) ne (potestas episcopalis) pati quidpiam detrimenti possit videri, diserta fiet ordinariae ac immediatae potestatis Episcoporum in suas particulares dioeceses declaratio; tum vero considerandum proponitur:
b) Phrasis, qua de agitur, est positiva et affirmans, non exclusiva et negans; quare per illam alii pastores, iique ordinarii ac immediati nullatenus excluduntur; immo vero

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ob causam Patres deputati huic secundae paragrapho tertiam addiderunt, qua Episcoporum potestati quidquam timendum esse negatur, atque etiam his in suum cuique gregem immediata atque ordinaria potestas ascribitur [1].

Itaque potestate episcopali Summi Pontificis, qualis in paragrapho secunda descripta est, non offici potestati Episcoporum, tertia paragrapho expresse enuntiatur. Quarta declaratur, Summo Pontifici ius

---

c) eo ipso quod Romanus Pontifex constanter dicitur pastor supremus, alii pastores inferiores et obnoxii significantur; et cum idem Romanus Pontifex dicitur constanter pastor universalis, significantur pastores particulares. Sane

d) in capite decimo (schematis pristini) de Ecclesia Christi non alia Episcopis asseritur potestas, quam ipsa, quae ordinaria ac immediata est; et,

e) quod in adnotatione 64. p. 199. in schemate de Ecclesia exponitur, secundum S. Thomam illa duo: Pastor supremus itemque universalis, et pastores inferiores itemque particulares, nullatenus semet excludunt; contra, tantum abest, ut per priorem illam summi pastoris potestatem haec altera obnoxiorum pastorum impediatur, ut per eam stabiliatur, firmetur, vindicetur; uti vice versa per hanc alteram inferiorum pastorum potestatem supremi pastoris potestas non impedienda, sed iuvanda, asserendaque est. Unde

f) cum excipitur, nullam Pontifici asserendam potestatem esse, nisi quae sit possibilis, id est, exerceri ab ipso possit; talem autem non esse potestatem immediatam, quae illi asseritur: respondetur *primo*, potestatem omnem, quam Christus Dominus reapse instituit, possibilem esse; instituit autem in beato Petro potestatem illam, qua de agitur. Respondetur *deinde*, exceptionem a falsa proficisci hypothesi vel praepostera explicatione potestatis immediatae, quae Romano Pontifici asseritur: quasi significaretur, aut Episcopos, qui sunt pastores particulares, non esse in Ecclesia iure divino semper debere; aut Romanum Pontificem regere unquam posse Ecclesiam absque Episcopis seu pastoribus particularibus. Verum namque est, Romanum Pontificem ita habere potestatem ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam, ut ex statuto divinitus ordine in partem sollicitudinis vocet Episcopos particulares, qui potestate ordinaria et immediata particulares sibi commissos greges pascant et regant."

[1] Ex actis etc. C. V. 1681 b. c. — Quum postea suffragia de tota Constitutione ferrentur, unus ex Patribus suffragio „Placet" hanc conditionem adiecit, ut tertia paragraphus omitteretur. (Exceptiones etc. C. V. 439 a. b.) Respondet Rmus Zinelli in relatione de exceptionibus a Patribus in cap. tertium factis (C. V. 469 c.): „Vult Rmus Pater, totam paragraphum eliminari, quia: 1. inutilis, 2. reverentiae Summi Pontificis parum accommodata, 3. in argumentatione non satis accurata. At primo, tantum abest, ut sit inutilis, quod necessaria omnino fuit iudicata ad satisfaciendum centies repetitis obiectionibus illorum, qui timebant, ne per assertam Romano Pontifici auctoritatem vere episcopalem, ordinariam et immediatam in singulis dioecesibus, ad nihilum redigeretur et negaretur potestas singulorum Epi-

esse cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae in muneris exercitio libere communicandi; quinta tandem paragrapho, eius tribunal supremum esse, ad quod in omnibus causis ecclesiasticis recurri, a quo ad aliud tribunal appellari non possit.

Discussio specialis *capitis quarti* d. 15. Iunii incepit atque Patres per undecim Congregationes (a 72.—82.) occupavit [1]. Ingens erat numerus oratorum in utramque partem disputantium. Tandem „nonnulli Patres videntes, ob calores aestivos nimis durum ac molestum esse diutius in Urbe manere et singulis diebus per quatuor horas audire longas illas dissertationes; eo vel magis quod, exhausta iam disceptationis materia, disserentibus nihil prorsus novi superesset et e contra non paucis diebus opus esset ad oratores omnes, qui inscripti fuerunt et quotidie inscribebantur, audiendos, consilium inierunt, cuiuscunque demum opinionis essent, rogandi, ut obtentam loquendi facultatem remitterent, et clausa hoc modo discussione, suffragiis exquirendis locus fieret. Multum in hac re adlaboraverunt Rmi DD. Episc. Aquilanus, Episc. Veronensis, Archiep. Colocensis et Archiep. Westmonasteriensis, qui a pluribus diebus oratorum subscriptiones colligendas curarunt. Ab initio quidem non pauci resistere visi sunt; postmodum vero, cum nossent, universorum Patrum desiderium hoc esse, et facto probassent, longas illas dissertationes ferri amplius non posse, communi voto fere omnes obsecundarunt" [2]. Itaque d. 4. Iulii in Congregatione generali octogesima altera primo praelecta sunt nomina eorum, qui obtentae veniae loquendi renuntiarunt; deinde alii, qui veniam loquendi petierant, ad ambonem vocati sunt. Sed etiam hi fere omnes renuntiarunt, ut eo die discussio specialis finiretur [3].

Emendationes a Patribus propositae [4], typis impressae, d. 7. Iulii inter Patres distribuebantur [5] atque a deputatione de fide in tribus sessionibus examinabantur [6]. Inde a die, quo schema novae Constitutionis Congregationi generali propositum erat, et deputati et alii Pa-

---

scoporum. Asserendum igitur erat a Concilio Vaticano clare contrarium, ut omnis falsa interpretatio tolleretur. Secundo, ait, est parum accommodata reverentiae debitae Summo Pontifici. At Summus Pontifex certe desiderat, proclamari sine ulla ambiguitate iura Episcoporum, nec reverentiae sibi debitae propter hoc incusat deesse Episcopos. Tertio est parum, dicitur, accurata in argumentatione. At nullam hic volebant capitis auctores adhibere argumentationem, sed veritatem dumtaxat enuntiare, et asserere, Pontifices Summos huic veritati libenter adstipulari; quod comprobatum est pulcherrimis verbis S. Gregorii".

[1] Acta etc. C. V. 752 b sqq. [2] Ibid. C. V. 756 d.
[3] Ibid. C. V. 757 a sqq. [4] C. V. 372 c sqq.
[5] Acta etc. C. V. 758 b.
[6] Ex actis etc. C. V. 1692 b sqq. — Ex diurnis etc. C. V. 1702 a.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tres multum de modo, quo obiectum infallibilitatis in schemate exhiberetur, disputarunt, de qua re infra speciali commentatione agetur [1].

Emendationes a Patribus propositae omnium suffragiis subiiciebantur in Congregatione generali octogesima quarta d. 11. Iulii [2].

In schemate, quod a deputatione Patribus erat traditum, caput quartum duabus constabat paragraphis, quarum priore testimonia Conciliorum, altera ipsa definitio continebatur [3]. Secundum emendationes a Patribus propositas a deputatione tres paragraphi insertae sunt [4], quae quoad substantiam [5] in Constitutione a Concilio approbata permanserunt [6]. Cur additae sint et quid contineant, Episc. Brixinensis in relatione nomine deputationis habita ita explicat: „In ista emendatione . . ., quae incipit: ‚Huic pastorali muneri . . .‘ et quae desinit in verba ‚solemniter asserere‘, . . . continentur sequentia. Primo describitur cura, quam Romani Pontifices tum ipsi in se suscipiebant pro veritate catholica conservanda et dilatanda, tum quae ipsis imposita fuit per controversias fidei in variis locis et temporibus exortas. Deinde a verbis ‚Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat . . .‘ describitur agendi ratio, qua Romani Pontifices in definitionibus dogmaticis semper usi sunt et utuntur et in posterum etiam utentur. Inde a verbis ‚quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea . . .‘ describitur, quod Romani Pontifices definiunt innixi Sacra Scriptura et traditione, sub tutela Christi et assistentia Spiritus Sancti, quae non est confundenda cum revelatione. Inde a verbis ‚Quorum quidem apostolicam doctrinam . . .‘ describitur modus, quo definitiones Romani Pontificis ex promissione Christi tanquam veritati consentaneae et irrefragabiles fuerunt susceptae, et quomodo hac ipsa re consensio ecclesiarum per orbem dispersarum cum Ecclesia Romana, et vice versa Romanae Ecclesiae cum reliquis maxime enitet. Inde a verbis ‚Hoc igitur veritatis et fidei . . .‘ describitur finis, ob quem Christus Dominus praerogativam inerrantiae Sedi Apostolicae seu Pontifici Romano concessit. Finis enim huius doni est bonum Ecclesiae in omnium salutem, ut munere suo fungeretur, et quidem tum consecutio sanae doctrinae, tum unitas fidei et charitatis, tum nexus indivulsus inter fundamentum et Ecclesiae

[1] Cap. II. comment. IX. [2] Acta etc. C. V. 758 b. [3] C. V. 272 b sqq.
[4] Emendationes etc. C. V. 387 b sqq. — Ex actis. C. V. 1694 a sqq.
[5] Loci ex SS. Irenaeo et Augustino, qui schemati a deputatione proposito (cf. C. V. 387 d) inerant, post discussionem in Congregatione generali habitam (cf. Exceptiones etc. C. V. 442 d. 446 d sqq.) a deputatione omittebantur (Ex actis etc. C. V. 1695 b. — Ex diurnis etc. C. V. 1702 c). Vide, quae de hac re Brixinensis in ultima relatione (d. 16. Iulii) disputat C. V. 473 c sqq.
[6] C. V. 436 b sqq.

aedificium. Demum in ultimo inciso ‚At vero cum hac ipsa aetate . . .‘ primum innuitur causa huius solemnis definitionis infallibilitatis pontificiae, et deinde natura huius praerogativae innuitur, scilicet, quod Papae non conveniat tanquam personae privatae, sed quod conveniat ipsi fungenti munere suo summo pastorali.“ [1]

Relationem de emendationibus Rmus Vincentius Gasser, Episc. Brixinensis [2], hisce exorditur: „Magno cum moerore et maiori cum timore hodie ambonem ascendo. Magno cum moerore, nam tractatus de centro unitatis Ecclesiae factus est occasio dissidii inter Rmos Patres, et quidem dissidii, de quo cum Propheta dicere possumus: ‚Videntes clamabunt foris, et angeli pacis amare flebunt.‘ [3] Maiori adhuc cum timore ambonem ascendo, timens, ne optima causa culpa causidici pessumdetur.“ Divisit relationem in duas partes, generalem et specialem. Illa primo infallibilitatem Summi Pontificis argumentis probavit [4], deinde definitionis formulam ipsamque doctrinam accuratius explicavit [5]. Altera relationis parte de singulis emendationibus propositis egit [6]. Per quatuor horas dixit. Omnia, quae nomine deputationis proposuit, suffragia Patrum tulerunt [7].

Caput secundum emendationes a Patribus receptas a deputatione reformatum [8] d. 12. Iulii inter Patres distribuebatur [9] atque d. 13. Iulii in Congregatione generali octogesima quinta suffragiis subiiciebatur et a longe maiori Patrum parte comprobatum est [10].

Discussionem specialem trium canonum ad tria prima capita spectantium simul cum discussione tertii capitis habitam esse, supra [11] diximus.

In schemate Constitutionis Patribus a deputatione de fide exhibito canon, qui quarto capiti responderet [12], non erat, quanquam aliqui Patres in observationibus de capite addendo traditis petierunt, ut etiam huic capiti adderetur canon [13]. Etiam in discussione speciali de quarto capite multi Patres canonem addi voluerunt [14]. Disputatum de ea re est in sessionibus deputationis [15]; nullus tamen e canonibus a Patribus propositis placuit. In canone enim, ut ait Brixinensis, 1. doctrina capitis quoad substantiam et quoad substantialia repe-

[1] Relatio etc. C. V. 407 d sqq. [2] Ibid. — Relatio etc. C. V. 388 b sqq.
[3] Is. 33, 7. [4] Relatio etc. C. V. 389 a sqq.
[5] Ibid. C. V. 398 c sqq. Cf. infra cap. II. comment. VIII.
[6] Relatio etc. C. V. 406 a sqq.
[7] Ibid. C. V. 421 a. — Acta etc. C. V. 758 b. c.
[8] C. V. 424 a sqq. — Ex actis etc. C. V. 1695 a. — Ex diurnis etc. C. V. 1702 b. [9] Acta etc. C. V. 758 c.
[10] Ibid. C. V. 759 d. [11] P. 116. [12] Schema etc. C. V. 274 a.
[13] Relatio de observationibus etc. C. V. 279 b. — Schema etc. C. V. 1642 d sq. — Ex actis etc. C. V. 1679 b.
[14] Emendationes etc. C. V. 385 b sqq. [15] Ex actis etc. C. V. 1693 d.

BIBLIOTECA UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tenda est, et 2. canon directe erroribus contra hanc doctrinam grassantibus opponi debet: haec duo autem in canonum schematis a Patribus propositis locum non habebant [1]. Neque erat facile, canonem quarto capiti respondentem formare, qui doctrinam capitis accurate exhibitam brevi formula comprehenderet. Quare de deputationis sententia [2] Brixinensis proposuit, ut capitis conclusio ad instar canonis formaretur. Erat antea haec: „Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumpserit, sciat, se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse.“ [3] Loco „sciat etc.“ ponendum esse „anathema sit“ [4]. Statuebant praeterea deputati, etiam prioribus tribus capitibus singulis canones respondentes immediate addere, ut inter caput quartum et tria priora conformitas adesset [5]. Ea a Congregatione generali approbabantur [6].

Quum igitur post generalem de toto schemate discussionem singulae eius partes in discussionibus specialibus examinatae essent, quumque emendationes a Patribus propositae omnium suffragiis essent subiectae, atque singulae schematis partes, secundum emendationes a Patribus probatas reformatae, suffragiis eorum receptae essent, restabat, ut de tota Constitutione [7] suffragia ferrentur. Rogabantur suffragia d. 13. Iulii in Congregatione generali octogesima quinta. Suffragia ferebant 601 Patres: 451 „Placet“, 62 „Placet iuxta modum“, 88 „Non placet“ [8].

Exceptiones Patrum, qui suffragium „Placet iuxta modum“ tulerunt [9], d. 14. Iulii omnibus tradebantur [10] et a deputatione in duabus sessionibus examinabantur [11]. Quae maioris momenti in iis occurrunt, infra sive in commentationibus sive in adnotationibus ipsi Constitutioni adiectis commemorabimus. In duobus tantum locis deputatio, ut schema mutarent, Patribus suadere statuit, sc. ut in capite quarto omitterent locos ex SS. Irenaeo et Augustino citatos [12], et ut in fine capitis quarti ad verba „Romani Pontificis definitiones ex sese“ adderent verba „non autem ex consensu Ecclesiae“. Haec vel similia verba, quae doctrinam olim in Gallia vigentem, Papae definitiones accedente tantum consensu Ecclesiae vel Episcoporum infallibiles esse, directe excludunt, dudum iam a Patribus proposita erant [13]. Etiam in exceptionibus iterum proponebantur [14]. Ea verba, ut Brixi-

[1] Relatio etc. C. V. 419 c sqq. [2] Ex actis etc. C. V. 1694 d. — Ex diurnis etc. C. V. 1702 b.
[3] Schema etc. C. V. 273 c. [4] Relatio etc. C. V. 420 b.
[5] Ex actis etc. C. V. 1694 d. [6] Relatio etc. C. V. 421 d.
[7] V. eam C. V. 426 b sqq. [8] Acta etc. C. V. 759 d sq.
[9] Exceptiones etc. C. V. 432 a sqq. [10] Acta etc. C. V. 760 b.
[11] Ex actis etc. C. V. 1685 a sqq. [12] Cf. supra p. 120 [5].
[13] Cf. Schema etc. C. V. 1643 a. [14] Exceptiones etc. C. V. 458 c.

nensis ait in relatione nomine deputationis habita [1], „nihil aliud sunt quam solummodo quaedam explicatio; nam reapse, cum dicimus, definitiones Romani Pontificis ex cathedra loquentis esse irreformabiles ex sese, eo ipso enuntiamus, causam irreformabilitatis sitam esse in ipsis decretis Romani Pontificis et non esse ponendam aliunde ex conditione quadam externa, ut est assensus Episcoporum, assensus Ecclesiae.“ Ipsa deputatio aliqua, quae ad stilum spectantia proposita erant, mutavit [2].

Itaque in Congregatione generali octogesima sexta d. 16. Iulii de exceptionibus agebatur [3]. Relationes nomine deputationis habuerunt de exceptionibus in prooemium et duo prima capita propositis Rmus Episc. d'Avanzo, de capite tertio Rmus Zinelli, de capite quarto Rmus Gasser [4]. Duo illa, quae a deputatione commendabantur, a Patribus recepta sunt [5]. Quibusdam, quae stilum respiciunt, a deputatione mutatis [6] Constitutioni sola deerat Patrum in Sessione solemni approbatio et Summi Pontificis confirmatio.

Aliqui ex Patribus, qui definitioni infallibilitatis pontificiae adversabantur, illis diebus et ante ipsam solemnem Sessionem per Summum Pontificem se obtenturos sperabant, ut, quod Ecclesiae periculo fore putabant, averterent. Eorum deputati d. 15. Iulii vespere Summum Pontificem adierunt petituri, ut incisum canoni capitis tertii additum: „aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis“ deleri et in definitione infallibilitatis addi iuberet „innixus testimonio ecclesiarum“ [7]. Idem sequenti die Rmus Darboy, Archiep. Parisiensis, epistola [8] ad Summum Pontificem data petiit, in qua praeterea proposuit, ut in capite tertio verba „quae vere episcopalis est“ delerentur. Quae si fierent, promisit fore, ut fere omnes Patres, qui in Congregatione generali suffragium „Non placet“ dederunt, in Sessione solemni suffragium „Placet“ ferrent. Rmus Dupanloup, Episc. Aurelianensis, Summo Pontifici epistola ad eum d. 17. Iulii data suasit, ut in Sessione publica a confirmatione Constitutionis abstineret eamque in aliud tempus, quo tanta eius pericula timenda non essent, differret [9]. Rmo Archiep. Parisiensi Summus Pontifex respondit, se omnia Congregationi generali relicturum esse sibique sententiam definitivam reservare [10].

[1] C. V. 476 a. [2] Ex actis etc. C. V. 1685 a sqq.
[3] Acta etc. C. V. 760 c.
[4] Relationes etc. C. V. 460 a sqq. 468 a sqq. 473 b sqq.
[5] C. V. 476 d sqq. — Acta etc. C. V. 760 c.
[6] Ex actis etc. C. V. 1695 d. — Ex diurnis etc. C. V. 1702 d.
[7] Ex diurnis etc. C. V. 1702 d. Cf. epistolam comitis Arnim ad regem Borussiae. C. V. 1609 d. [8] C. V. 992 b. c.
[9] C. V. 992 d sqq. [10] Ex diurnis etc. C. V. 1702 d.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Decreto in Congregatione generali octogesima sexta d. 16. Iulii promulgato Summus Pontifex omnibus Patribus, „qui vel ratione valetudinis vel ratione negotiorum in sua dioecesi peragendorum ad tempus . . . discedere volunt, veniam abeundi generaliter concedit, ita tamen, ut discessum suum significent in scripto ad Secretarium Concilii misso, nec absentia haec protrahatur ultra festum S. Martini d. 11. Novembris“ [1]. Die sequenti quinquaginta quinque Patres, qui se in Sessione solemni suffragium „Placet“ ferre posse negabant, epistola ad Summum Pontificem data se sine mora ad greges suos redituros scribebant. A Sessione publica se constituisse abesse. „Pietas enim et reverentia“, inquiunt, „. . . non patiuntur, nos in causa personam Sanctitatis Vestrae adeo proxime concernente palam et in facie dicere ‚Non placet‘.“ [2] Animadvertunt etiam, se gregibus post tam longam absentiam ob belli timores atque praesentissimas eorum spirituales indigentias summopere necessarios esse, atque Summo Pontifici intemeratam fidem et obedientiam profitentur. Etiam Rm̃us Melchers, Archiep. Coloniensis, et Rm̃us de Ketteler, Episc. Moguntinus, ille epistola ad Praesides Concilii, hic ad Summum Pontificem data, scripserunt, se, quum suffragium „Placet“ ferre non possent, Sessioni publicae interesse nolle et venia discedendi sibi concessa utentes citissime ad greges ob bellum inter Galliam et Borussiam in maximo periculo versantes redituros esse. „Ceterum declaro,“ inquit Rm̃us Archiep. Coloniensis, „me decretis a Concilio ferendis et a Sm̃o Patre confirmandis humillime me esse subiecturum.“ Similiter Episc. Moguntinus: „Sed non possum Roma discedere,“ inquit, „priusquam Tibi, Beatissime Pater, declaraverim, fore ut definitionibus Concilii me plenissime subiiciam, perinde ac si praesens voto ‚Placet‘ consensissem.“ [3]

Sessio solemnis habebatur d. 18. Iulii. Lecta Constitutione prima de Ecclesia suffragia ferebantur: 533 „Placet“, 2 „Non placet“. Deinde Summus Pontifex Constitutionem confirmavit [4].

[1] Sessio quarta. C. V. 479 b. c. — Acta etc. C. V. 761 d.
[2] Literae etc. C. V. 994 b sqq. [3] Ibid. C. V. 993 d sq.
[4] Sessio solemnis. C. V. 487 c sqq. — Adhaesiones omnium Patrum, qui sive in Congregatione generali octogesima quinta sive in Sessione solemni quarta non interfuerunt vel in priori votum „Non placet“ vel „Placet iuxta modum“ dederunt, v. C. V. 995 d sqq. 1752 b.

CAPUT ALTERUM.

Aliquorum locorum Constitutionis primae de Ecclesia uberior explicatio.

COMMENTATIO I.

Num Christus recte dicatur in Petro instituisse unitatis principium ac visibile fundamentum.

Nihil est usitatius, quam ut Petrum Ecclesiae unitatis principium et visibile fundamentum dicamus. Ea tamen verba in prooemio Constitutionis usurpata aliquibus Patribus non placuerunt, nec solum in animadversionibus, quas ante discussionem generalem schematis de undecimo capite pristini schematis scriptas tradiderant, illa verba mutari voluerunt, sed etiam postea deputatorum Patrum responsis non contenti iterum atque tertio idem postularunt. Quae de ea disputatione in actis habentur, quum licet non ita multa, tamen plura sint, quam ut in adnotatione textui subiecta referri potuerint, hac commentatione collecta sequantur.

1. Atque Petrum recte dici *principium* utriusque (fidei et charitatis) unitatis, Patres deputationis de fide ostendunt in ea relatione, quam scriptam simul cum schemate Congregationi generali obtulerunt [1]. „Dici id posse ac debere“, inquiunt, „Ecclesiae Patres et Doctores tradunt, quatenus nimirum constitutum fuit in Petro totius Ecclesiae caput, quo corpus in unitate continetur; quatenus in illo institutus fuit universalis omnium fidelium doctor et confirmator fratrum, per quem unitas fidei conservatur; et quatenus in eodem institutus fuit supremus universi gregis pastor, a quo unitas ovilis custoditur: de quibus inter alios probatos auctores disserunt Petr. Ballerini, De vi ac rat. Primat. c. 10., Card. Gerdil, Opusc. 4 ad hierarch. Eccles. constitut. pertinent. opp. t. XI. p. 103 sqq.

„Sed ad rem sunt haec ex Catechismo ad Parochos in art. Symb. ‚Credo sanctam Ecclesiam‘: ‚Unus est etiam eius rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem aeternus Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius; visibilis autem is, qui Romanam Cathedram, Petri Apostolorum principis legitimus successor, tenet: de quo fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiae constituendam et conservandam necessarium fuisse, quod praeclare et vidit et scripsit sanctus Hieronymus, et contra Iovinianum his verbis: Unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio; et ad Damasum: Facessat invidia; Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, et

[1] Cf. supra cap. I. p. 112.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Decreto in Congregatione generali octogesima sexta d. 16. Iulii promulgato Summus Pontifex omnibus Patribus, „qui vel ratione valetudinis vel ratione negotiorum in sua dioecesi peragendorum ad tempus . . . discedere volunt, veniam abeundi generaliter concedit, ita tamen, ut discessum suum significent in scripto ad Secretarium Concilii misso, nec absentia haec protrahatur ultra festum S. Martini d. 11. Novembris“ [1]. Die sequenti quinquaginta quinque Patres, qui se in Sessione solemni suffragium „Placet“ ferre posse negabant, epistola ad Summum Pontificem data se sine mora ad greges suos redituros scribebant. A Sessione publica se constituisse abesse. „Pietas enim et reverentia“, inquiunt, „. . . non patiuntur, nos in causa personam Sanctitatis Vestrae adeo proxime concernente palam et in facie dicere ‚Non placet‘.“ [2] Animadvertunt etiam, se gregibus post tam longam absentiam ob belli timores atque praesentissimas eorum spirituales indigentias summopere necessarios esse, atque Summo Pontifici intemeratam fidem et obedientiam profitentur. Etiam Rm̃us Melchers, Archiep. Coloniensis, et Rm̃us de Ketteler, Episc. Moguntinus, ille epistola ad Praesides Concilii, hic ad Summum Pontificem data, scripserunt, se, quum suffragium „Placet“ ferre non possent, Sessioni publicae interesse nolle et venia discedendi sibi concessa utentes citissime ad greges ob bellum inter Galliam et Borussiam in maximo periculo versantes redituros esse. „Ceterum declaro,“ inquit Rm̃us Archiep. Coloniensis, „me decretis a Concilio ferendis et a Sm̃o Patre confirmandis humillime me esse subiecturum.“ Similiter Episc. Moguntinus: „Sed non possum Roma discedere,“ inquit, „priusquam Tibi, Beatissime Pater, declaraverim, fore ut definitionibus Concilii me plenissime subiiciam, perinde ac si praesens voto ‚Placet‘ consensissem.“ [3]

Sessio solemnis habebatur d. 18. Iulii. Lecta Constitutione prima de Ecclesia suffragia ferebantur: 533 „Placet“, 2 „Non placet“. Deinde Summus Pontifex Constitutionem confirmavit [4].

[1] Sessio quarta. C. V. 479 b. c. — Acta etc. C. V. 761 d.
[2] Literae etc. C. V. 994 b sqq. [3] Ibid. C. V. 993 d sq.
[4] Sessio solemnis. C. V. 487 c sqq. — Adhaesiones omnium Patrum, qui sive in Congregatione generali octogesima quinta sive in Sessione solemni quarta non interfuerunt vel in priori votum „Non placet“ vel „Placet iuxta modum“ dederunt, v. C. V. 995 d sqq. 1752 b.

CAPUT ALTERUM.

Aliquorum locorum Constitutionis primae de Ecclesia uberior explicatio.

COMMENTATIO I.

Num Christus recte dicatur in Petro instituisse unitatis principium ac visibile fundamentum.

Nihil est usitatius, quam ut Petrum Ecclesiae unitatis principium et visibile fundamentum dicamus. Ea tamen verba in prooemio Constitutionis usurpata aliquibus Patribus non placuerunt, nec solum in animadversionibus, quas ante discussionem generalem schematis de undecimo capite pristini schematis scriptas tradiderant, illa verba mutari voluerunt, sed etiam postea deputatorum Patrum responsis non contenti iterum atque tertio idem postularunt. Quae de ea disputatione in actis habentur, quum licet non ita multa, tamen plura sint, quam ut in adnotatione textui subiecta referri potuerint, hac commentatione collecta sequantur.

1. Atque Petrum recte dici *principium* utriusque (fidei et charitatis) unitatis, Patres deputationis de fide ostendunt in ea relatione, quam scriptam simul cum schemate Congregationi generali obtulerunt [1]. „Dici id posse ac debere“, inquiunt, „Ecclesiae Patres et Doctores tradunt, quatenus nimirum constitutum fuit in Petro totius Ecclesiae caput, quo corpus in unitate continetur; quatenus in illo institutus fuit universalis omnium fidelium doctor et confirmator fratrum, per quem unitas fidei conservatur; et quatenus in eodem institutus fuit supremus universi gregis pastor, a quo unitas ovilis custoditur: de quibus inter alios probatos auctores disserunt Petr. Ballerini, De vi ac rat. Primat. c. 10., Card. Gerdil, Opusc. 4 ad hierarch. Eccles. constitut. pertinent. opp. t. XI. p. 103 sqq.

„Sed ad rem sunt haec ex Catechismo ad Parochos in art. Symb. ‚Credo sanctam Ecclesiam‘: ‚Unus est etiam eius rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem aeternus Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius; visibilis autem is, qui Romanam Cathedram, Petri Apostolorum principis legitimus successor, tenet: de quo fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiae constituendam et conservandam necessarium fuisse, quod praeclare et vidit et scripsit sanctus Hieronymus, et contra Iovinianum his verbis: Unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio; et ad Damasum: Facessat invidia; Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, et

[1] Cf. supra cap. I. p. 112.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri, communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio'. Idemque illico adductis testimoniis S. Cypriani, Optati, Basilii, Ambrosii et Augustini confirmatur." [1]

De eadem re Rmus Pie in ea relatione, quam ante inceptam discussionem generalem in Congregatione quinquagesima habuit, haec disserit: „Animadversum est a nonnullis Patribus, quod Petrus dicatur fuisse institutus non solummodo tanquam fundamentum visibile unitatis Ecclesiae, sed etiam tanquam perpetuum eiusdem unitatis principium.

„Salvo autem meliori iudicio, deputationi vestrae visum fuit, nec auctoritates nec rationes deficere, ut vox illa servetur. Non auctoritates, nam praeter plurimos Patres tum Graecos tum Latinos, a quibus Cathedra Romana dicitur unitatis matrix et radix et nutrix, et asseritur in Petro esse unitatis principium, neminem nostratum fugit, clarissimum Episcopum Meldensem in sua celeberrima oratione *de unitate Ecclesiae* dixisse: Auctoritatem ecclesiasticam primum in unius persona constitutam in alias propagatam non fuisse nisi ea lege, ut semper *ad principium suae unitatis* reducatur, eosque, qui illam exercendam susceperint, debere inseparabiliter adhaerere eidem cathedrae.

„Ratio autem huiusce vocabuli est, quia Petri auctoritas *non est tantummodo Ecclesiae fundamentum passivum, sed fundamentum vivum, activum* et, ut aiunt, dynamicum, cuius vi et energia omnes partes stant et coalescunt, uti patebit ex infra dicendis." [2]

In discussione speciali prooemii novi schematis unus iterum loco verborum „utriusque unitatis *principium* ac visibile fundamentum" poni voluit „permanens (vel firmum), utriusque unitatis *centrum* ac fundamentum" (Emendatio 7.) [3]. Alius item loco vocis *principium* vocem *centrum* proposuit (Emendatio 8.), qui quidem vocem *visibilis fundamenti* reliquit. „Ex variis Sacrae Scripturae textibus", inquit, „clare apparet, Christum ipsum, qui fidei et charitatis auctor et est et dicitur, esse etiam earum, proprie loquendo, *principium:* ideoque hoc verbum, *principium* nempe, in suo genuino sensu applicari non posse mihi videtur Apostolo Petro, . . . sed potius dicendum, saltem meo iudicio, ‚*centrum*'. Christus enim in Beato Petro ‚instituit perpetuum utriusque unitatis *centrum* ac visibile fundamentum'; non vero principium; nec enim aliter constare videtur ex synodalibus definitionibus." [4] Etiam tertius vocem centri praefert [5].

[1] Relatio etc. C. V. 274 d sq. [2] Relatio etc. C. V. 291 d sq.
[3] Emendationes etc. C. V. 303 b. [4] Ibid. [5] Ibid.

His respondet [1] Rmus Leahy, deputationis relator: „Patres deputationis putarunt, verba schematis esse omnino retinenda et nullam ex his tribus emendationibus posse admitti. Quoad vocem ‚principium' auctores emendationis, saltem unus ex iis dicit, quod principium recte dici non possit [fundamentum unitatis fidei recte dici non possit] [2] de B. Apostolo Petro, et quod hoc rite praedicari possit de solo Christo Domino. Certe Christus Dominus est principium primarium non solum unitatis, sed etiam omnium spiritualium donorum, quae opitulante Spiritu Sancto, operante Spiritu Sancto in sinum dilectae suae sponsae Ecclesiae effundit et semper est effusurus. Sed Christus praeterea posuit in ipsa Ecclesia, praeterea voluit in ipsa constitutione Ecclesiae, principium unitatis secundarium, vicarium. Quamvis enim Iesus Christus Dominus noster sit semper invisibiliter cum Ecclesia, eam per gratiam Spiritus Sancti docens, regens, vivificans; ea tamen omnia facit modo accommodato societati externae et visibili, qualis est Ecclesia, per media accommodata huic externae et visibili Ecclesiae, scilicet per ordinem hominum externum et visibilem, per media visibilia, per sacramenta visibilia, per praedicationem verbi externam, audibilem, sensibilem: quamvis, inquam, Christus Dominus ita agat quoad oeconomiam totius Ecclesiae, similiter, simili modo quamvis ipse sit auctor et effector unitatis Ecclesiae, primarium principium unitatis Ecclesiae; tamen posuit in ipsa constitutione Ecclesiae illud, quod dicimus principium unitatis; illud, quod de se aptum et efficax est ad conservandam fidei et communionis unitatem heri, hodie et in saecula; illud, quod de se aptum et efficax est ad conservandos omnes fideles ab haeresi et schismate; illud, quod de se aptum et efficax est ad conservandos in professione eiusdem fidei et sinu eiusdem communionis omnes sparsos per universam terram et in omnibus aliis inter se diversos: Christus, inquam, posuit illud in ipsa constitutione Ecclesiae, et illud, quod ita posuit, illud est auctoritas, auctoritas, inquam, non solum invisibilis, non solum ipsius Christi, sed auctoritas visibilis, palpabilis, residens in ipsa persona Petri et successorum Petri.

„Et quod haec auctoritas Summi Pontificis vere dici possit et sit principium unitatis, patet a priori ex eo, quod omnes huic auctoritati se submittentes in eadem fide et in eadem communione necessario coniunguntur. Patet etiam a posteriori, quia de facto populi omnium tribuum et linguarum in unum ovile Christi congregati sunt, propterea quod Primatum Summi Pontificis agnoverint; dum e converso ab ipsis incunabulis Ecclesiae usque ad praesentem diem sectarii reiicientes semel, et quia reiecerunt auctoritatem Summi Pontificis, ideo inter se in multiplices haereses et schismata scissi sunt et adhuc scindun-

[1] Relatio etc. C. V. 306 c sqq. [2] Quae uncis inclusimus, habentur in relatione, sed contextui certe non satis conveniunt.

tur. Vere igitur dici potest, quod Primatus Summi Pontificis revera sit et dici possit et debeat principium unitatis fidei et communionis. Et est specialis ratio, quare vox *centrum* unitatis non debeat substitui voci *principium* unitatis; est specialis ratio.

„Quarenam substituitur vox ‚centrum unitatis'? quarenam? Nempe quia haec vox *centrum* est magis elucidata, quia praeterea unum significant hae voces ‚principium unitatis et centrum unitatis'.

„Sed loquendo de unitate Ecclesiae, vox usitata semper vel fere semper in tractatibus theologicis et in controversiis cum protestantibus, vox semper vel fere semper usitata de unitate Ecclesiae, est *principium* unitatis.

„Sed principium et centrum unitatis non sunt quid unum et idem? In se certe sunt. Christus Dominus non solum est principium unitatis, sed etiam est centrum unitatis; sunt in se quid unum et idem. Sed vox ‚principium' non eandem notionem exhibet atque eundem respectum ac vox ‚centrum unitatis', nam principium proprie significat principium unitatis, significat id, quod positum est in ipsa constitutione Ecclesiae, significat relationem Summi Pontificis ad membra Ecclesiae; dum centrum unitatis significat relationem membrorum Ecclesiae ad Pontificem. Principium est quid intrinsecum Primatui Ecclesiae; praesupposita hac constitutione, praesupposito hoc principio, tunc sequitur tanquam consectarium naturale, quod cum hoc principio convenire debeant omnes Episcopi, omnes ecclesiae, omnes fideles. Igitur vox ‚principium unitatis' non est quid unum et idem ac vox ‚centrum unitatis': propterea vox *principium* unitatis est fere semper usitata. Igitur Patres deputationis censuerunt, vocem *principium* unitatis esse omnino retinendam et non mutandam in vocem *centrum* unitatis."

Itaque cum suffragia ferrentur, verba schematis retenta et, quae proposita erant, paucis contradicentibus exclusa sunt [1].

Quum tamen in Congregatione octogesima quinta tota Constitutio suffragiis subiiceretur, duo Patres iterum vocem centri recipi voluerunt [2]. Responsum autem est in sequenti Congregatione a relatore deputationis, de re a Congregatione generali iam iudicatum nec iterum de ea agendum esse [3].

2. Etiam voce *visibile fundamentum* unum vel alterum offensum esse vidimus. De qua re haec habentur in relatione, quae cum ipso schemate inter Patres distributa [4] est: „Animadvertitur, loco ‚visibile fundamentum' dicendum esse ‚praecipuum fundamentum'. Sed iuxta verba Christi Domini Matth. 16. ex maiorum interpretatione et Ecclesiae sensu constanter dictum illud est, hoc inauditum. Quod vero attinet ad sententiam sive Scripturae sive Patrum, aedificatos nos esse super

[1] Relatio etc. C. V. 311 d. [2] Exceptiones etc. C. V. 433 b. c.
[3] Relatio etc. C. V. 462 a. [4] C. V. 275 a.

fundamentum Apostolorum, eius declaratio habetur in altera relationis huius parte, quae versatur circa cap. quartum de Romani Pontificis infallibilitate." [1]

Quum tamen idem propositum esset in discussione speciali prooemii [2], respondit [3] Rmus Leahy in relatione de emendationibus nomine deputationis habita: „Non solum necesse est, ut sit in Ecclesia principium de se aptum et efficax ad procreandam unitatem, sed etiam ad sustentandam, ad eam conservandam et perpetuandam usque ad finem saeculi. Et quid magis inservit, quid magis necessarium, ut in unum coagmententur omnes partes aedificii, quid magis inservit vel magis necessarium est quam fundamentum? Hoc fundamentum omnino debet esse et vocari *visibile,* quia est fundamentum societatis visibilis; quia praeterea situm est in ipsa visibili persona successoris Petri: proinde hae voces ‚principium ac visibile fundamentum' sunt retinendae, ut censuerunt Patres deputationis."

COMMENTATIO II.

De Primatu soli Petro collato ac de Petri ad ceteros Apostolos ratione.

Contra eam capitis undecimi (pristini schematis de Ecclesia) sententiam, qua uni Petro summi pastoris et rectoris iurisdictio a Christo Domino tradita esse dicitur, in animadversionibus Patrum de illo capite scriptura traditis aliqua obiecta erant, quae in relatione a Patribus deputatis simul cum schemate distributa breviter refutantur [4]. Recurrit autem eadem res inter emendationes a Patribus in discussione speciali primi capitis novi schematis scripto traditas, atque unus ex Patribus ostendere studet, ubi agatur de Primatus institutione, ibi prius de apostolici muneris institutione agendum esse. „Probatio Primatus Petri", inquit ille, „ex textu apud Matth. 26, 18. 19 tunc demum solide et contra obiectiones tute conficitur, si simul exponitur, in qua relatione fundamentum Petri ad fundamenta omnium versetur Apostolorum, super quod, testante S. Paulo (Ephes. 2), aedificati sunt fideles, et quomodo Petri potestas solvendi et ligandi ad similem omnium Apostolorum potestatem (Matth. 18) se habeat. Quum eadem verba ad omnes Apostolos quoque dicta sint, vere asseri nequit, ad *unum* Petrum fuisse prolata: et quoad rem similis obiectio de fundamentis Ecclesiae exspectanda est.

„Quandoquidem decreti dogmatici forma ea esse debet, ut quasvis obiectiones et dubitationes, quantum fieri poterit, claritate et plenitudine sua excludat: conveniens, imo necessarium videtur, Apostolorum

[1] Cf. quae habentur in sequenti commentatione.
[2] Emendationes etc. C. V. 303 b. [3] Relatio etc. C. V. 308 b.
[4] C. V. 275 b. c.

tur. Vere igitur dici potest, quod Primatus Summi Pontificis revera sit et dici possit et debeat principium unitatis fidei et communionis. Et est specialis ratio, quare vox *centrum* unitatis non debeat substitui voci *principium* unitatis; est specialis ratio.

„Quarenam substituitur vox ‚centrum unitatis'? quarenam? Nempe quia haec vox *centrum* est magis elucidata, quia praeterea unum significant hae voces ‚principium unitatis et centrum unitatis'.

„Sed loquendo de unitate Ecclesiae, vox usitata semper vel fere semper in tractatibus theologicis et in controversiis cum protestantibus, vox semper vel fere semper usitata de unitate Ecclesiae, est *principium* unitatis.

„Sed principium et centrum unitatis non sunt quid unum et idem? In se certe sunt. Christus Dominus non solum est principium unitatis, sed etiam est centrum unitatis; sunt in se quid unum et idem. Sed vox ‚principium' non eandem notionem exhibet atque eundem respectum ac vox ‚centrum unitatis', nam principium proprie significat principium unitatis, significat id, quod positum est in ipsa constitutione Ecclesiae, significat relationem Summi Pontificis ad membra Ecclesiae; dum centrum unitatis significat relationem membrorum Ecclesiae ad Pontificem. Principium est quid intrinsecum Primatui Ecclesiae; praesupposita hac constitutione, praesupposito hoc principio, tunc sequitur tanquam consectarium naturale, quod cum hoc principio convenire debeant omnes Episcopi, omnes ecclesiae, omnes fideles. Igitur vox ‚principium unitatis' non est quid unum et idem ac vox ‚centrum unitatis': propterea vox *principium* unitatis est fere semper usitata. Igitur Patres deputationis censuerunt, vocem *principium* unitatis esse omnino retinendam et non mutandam in vocem *centrum* unitatis."

Itaque cum suffragia ferrentur, verba schematis retenta et, quae proposita erant, paucis contradicentibus exclusa sunt [1].

Quum tamen in Congregatione octogesima quinta tota Constitutio suffragiis subiiceretur, duo Patres iterum vocem centri recipi voluerunt [2]. Responsum autem est in sequenti Congregatione a relatore deputationis, de re a Congregatione generali iam iudicatum nec iterum de ea agendum esse [3].

2. Etiam voce *visibile fundamentum* unum vel alterum offensum esse vidimus. De qua re haec habentur in relatione, quae cum ipso schemate inter Patres distributa [4] est: „Animadvertitur, loco ‚visibile fundamentum' dicendum esse ‚praecipuum fundamentum'. Sed iuxta verba Christi Domini Matth. 16. ex maiorum interpretatione et Ecclesiae sensu constanter dictum illud est, hoc inauditum. Quod vero attinet ad sententiam sive Scripturae sive Patrum, aedificatos nos esse super

[1] Relatio etc. C. V. 311 d. [2] Exceptiones etc. C. V. 433 b. c.
[3] Relatio etc. C. V. 462 a. [4] C. V. 275 a.

fundamentum Apostolorum, eius declaratio habetur in altera relationis huius parte, quae versatur circa cap. quartum de Romani Pontificis infallibilitate." [1]

Quum tamen idem propositum esset in discussione speciali prooemii [2], respondit [3] Rmus Leahy in relatione de emendationibus nomine deputationis habita: „Non solum necesse est, ut sit in Ecclesia principium de se aptum et efficax ad procreandam unitatem, sed etiam ad sustentandam, ad eam conservandam et perpetuandam usque ad finem saeculi. Et quid magis inservit, quid magis necessarium, ut in unum coagmententur omnes partes aedificii, quid magis inservit vel magis necessarium est quam fundamentum? Hoc fundamentum omnino debet esse et vocari *visibile,* quia est fundamentum societatis visibilis; quia praeterea situm est in ipsa visibili persona successoris Petri: proinde hae voces ‚principium ac visibile fundamentum' sunt retinendae, ut censuerunt Patres deputationis."

COMMENTATIO II.

De Primatu soli Petro collato ac de Petri ad ceteros Apostolos ratione.

Contra eam capitis undecimi (pristini schematis de Ecclesia) sententiam, qua uni Petro summi pastoris et rectoris iurisdictio a Christo Domino tradita esse dicitur, in animadversionibus Patrum de illo capite scriptura traditis aliqua obiecta erant, quae in relatione a Patribus deputatis simul cum schemate distributa breviter refutantur [4]. Recurrit autem eadem res inter emendationes a Patribus in discussione speciali primi capitis novi schematis scripto traditas, atque unus ex Patribus ostendere studet, ubi agatur de Primatus institutione, ibi prius de apostolici muneris institutione agendum esse. „Probatio Primatus Petri", inquit ille, „ex textu apud Matth. 26, 18. 19 tunc demum solide et contra obiectiones tute conficitur, si simul exponitur, in qua relatione fundamentum Petri ad fundamenta omnium versetur Apostolorum, super quod, testante S. Paulo (Ephes. 2), aedificati sunt fideles, et quomodo Petri potestas solvendi et ligandi ad similem omnium Apostolorum potestatem (Matth. 18) se habeat. Quum eadem verba ad omnes Apostolos quoque dicta sint, vere asseri nequit, ad *unum* Petrum fuisse prolata: et quoad rem similis obiectio de fundamentis Ecclesiae exspectanda est.

„Quandoquidem decreti dogmatici forma ea esse debet, ut quasvis obiectiones et dubitationes, quantum fieri poterit, claritate et plenitudine sua excludat: conveniens, imo necessarium videtur, Apostolorum

[1] Cf. quae habentur in sequenti commentatione.
[2] Emendationes etc. C. V. 303 b. [3] Relatio etc. C. V. 308 b.
[4] C. V. 275 b. c.

quoque fundamenta et potestatem solvendi commemorare et cum summa Petri potestate conferre. Optimum utique erat, doctrinam de apostolico munere, utpote generalem, illi de Primatu praeponere, quo facto Primatus natura et vis in plena luce apparuisset. Quod quia non placuit, inserenda hic saltem commemoratio videtur in hunc vel similem modum: ‚Quamvis sancta Dei Ecclesia super fundamenta omnium Apostolorum a Christo Domino exstructa sit, omnesque a divino Redemptore alligandi et solvendi supra terram potestatem acceperint: tamen peculiari et eminenti modo super Petrum aedificata fuit. Ad eum solum enim' etc.“ [1]

Eam rem Rm̃us Bartholomaeus d'Avanzo, Episcopus Calvensis et Theanensis, qui nomine deputationis de fide relationem de emendationibus in caput primum et secundum propositis habuit, accuratissime expendit, praeclaramque eius expositionem integram [2] afferemus.

„Emendatio“, inquit, „primo aspectu gravior apparet et certe digna, quae diligenter expendatur; cumque agatur de interpretatione textus Scripturae, permittatis, rogo, ut potius legam.

„Itaque rm̃us emendator ex eadem praeconcepta idea, quod non possit tractari de Primatu nisi prius agatur de Ecclesia et praesertim de apostolico munere, admittit quidem perceleberrima illa loca Matthaei: *Tu es Petrus etc.,* et Ioannis: *Pasce oves etc.,* ideoque evidenter Petri Primatum admittit; sed addit, quod id verum sit literaliter, at quoad rem ipsam pluribus difficultatibus et dubiis locum dent, prout exprimuntur in capite primo schematis nostri, et sic ratiocinatur illm̃us et rm̃us emendator. In schemate dicitur: Uni Petro dictum est: *Quodcumque solveris etc.,* atqui etiam Apostolis Matth. 18 dictum est: *Quaecumque solveritis . . .;* uni Petro dictum est: *Tu es Petrus etc.;* atqui etiam Apostolis dictum est, quod sint fundamentum: *Aedificati super fundamentum Apostolorum . . .;* uni Petro dicitur dictum: *Pasce oves etc.,* atqui caeteris etiam Apostolis dictum est: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos; euntes docete. . .* Igitur concludit emendator: ut bene omnia cohaereant, et difficultas omnis evanescat, necessarium est, ut exponatur clare, in qua relatione (notate, haec est difficultas) sint ad invicem hae Christi promissiones ad Petrum et ad Apostolos; id quod consequi nequit, nisi de Apostolatu simul et de Primatu etiam pertractetur. En tota emendatoris et oratoris ratiocinatio, cuius robur fuisse a me imminutum nullus certe audebit asserere. Idcirco ipse proponit formulam, quae incipit: *Quamvis etc.,* in qua scilicet fit mentio tum de textu *fundamentum Apostolorum,* tum de aliis.

„Verum, Em̃i et Rm̃i Patres, ista nonnisi speciem habent difficultatis, quam inde a suo tempore in nihilum redegit Innocentius III. epistola, quae incipit *Apostolicae Sedis,* ad Patriarcham Constantinopo-

[1] Emendationes etc. C. V. 313 c. d. [2] C. V. 320 b sqq.

litanum, ubi expendens illa verba: *Tu es Petrus etc.,* inquit: ‚Petro dictum est sine aliis et non aliis sine Petro, ut intelligatur sic ei attributa potestas huiusmodi, ut aliis sine ipso esse non possit, ipsi sine aliis esse possit ex privilegio sibi collato et ex concessa sibi plenitudine potestatis.' [1] Itaque ex laudatis verbis quaedam dicta sunt Petro sine aliis Apostolis, quaedam dicta sunt Apostolis, sed non sine Petro. Quaenam sunt haec? Tria celeberrima illa testimonia: *Tu es Petrus . . . Confirma fratres . . . Pasce oves et agnos . . .* praecipua illa continent, quae dicta sunt Petro sine Apostolis, sed in praesentia Apostolorum. Quae vero emendator proponit, scilicet: *Quaecumque alligaveritis . . . Euntes docete etc.,* respiciunt ea, quae dicta sunt Apostolis, at non sine Petro. In quanam ergo relatione sunt inter se? Hoc est, quod quaerit emendator: relatio patet ex contextu.

„Siquidem quod in primo textu: *Tu es Petrus etc.,* Iesus Christus Dominus noster respiciat unum Petrum, et ex textu est evidens, et orator ad literam concedit; Apostolos enim omnes praesentes Christus adloquitur dicens: *Quem me dicunt homines?* et omnes respondent: *Alii Eliam, alii Ioannem Baptistam, alii Hieremiam.* Tunc Christus iterat: *Vos autem quem me esse dicitis?* Ceteris Apostolis silentibus Petrus respondet: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Tunc Christus statim: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* Sed tunc pergit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* (Cephas scilicet, qui hanc confessionem fecisti), *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum.* Quaeso, quibusnam clarioribus verbis poterat Christus determinare personam Petri? Illum appellat nomine nativitatis *Simon,* nomine paternitatis *Bar-Iona,* filius Ioannis, subiungit cognomen, quo ipse eum cognominaverat — *tu es Petrus,* et assignat rationem eius, quod dicturus est — *Pater revelavit tibi,* et pollicetur, se daturum ipsi Petro — *ego dabo tibi.* Quaenam ergo est relatio in hoc casu inter Christum [et] inter Petrum et Apostolos praesentes? Nulla alia literaliter potest esse prima fronte nisi illa, quae intercedit inter Christum donantem, Petrum donatarium et Apostolos testes donationis. Dixi prima fronte ad literam, sed quoad rem, ut ipse emendatoris distinctione utar, quoad rem ipsam illa relatio est inter tres, quae naturalis est, inter supremum Christum et subordinatum Petrum, et inter superiorem Petrum et subordinatos Apostolos.

[1] Cf. Migne P. L. CCXIV, 760. Textus hic est: „Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem; ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine potestatis.“

„Equidem in verbis donationis Christi Apostoli non nominantur nisi in obliquo et implicite; nomine Ecclesiae aedificandae et regni coelorum adunandi, praecipue veniunt Apostoli. Cum ergo Ecclesia aedificanda sit super petram fundamentalem Petrum; sequitur, quod relatio inter Petrum et Apostolos in hoc textu sit relatio inter fundamentum et aedificium. Fundamentum sustinet aedificium, non sustinetur, regit et non regitur; uno verbo, a fundamento aedificium absolute pendet, non viceversa. Ergo relatio Apostolorum ad Petrum quantum ad rem ipsam est relatio absolutae dependentiae.

„Idem dicendum de secundo testimonio Luc. 22: *Ecce satanas expetivit vos . . . confirma fratres tuos.* Apostolis praesentibus Christus praedicit maximam tentationem satanae contra ipsos, tum subdit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* en charisma personale Petro. Et quaenam relatio ad Apostolos? Subiungit: *Tu conversus confirma fratres tuos.* Ergo relatio Petri ad Apostolos est relatio superioris ad subordinatos, quippe absque contradictione quod minus a maiori confirmatur. Et in casu nostro est relatio magistri ad discipulos, est iterum dependentiae absolutae.

„Nec alium sensum praebent verba tertii testimonii Ioan. 21: *Pasce oves.* Praesentes erant omnes Apostoli ad litus maris. Christus expostulat a Petro triplex pignus amoris prae omnibus Apostolis praesentibus, nemine excepto; et postea confert illi supremam potestatem promissam super omnes: *Pasce oves, pasce agnos.* Ergo relatio inter Petrum et Apostolos ex hoc tertio testimonio est relatio inter pastorem et oves, hoc est omnimoda subordinatio. Quid clarius? Quid quaerit amplius emendator?

„Ergone, dicet aliquis, et dictum est, omnimoda et plena potestas erit absque ulla limitatione in Petro? Utique duplicem habet limitationem, activam unam, ut ita dicam, et alteram passivam.

„Habet activam ex parte Christi donantis, qui ait: Ego Christus Deus dabo tibi; ego rogavi pro te; pasce oves meas. Itaque tantam potestatem habet Petrus, quantam illi dedit Christus Dominus, non in destructionem, sed in aedificationem corporis Christi, quod est Ecclesia. Sed est alia limitatio passiva, si ita loqui fas est, ab ipso Christo posita ex parte Apostolorum. Christus enim ut sapiens architectus posuit Petrum fundamentalem petram, supra quam aedificaret Ecclesiam. Sed ipse idem Christus designavit aedificatores, quibus Petrus ad aedificandam Ecclesiam uteretur, hoc est, Apostolos ibi praesentes. Petrus constitutus est magister in secundo textu ad confirmandum alios; sed isti alii non debent esse nisi illi, quos ipse Christus dedit Petro fratres in Apostolatu: *Confirma fratres;* atque adeo sibimet in fratres elegerat: *Vade ad fratres meos*[1]. In tertio textu

[1] Ioan. 20, 17.

Petrus debet pascere agnos; sed isti agni non debent generari nisi per illas oves, quas Christus ipse Petro pascendas adsignabat, quas acquisiverat sibi; unde illas vocat oves meas: *Pasce oves meas.* Ergo suprema et plena potestas est in Petro, qui tamen non potest, non debet exercere eam per alios coadiutores suos nisi per Apostolos eorumque successores.

„Atque inde intelligitur, Emi ac Rmi Patres, sapientissimam esse oeconomiam Iesu Christi Domini nostri, qua, cum tradidisset plenam et supremam potestatem Petro sine aliis, ut loquitur Innocentius III.[1], postea eandem confirmat aliis, sed non sine Petro. Apostolatus ergo, et in ipso Episcopatus, immediate et iure divino est ex Christi institutione, non ad imponendum limitem, sed ad cooperandum supremae ac plenae potestati Petri in aedificationem Ecclesiae, quam Christus acquisivit sanguine suo. Atque id expresse confirmatur a testimoniis illis, quae emendator opponit.

„Christus equidem ad omnes Apostolos dicit: *Euntes docete etc.;* dicit: *Qui non crediderit, condemnabitur;* quibus verbis et Petrum et ceteros Apostolos instituit pastores et doctores super omnes gentes. Sed haec dicta narrantur Matthaei capite ultimo, versiculo ultimo, et ut subiungit S. Marcus, post haec dicta *illis videntibus elevatus est in coelum.* Ergo antequam contitueret pastores et doctores Apostolos non sine Petro, iam dixerat: *Pasce oves, pasce agnos;* adeoque antequam designaret pastores et doctores, iam constituerat Petrum pastorem pastorum, doctorem doctorum, ut scilicet capite constituto non solum schismatis, sed et erroris tolleretur occasio.

„Eandem argumentationem suppeditat aliud Matthaei: *Quaecumque solveritis, erunt soluta.* Iam antea dixerat Petro: *Quodcumque solveris etc.,* ad quae necessario verba illa sunt referenda, ut possint intelligi. Atque hic rogo vos, Emi ac Rmi Patres, ut magis magisque benevolentiam vestram indulgeatis, si in re tanti momenti, in qua cardo praecipue vertitur difficultatis, diutius aliquantulum attentionem vestram distineo.

„Iesus Christus Dominus noster in celebri illo testimonio Matthaei 16 duplici methaphora utitur, petrae scilicet fundamentalis et clavium: *Tu es Petrus,* et: *tibi dabo claves.* Utrique metaphorae occasionem dabat ipse Simon Ioannis; primae metaphorae de petra propter cognomen suum Petrus, secundae vero metaphorae clavium propter suam confessionem, dicens: *Tu es Christus.* Attendite Patres. Equidem quaenam est etymologia nominis Christi? Audiatur Lactantius: ‚Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis et regni: sic enim Iudaei reges suos appellabant. Siquidem sicut nunc', inquit Lactantius, ‚Romanis indumentum purpurae insigne est regiae digni-

[1] Cit. epist. *Apostolicae Sedis.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tatis adsumptae, sic Iudaeis unctio sacra nomen ac potestatem habet regiam. Verum quoniam Graeci', prosequitur Lactantius, ‚χρίεσθαι dicebant ungi, ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus.'[1] Idipsum dixerat iam multo ante S. Iustinus.

„Christus igitur idem est ac rex; et reapse si qui conceptus exhibetur frequentius in utriusque foederis Scriptura, est certe titulus regis, a propheta Balaam usque ad Danielem, et etiam in Novo Testamento, in quo angelus ad Mariam a regia potestate exorditur: *Et regnabit in domo David in aeternum*[2]. Et Ioannes in Apocalypsi: *Rex regum et Dominus dominantium*[3]. Petrus ergo dicens: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, professus est divinitatem non modo, sed regiam Christi potestatem; quare Christus respondet: Si ergo ego, Christus scilicet, rex sum, ego dabo tibi claves regni mei, et tu eris regni mei claviger, ianitor. Claves autem regiae potestatis erant insignia apud Hebraeos, quorum reges ferebant clavim super humerum, unde celebre illud Isaiae: *Parvulus natus est nobis, et puer datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius*[4], hoc est: sunt claves in signum regiae potestatis.

„Atque in eadem metaphora perseverans Christus subiungit: *Quodcumque solveris, erit solutum.* Non enim haec est tertia metaphora, ut vulgo dicitur etiam apud graves commentatores, non est haec tertia metaphora, qua usus est, quia locum non habuisset; est eadem metaphora, quae prosequitur. Nam apud Hebraeos, ut bene norunt antiquitatis hebraicae periti, claves non claudebant vel aperiebant seras portarum immittendo vel emittendo transversam ferri laminam, ut apud nos, sed vel in nodum volvebant vel enodabant aliquem funiculum, qui in parte interiori portarum in hunc finem et modum erat concinnatus. Unde solvere funiculum idem erat ac aperire, innodare funiculum idem erat ac claudere. Verba Christi ergo idem sonant ac illa Isaiae: *Dabo tibi claves David; aperies et nemo claudet, claudes et nemo aperiet*[5].

„Age vero, et a verbis Christi apud Matth. cap. 16 transeamus ad verba Christi apud Matth. cap. 18, in quibus adloquitur Petrum cum ceteris Apostolis. Christus ad omnes dicit: *Quaecumque solveritis, erunt soluta.* Iam vero haec metaphora solutionis et ligaminis inusitata erat Christo, qui alias semper dicit: *Remittuntur tibi peccata . . . Remitto tibi peccata . . . Quorum remiseritis peccata.* Nullibi nisi in hisce duobus testimoniis adhibet metaphoram solvendi et ligandi. Non potuisset itaque haec metaphora ab Apostolis intelligi, nisi praecessisset illa promissio: *Tibi dabo claves*, ad Petrum. Sine illa enim po-

[1] Divin. Institut. lib. IV. n. 7. — S. Iustin. Apolog. II. p. 92. edit. maurin. [Migne P. L. VI, 464 sq.]
[2] Luc. 1, 32. [3] Apoc. 19, 16. [4] Is. 9, 6. [5] Is. 22, 22.

tuissent Petrus et Apostoli respondere Christo: Quomodo solvemus sine clavibus? da prius claves ad solvendum. Attamen neque Petrus neque Apostoli, alias semper difficiles ad intelligendum, aliquam difficultatem hic proponunt. Imo Petrus tanquam ad se dicta illa verba accipiens, statim requirit, quoties hac potestate solvendi posset uti erga fratrem suum, *usque septies?* Et Christus: *septuagies septies.* Nimirum intellexit Petrus, se quidem habere claves ad solvendum in bonum Ecclesiae ex promissione Christi, sed quum impossibile sit, ut ipse personaliter per se et immediate in toto orbe potestatem clavium adhiberet, ex institutione Christi intellexit [se] nonnisi per confratres suos Apostolos tanquam per ianitores sibi subordinatos illa potestate uti debere. Apostoli ergo solvunt, sed ope clavium, quae datae sunt Petro. Ergo haec duo testimonia opposita sensum literalem non infirmant, sed magis magisque confirmant omnimodam et absolutam dependentiam Apostolorum a Petro.

„Restat et tertium testimonium, super quo emendatio etiam innititur, et de quo tantopere gloriari audivimus heri ex hoc ambone illm̃um et rm̃um unum oratorem: *Aedificati super fundamentum Apostolorum.* Et imprimis, quoniam rm̃us orator heri tantam nubem testium ex Patribus citavit, ut hoc probaret de Apostolis dictum, imprimis licitum sit quaerere, cur omiserit explicationem S. Anselmi. S. Anselmus enim post alios ita ratiocinatur: ‚Ex Apostolo fundamentum aliud nemo potest ponere, nisi quod positum est, quod est Christus Iesus. Quoniam haec propositio est negativa, dicendum est, quod nunquam aliud fundamentum licitum est ponere, ac proinde etiam fundamentum Apostolorum est Christus Iesus. Ipse enim est lapis angularis in fundamento fundatus, unde subiungit Apostolus ὅντος etc., cum ipse Christus sit lapis angularis.' Hac posita explicatione S. Anselmi et aliorum, iam videtis, quod ipsi Apostoli indigent, et quod Christus solummodo sit fundamentum etiam Apostolorum; ac proinde ad rem non facit.

„Sed quoniam communior interpretatio illa est, ut fundamentum afficiat ipsos Apostolos, prosequor, et quidem licitum sit scholastice distinguere. Igitur quod Apostoli sint fundamentum, respondeo cum distinctione: sunt fundamentum in fide et praedicatione — *concedo;* sunt fundamentum in regimine Ecclesiae — *nego.*

„Certe Apostolus nomen *fundamentum* hic accipit pro doctrina et praedicatione: semper Apostolus cum agit de fundamento in sensu metaphorico, intelligit praedicationem et doctrinam. Quare ad Romanos dicit, se non praedicasse in locis, in quibus Iesus Christus praedicatus fuerat, ne super alienum fundamentum, h. e. super alienam praedicationem, aedificaret. Ad Ephesios vero multo magis. Quinam enim sensus est sensus Apostoli? Dixerat Apostolus, quod Ephesii erant hospites testamentorum, h. e. externi a pactis Dei cum Iudaeis; nunc

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem dicit: *Estis cives sanctorum et domestici,* h. e. in domo Dei, ubi sunt Patriarchae et Prophetae, omnes fideles et Angeli: *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* h. e., ut explicat S. Ambrosius, super Novum et Vetus Testamentum: quod enim Apostoli praedicant, Prophetae futurum praedixerunt. Loquitur ergo Apostolus de Ecclesia quoad substantiam fidei, in qua omnes fideles tum in statu, ut aiunt, naturae, tum in statu legis scriptae, tum in statu legis evangelicae sunt; et idcirco dicit *superaedificati:* sicut Hebraei fuerunt superaedificati in prima domo, quae fuit Ecclesia sub forma patriarchali; ita et nos aedificamur super domum Ecclesiae sub forma iudaici regiminis. Unde idem Apostolus ad Hebraeos inquit: *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, ad Ecclesiam primitivorum et multorum Angelorum frequentiam*[1].

„Igitur et Apostoli sicut et Prophetae sunt fundamentum quoad praedicationem fidei.

„Atque hoc ipsum confirmat, non infirmat testimonium Apocalypseos; nam in Apocalypsi dicitur quidem, quod murus habet duodecim fundamenta: sed, Emi ac Rmi Patres, rogo, ut consulamus ipsum textum. Ita incipit caput 21: *Vidi coelum novum et terram novam. Primum enim coelum, et prima terra abiit, et mare iam non est.* Iam videtur, quod hic Ioannes loquitur de tempore post diem iudicii, ac proinde subiungit: *Et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de coelo a Deo,* scilicet est Ecclesia triumphans in coelis, unde subiungit: *Et templum non vidi in ea, Dominus enim omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas sole non eget, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus. . . Et portae eius non claudentur.* Igitur ex contextu evidens est, quod Apostolus loquatur de Ecclesia triumphanti in coelis, hoc est de coelesti Ierusalem, et ita eam describit: *Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim; et in portis Angelos duodecim, et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.*

„Igitur Apostoli sunt fundamentum muri civitatis Ierusalem, sicut Patriarchae sunt portae civitatis Ierusalem, et Angeli sunt custodes civitatis Ierusalem. Ista civitas ex Apostolo Ioanne constat tum ex fidelibus Veteris Testamenti, qui crediderunt in Christum venturum, tum ex fidelibus Novi Testamenti, qui crediderunt in Christum, qui iam venit, tum etiam ex Angelis, qui sunt *administratorii spiritus, omnes in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis*[2]. Unde S. Thomas dicit: Mysterium Incarnationis est generale quoddam principium, ad quod respiciunt omnes et Angelorum et hominum

[1] Hebr. 12, 22—23. [2] Hebr. 1, 14.

actus. Quare Ecclesia ista coelestis constat ex Angelis et fidelibus, ut (verba sunt S. Augustini) fiat una virtus sub uno rege. Igitur videtis, quod heic fundamentum Apostolorum significat praedicationem et fidem. Et certe si duodecim sunt fundamenta, et Petrus est etiam fundamentum, ecquis est ianitor? et si sunt duodecim portae et sunt duodecim Angeli, ergo Petrus amisit claves in hac civitate Ierusalem, de qua loquitur Ioannes. Absolute illa interpretatio vera est, quae concludit, civitatem, de qua loquitur Ioannes, esse Ecclesiam triumphantem in coelis. Iam vero, Rmi Patres, numquid Apostoli habent iurisdictionem in coelis, ubi ipse Christus subiecit se Patri, ut sit Dominus unus in omnibus? Igitur, Rmi Patres, concludamus, quod τὸ *fundamentum* heic respicit tantum fidem et praedicationem; et proinde sive hoc sive alio testimonio nihil potest probari, nisi quod fides ad nos venit per medium Apostolorum: unde quod dictum est Petro sine illis, dictum est illis cum Petro, ut scilicet omnes sciant, Ecclesiam esse apostolicam.

„Et haec est ultima observatio ad rmum emendatorem, qui dicit: videtis, quomodo Ecclesia sit apostolica; quia nonnisi per Apostolos potestatem clavium exercet Petrus; et institutio Apostolatus, quatenus est ordinarius, non dependet a voluntate Petri nec a voluntate Papae, sed est divinae institutionis. Cum igitur transacta fuerit etiam haec tertia forma externi regiminis Ecclesiae, tunc demum ex tribus Ecclesiae militantis formis surget una Ecclesia, quae cum Angelis erit Ecclesia triumphans in coelis, ubi non adest templum, ubi lucerna eius est tantummodo Agnus, ubi et Prophetae et Apostoli et Patriarchae laudant Dominum. Concludamus ergo, quod nulla ratio sit, quare possit retineri eiusmodi emendatio. Siquidem haec testimonia opposita non sunt limitationes verborum Christi, quae scilicet Christus dixit absolute ad Petrum."

Post finitam totam relationem suffragia lata sunt, atque proposita emendatio, quam rmus relator recipi posse negavit, fere ab omnibus reiecta est[1].

COMMENTATIO III.

Num vi Constitutionis primae de Ecclesia tenendum sit, Primatum in totam Ecclesiam cum sede Romana iure divino atque immutabiliter connexum esse.

Capite primo et altero Constitutionis primae de Ecclesia definitur, ipsum Christum in Petro Primatum instituisse atque id quidem ita, ut perpetuo maneret. Docetur autem praeterea in capite secundo, eum, qui succedat Petro in sede Romana, secundum Christi ipsius institutionem Petri in Primatu esse successorem. Itaque viden-

[1] Relatio etc. C. V. 330 b.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem dicit: *Estis cives sanctorum et domestici,* h. e. in domo Dei, ubi sunt Patriarchae et Prophetae, omnes fideles et Angeli: *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* h. e., ut explicat S. Ambrosius, super Novum et Vetus Testamentum: quod enim Apostoli praedicant, Prophetae futurum praedixerunt. Loquitur ergo Apostolus de Ecclesia quoad substantiam fidei, in qua omnes fideles tum in statu, ut aiunt, naturae, tum in statu legis scriptae, tum in statu legis evangelicae sunt; et idcirco dicit *superaedificati:* sicut Hebraei fuerunt superaedificati in prima domo, quae fuit Ecclesia sub forma patriarchali; ita et nos aedificamur super domum Ecclesiae sub forma iudaici regiminis. Unde idem Apostolus ad Hebraeos inquit: *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, ad Ecclesiam primitivorum et multorum Angelorum frequentiam*[1].

„Igitur et Apostoli sicut et Prophetae sunt fundamentum quoad praedicationem fidei.

„Atque hoc ipsum confirmat, non infirmat testimonium Apocalypseos; nam in Apocalypsi dicitur quidem, quod murus habet duodecim fundamenta: sed, Emi ac Rmi Patres, rogo, ut consulamus ipsum textum. Ita incipit caput 21: *Vidi coelum novum et terram novam. Primum enim coelum, et prima terra abiit, et mare iam non est.* Iam videtur, quod hic Ioannes loquitur de tempore post diem iudicii, ac proinde subiungit: *Et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de coelo a Deo,* scilicet est Ecclesia triumphans in coelis, unde subiungit: *Et templum non vidi in ea, Dominus enim omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas sole non eget, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus. . . Et portae eius non claudentur.* Igitur ex contextu evidens est, quod Apostolus loquatur de Ecclesia triumphanti in coelis, hoc est de coelesti Ierusalem, et ita eam describit: *Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim; et in portis Angelos duodecim, et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.*

„Igitur Apostoli sunt fundamentum muri civitatis Ierusalem, sicut Patriarchae sunt portae civitatis Ierusalem, et Angeli sunt custodes civitatis Ierusalem. Ista civitas ex Apostolo Ioanne constat tum ex fidelibus Veteris Testamenti, qui crediderunt in Christum venturum, tum ex fidelibus Novi Testamenti, qui crediderunt in Christum, qui iam venit, tum etiam ex Angelis, qui sunt *administratorii spiritus, omnes in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis*[2]. Unde S. Thomas dicit: Mysterium Incarnationis est generale quoddam principium, ad quod respiciunt omnes et Angelorum et hominum

[1] Hebr. 12, 22—23. [2] Hebr. 1, 14.

actus. Quare Ecclesia ista coelestis constat ex Angelis et fidelibus, ut (verba sunt S. Augustini) fiat una virtus sub uno rege. Igitur videtis, quod heic fundamentum Apostolorum significat praedicationem et fidem. Et certe si duodecim sunt fundamenta, et Petrus est etiam fundamentum, ecquis est ianitor? et si sunt duodecim portae et sunt duodecim Angeli, ergo Petrus amisit claves in hac civitate Ierusalem, de qua loquitur Ioannes. Absolute illa interpretatio vera est, quae concludit, civitatem, de qua loquitur Ioannes, esse Ecclesiam triumphantem in coelis. Iam vero, Rmi Patres, numquid Apostoli habent iurisdictionem in coelis, ubi ipse Christus subiecit se Patri, ut sit Dominus unus in omnibus? Igitur, Rmi Patres, concludamus, quod τὸ *fundamentum* heic respicit tantum fidem et praedicationem; et proinde sive hoc sive alio testimonio nihil potest probari, nisi quod fides ad nos venit per medium Apostolorum: unde quod dictum est Petro sine illis, dictum est illis cum Petro, ut scilicet omnes sciant, Ecclesiam esse apostolicam.

„Et haec est ultima observatio ad rmum emendatorem, qui dicit: videtis, quomodo Ecclesia sit apostolica; quia nonnisi per Apostolos potestatem clavium exercet Petrus; et institutio Apostolatus, quatenus est ordinarius, non dependet a voluntate Petri nec a voluntate Papae, sed est divinae institutionis. Cum igitur transacta fuerit etiam haec tertia forma externi regiminis Ecclesiae, tunc demum ex tribus Ecclesiae militantis formis surget una Ecclesia, quae cum Angelis erit Ecclesia triumphans in coelis, ubi non adest templum, ubi lucerna eius est tantummodo Agnus, ubi et Prophetae et Apostoli et Patriarchae laudant Dominum. Concludamus ergo, quod nulla ratio sit, quare possit retineri eiusmodi emendatio. Siquidem haec testimonia opposita non sunt limitationes verborum Christi, quae scilicet Christus dixit absolute ad Petrum."

Post finitam totam relationem suffragia lata sunt, atque proposita emendatio, quam rmus relator recipi posse negavit, fere ab omnibus reiecta est[1].

COMMENTATIO III.

Num vi Constitutionis primae de Ecclesia tenendum sit, Primatum in totam Ecclesiam cum sede Romana iure divino atque immutabiliter connexum esse.

Capite primo et altero Constitutionis primae de Ecclesia definitur, ipsum Christum in Petro Primatum instituisse atque id quidem ita, ut perpetuo maneret. Docetur autem praeterea in capite secundo, eum, qui succedat Petro in sede Romana, secundum Christi ipsius institutionem Petri in Primatu esse successorem. Itaque viden-

[1] Relatio etc. C. V. 330 b.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dum est, num quid hoc capite contineatur de quaestione, utrum connexio inter Primatum et sedem Romanam iuris divini sit an humani, cum qua cohaeret altera quaestio, utrum Primatus a sede Romana ad aliam transferri possit necne.

In ea re theologi inter se non consentiunt. Dominicus Soto (IV. Dist. 24. q. 2. a. 5.) separationem Ecclesiae auctoritate fieri posse defendit; eius opinionem Gregorius de Valentia (Analysis fidei l. VII. c. 12.) putat singularem esse nec satis tutam; Suaresius (Contra regem Angl. l. III. c. 19.) rem decidere dubitat[1]. Inter theologos, qui de ea re post habitum Concilium Vaticanum egerunt, Palmieri[2] connexionem Primatus cum Romana sede solvi non posse et iuris divini esse censet. Franzelin[3] eam iuris humani quidem sed inseparabilem esse docet. Petrum ipsum ait Primatum Romanae sedi adnexuisse, sed tali supernaturali assistentia et directione ductum, ut eum ne ipse quidem a sede Romana solvere potuerit, „*non quidem ex defectu potestatis per se et absolute spectatae,* sed ex privilegio indefectibilitatis apostolicae in sequenda divina directione, praesertim quoad huiusmodi magnas totam Ecclesiam eiusque ipsum visibile fundamentum concernentes institutiones, quantumvis supponantur non immediate divini sed apostolici dumtaxat iuris. Pro successoribus autem Petri, *quidquid sit de potestate per se et abstracte considerata,* rem spectando in concreto cum omnibus suis adiunctis, unio . . . multo magis incommutabilis iuris censeri debet“[4]. Quae quidem doctrina nobis non placet. Si enim in Ecclesia potestas exstat unionem illam solvendi, haec unio incommutabilis iuris censeri non potest; nec solum valide, sed etiam licite solvitur, si quando temporum circumstantiae, ut solvatur, suadeant, quae quidem circumstantiae nunquam fortasse erunt; esse tamen absolute impossibile, ut unquam sint, non video, quomodo probetur. Sed hoc loco non tam quaerimus, utrum unio illa solvi possit necne, quam utrum haec unio a Deo facta et propterea iuris divini, an a Petro facta et propterea iuris humani dicenda sit. Quae quidem quaestio cum altera quaestione, utrum pro suprema Ecclesiae potestate insolubilis sit, necne, plane converti videtur. Etenim haec unio, si a Deo facta est, divini iuris est nec humanae potestati subiecta; sin a Petro, humani iuris est et a Petro eiusque successoribus, qui totam Petri potestatem haereditate acceperunt, tolli potest. Porro nobis in animo non est, in omnia, quae in utramque partem afferri possunt, argumenta inquirere; ad nostrum institutum sola spectat quaestio, num quid de illa re in Constitutione prima de Ecclesia contineatur.

[1] V. horum aliorumque de hac re opiniones apud *Franzelin,* Theses de Ecclesia Christi p. 202 sqq.

[2] Tractatus de Romano Pontifice p. 343 sqq.

[3] Theses etc. p. 210 sqq. [4] L. c. p. 212.

Iam Cardinalem Franzelin vidimus negare, unionem illam iuris divini esse. Is igitur, qui unus e praecipuis Vaticani Concilii theologis in eius Constitutionibus dogmaticis elaborandis multum occupabatur, non censuit, Constitutionem primam de Ecclesia quidquam continere, quo doceatur vel unde concludi possit, unionem illam esse iuris divini.

Aliter iudicavit Palmieri. Ne is quidem unionem iuris divini esse, in Constitutione prima de Ecclesia *formaliter* enuntiari dicit; sed putat, hanc doctrinam, ut ex Concilii Florentini, ita etiam ex Vaticani definitione deduci posse. Dicit enim, ab his Conciliis definiri, Romanum Pontificem esse Petri successorem et Primatem Ecclesiae. Quod autem a Concilio oecumenico definiatur, id semper et in omnibus circumstantiis verum esse. Usque ad consummationem saeculorum igitur verum fore, Romanum Pontificem Primatum Ecclesiae obtinere. Iam rationem aliam huius incommutabilis unionis Primatus cum Romana sede esse non posse, nisi quod divini iuris sit et humanae potestati subtracta. Concludit igitur, saltem eatenus unionem illam divini iuris esse, quatenus Christus, etiamsi Petro electionem sedis, cum qua coniungendus sit Primatus, permiserit, electionem sedis Romanae speciali modo ratam habuerit. Imo probabile esse dicit, ipsum Christum Romanam sedem elegisse Petrumque illuc direxisse[1].

Quod argumentum nobis probari non posse videtur. Potest enim aliquid a Concilio definiri, quod, quum pendeat ab institutione seu facto mutabili, non necessario semper verum manet. Neque enim v. g. video, cur definiri non possit, Leonem XIII. esse Summum Pontificem et Petri successorem; revera inter articulos, de quibus Wicleff et Huss interrogandi erant, continebatur (art. XXIV.) quaestio: „Item, utrum credat, quod Papa canonice electus, *qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso,* sit successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei.“ Exemplum conciliaris definitionis, qua definitur, quod mutari potest, est canon 9. Sessionis 13. Concilii Tridentini: „Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, iuxta praeceptum s. matris Ecclesiae, anathema sit.“ Id negari potuit ante latam de paschali communione legem et negari poterit, si abrogatur vel mutatur lex sive pro tota Ecclesia sive pro aliqua eius parte. Itaque definitione, qua is, qui in Cathedra Romana Petro succedat, Primatum eius in universam Ecclesiam obtinere dicitur, nihil continetur neque de incommutabilitate connexionis Primatus cum Romana sede, neque de auctore eius, utrum is sc. sit ipse Christus an primus eius vicarius. Examinanda igitur definitio est, et videndum, num quid aliis eius verbis de ea re doceatur.

[1] Palmieri, Tractatus de Romano Pontifice p. 336 sqq.

BIBLIOTECA

Canone nihil de hac re continetur. Si ea forma retenta esset, qua primo propositus est, periculum fuisset, ne diceretur asserere *divinum* connexionis Primatus cum Romana sede ius. Sed quum, ut videbimus, forma eius propter id ipsum mutata sit, ne hanc doctrinam continere videretur, ipsa canonis historia argumento est, Concilium eam doctrinam definire noluisse.

Capitis verba, quae huc spectant, haec sunt: „. . . saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus . . . a Domino nostro Iesu Christo . . . claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis sanctae Romanae sedis ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet. Unde, quicunque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet."

Hoc loco, praesertim ultimis verbis, videri possit doctrina enuntiari, Primatum cum Romana sede Christi ipsius institutione connexum esse. Dicitur enim is, qui episcopalem Petri sedem Romae obtinet, „secundum Christi ipsius institutionem" Primatum Petri obtinere. Quare ad respondentem locum schematis pristini de Ecclesia, ex quo nostra Constitutio desumpta est, animadvertunt Patres in observationibus de eo factis, „distinguendum esse inter ius, quo Petrus generatim habet successores, quodque est ex institutione divina; et inter ius, quo Petrus habet successores nominatim in sede Romana, quodque ex facto Petri repetitur". Volunt igitur mutari locum. Sed Patres deputationis, licet concedant, recte discrimen illud statui, tamen pristini schematis verba retinent. Discrimen illud dicunt indicari „1. tum verbis ‚Romanae sedis ab ipso (sc. Petro, non a Christo) fundatae'; 2. tum verbis ‚quicunque in hac Cathedra succedit, is . . .', quibus successio ‚in hac cathedra' distinguitur a iure, quo Primatus in universam Ecclesiam obtinetur" [1].

Quae de hoc loco et canone respondente a Patribus disputata sunt, accuratius infra referemus. Ad ipsa huius loci verba melius intelligenda hic solum addimus, distinguendum esse inter legem perennitatis Primatus Petri, quae est ipsius Christi lex, et conditionem successionis. Conditio implenda, ut aliquis Petro in Primatu succedat, est haec, ut ei succedat in Episcopatu Romano. Quaeritur, utrum etiam haec successionis conditio a Christo, an a solo Petro ortum ducat. Verbis, de quibus agimus, „quicunque in hac [Romana] Cathedra succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri obtinet", non indicatur, conditionem illam ipsius Christi institutione positam esse. Etenim, etiamsi sola lex successionis divina est, conditio autem successionis humanae originis, is, qui conditionem im-

[1] Relatio etc. C. V. 276a.

plevit, lege seu institutione divina seu iure divino Petro succedere recte dicitur, id quod Palmieri [1] hoc exemplo illustrat: „Fac ferri legem, quod qui in studiis magis profecerit, munere quodam donetur. Titius ceteris antecellit munusque obtinet. Quo iure? Iure legis. At lex Titium non respicit, sed in genere digniorem. Profecto: sed posita conditione, quae in solo Titio reperitur, illud ius, quod lex digniori concedebat, totum penes Titium eumque solum exsistit. Iam vero lata est lex divina: Petro in Primatu succedere quis semper debet, sive aliquis semper Primatum collatum primo B. Petro gerere debet; quis vero ex tot, qui possent, actu succedat, determinatum est facto originali Petri; conditioni proinde satisfacit solus Romanus Episcopus: illud ergo divinum ius successionis in Romano Episcopo eoque solo reperitur."

Alia verba loci supra ex capite altero Constitutionis citati, quibus exprimi videri possit, connexionem Primatus cum Romana sede insolubilem esse et ad divinam legem referendam, sunt haec: „qui [Petrus] ad hoc usque tempus et *semper* in suis successoribus, *Episcopis sanctae Romanae sedis* ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet". Dixerit enim quispiam, propterea solum sedis Romanae Episcopos dici posse *semper* fore successores Petri in Primatu, quia connexio Primatus cum sede Romana perpetuo insolubilis agnoscatur et a Christo Domino ipso facta.

Sed ut alia, quae moneri possent, omittamus, illud „semper" negamus licere ita premere, ut Concilium Vaticanum enuntiasse dicatur, coniunctionem Primatus cum sede Romana ad finem saeculorum usque permansuram esse. Habet enim illa vox etiam latiorem sensum, ut sententia illa explicari possit ita: Petrus in suis successoribus, Romanis Episcopis, ad hoc usque tempus vixit et *nunc etiam vivere pergit*, ut „semper" fere idem sit ac „continenter" vel „perseveranter". Quam explicationem ut sequamur, iam movemur tempore praesentis, quo usurpantur verba „vivit et praesidet et iudicium exercet". Accedit, quod sententia in pristino schemate, ex quo desumpta est, ita conformata est, ut vox „semper" aliter explicari nequeat. Eam sententiam statim referemus. Tandem profecto Concilium, si voluisset definire, connexionem Primatus cum sede Romana ad consummationem saeculorum permansuram esse, id claris et apertis verbis enuntiasset, quemadmodum prima sententia capitis enuntiavit, Primatum in Ecclesia, „quae fundata supra petram *ad finem saeculorum usque* firma stabit, *iugiter* durare".

Ipsis igitur capitis verbis non enuntiatur, Primatum cum Romana sede ab ipso Christo immutabiliter connexum esse. Patres autem

[1] Tractatus de Romano Pontifice p. 334.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Concilii Vaticani de ea re nihil in Constitutionem recipere voluisse, praeclarissime eius historia probatur, quam accurate iam persequamur.

In capite undecimo pristini schematis de Ecclesia doctrina, quae in capite altero Constitutionis proponitur, hisce enuntiatur: „. . . B. Petrus suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Semper enim in suis successoribus, Episcopis sanctae Romanae sedis, ab ipso primum fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet, ita ut, quicunque in hac Cathedra Petro succedit, is iuxta Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtineat.“ [1] Ad hanc sententiam, quae fere tota in Constitutionem conciliariter approbatam recepta est, theologi haec adnotant: „His continetur successionis in Petri Primatu *conditio;* licet enim Petrus sui Primatus successores habeat iure divino pendente a voluntate Christi institutoris, qui perpetuae successionis legem tulit, attamen ipsos successores esse Romanos nominatim Episcopos, pendet a Primatus cum Romano Episcopatu coniunctione facta per Petrum, quo facto continetur successionis perpetuae conditio.“ [2] Licet igitur, qui schema composuerunt, dicant, eum, qui in Cathedra Romana Petro succedat, *iuxta Christi ipsius institutionem* Primatum in universam Ecclesiam obtinere, tamen dicere nolunt, ipsam Primatus cum Romana sede coniunctionem ipsius Christi opus seu iuris divini esse, imo eam ad Petrum referunt. Illa verba Patres deputati in schemate, quod Congregationi generali proponunt, retinent. Itaque ne in hoc quidem schemate sententia continetur, connexionem Primatus cum Romana sede iuris divini esse. Locus huius schematis, de quo agitur, est hic: „. . . beatissimus Petrus . . ., qui a Domino nostro . . . claves regni accepit, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis s. Romanae sedis ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet: ita ut, quicunque in hac Cathedra Petro succedit, is iuxta Christi institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtineat.“ [3] Sed redeamus ad pristinum illud schema.

Canon XV. hic erat: „Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, ut B. Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut *Romanum Pontificem non esse iure divino Petri in eodem Primatu successorem,* anathema sit.“ [4]

Quum theologi, ut modo ex adnotatione theologorum capiti undecimo addita intelleximus, doctrinam in schema recipere nollent, connexionem Primatus cum Romana sede iuris divini esse, eam doctrinam ne hoc quidem canone expressam esse dicamus oportet. Atque revera Romanus Pontifex iure divino Primatum Petri obtinere, ut supra explicavimus, dici potest, etiamsi connexio Primatus cum Romana sede iuris humani est, propterea sc., quia ipsa perpetuitas Primatus divini iuris est. Hic tamen canon, si mutatus non esset, facile ita explicari potuisset, ut divinum ius connexionis illius asserere diceretur. Quum enim priori eius parte iam sermo esset de perpetuitate Primatus a Christo instituta, altera *praeterea* dicitur Romanus Pontifex hunc Primatum *iure divino* obtinere. Instantibus igitur Patribus mutatus est canon, atque haec ipsa mutatio iam argumento est, Patres ius divinum connexionis illius asserere noluisse.

[1] Schema etc. C. V. 571 c. [2] Ibid. C. V. 613 c.
[3] Schema etc. C. V. 270 d sq. [4] Schema etc. C. V. 578 d.

Atque inter ipsas observationes, quas Patres de pristino schemate scriptas tradiderunt, aliquae circa canonem XV. et locum respondentem capitis undecimi, quem supra citavimus, versantur, quibus cavere volunt, ne ius divinum connexionis Primatus cum Romana sede videatur enuntiari [1]. Deputati tamen Patres, quum schema reformarent, verba capitis et canonem retinuerunt [2] iisque divinum illius connexionis ius exprimi negarunt. Quid Patribus in relatione cum schemate reformato iis tradita responderint, vidimus supra [3]. Clarius respondet

[1] Duodeviginti animadvertunt ad caput XI.: „Non satis apparet, utrum *de iure divino* Primatus ita adnexus sit Romanae sedi, ut in nullius potestate sit, eum in aliam sedem transferendi. Hinc melius: ‚Ita, ut Romanus Pontifex Petro in Episcopatu succedens Petri ipsius Primatum in universam Ecclesiam Romae divina ordinatione constitutum consequatur et in suos successores transmittat‘.“ (Synopsis analytica observationum n. 12.) In canonem XV. haec observantur: „Certum est, illum, qui Romae sedet, esse successorem Petri in Primatu, et quidem iure divino; sed non ita certum est, verum successorem Petri in iure divino, perpetuo sedem Romae habiturum; de quo nulla exstat divina promissio. Quare hanc partem ita emendandam proponit: ‚Si quis dixerit, Romanum Pontificem, qui successor est sedis Petri, non esse iure divino Petri in eodem Primatu successorem, a. s.‘ Ubi fit distinctio inter sedem Petri et sedem Romanam. Priori ex *iure divino,* alteri *ex facto* tribuitur Primatus.“ (Synopsis n. 72.) — Alius proponit canonem hac forma: „S. q. d., non esse . . . perpetuos successores, aut Romanum Pontificem, utpote Petri in eodem Primatu successorem, eisdem ac Petrum Primatus praerogativis super universam Ecclesiam iure divino non gaudere, a. s.“ (Synopsis n. 73.) — „Alii Rmo Patri in canone XV. pars altera immutanda videtur et alterutra ex sequentibus formulis substituenda: ‚aut Romanum Pontificem B. Petro in Romano Episcopatu succedentem eidem iure divino in eodem Primatu non succedere‘, vel: ‚aut Romanum Pontificem non esse legitimum B. Petri successorem, ideoque iure divino non habere Primatum in Ecclesia‘. Huius vero additionis ratio est, quia duo concurrere debuerunt, ut Romanus Pontifex sit B. Petri successor in Primatu, primo voluntas Christi conferentis Primatum B. Petro, secundo factum B. Petri, quo elegit sibi Romanam sedem. Ex his duobus primum constituit vere ius divinum, secundum vero non ita, sed fuit *conditio perpetuae successionis.*“ (Synopsis n. 87.)

[2] Schema etc. C. V. 270 d sq. 273 d sq. [3] P. 140.

Rm̃us Pie, Episc. Pictaviensis, in relatione, quam nomine deputationis de toto schemate ante discussionem generalem habuit. „In successoribus B. Petri, qui sunt Romani Pontifices," inquit, „ubique duo distingui debent. Ex iure divino, sc. ex institutione Christi, pendet perpetuae successionis lex, qua ratum divinitus est, ut Petrus semper debeat habere successores. Ex facto autem Petri, qui sedem ac cathedram suam apostolicam, mirabili Christi dispensatione, ut ait Gelasius Papa, et disponente Domino, ut ait Lateranense II., ex facto Petri, inquam, qui sedem ac Cathedram suam apostolicam in Urbe locavit et suo sanguine consecravit, pendet, quod illa successio in sede Romana locum habeat, ita ut successor B. Petri nominatim, vel, ut aiunt, reduplicative, sit Romanus Episcopus; et hoc quidem exsistit ex iure illo humano, quod melius tamen et verius ius ecclesiastico-apostolicum nominatur. — Attamen non tantum textus capitis, sed ipsiusmet canonis visus est servandus prout iacebat. E duabus enim propositionibus fide definitis procedit, scilicet ex prima illa propositione fide certa, nempe, Primatum S. Petri in aliquo suo successore et haerede continuari: et ex secunda illa propositione, ‚ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, principis Apostolorum', quae verbotenus, et non per incisum, sed directe a Concilio Florentino decreta ac definita est: et hoc quidem *intelligitur de Romano Pontifice ut historice, et de facto habetur in Ecclesia* absque ulla interruptione ab initio temporis, *relictis quaestionibus et hypothesibus in schola plus minusve libere agitatis, quoad perpetuitatem urbis Romae et coniunctionem Primatus cum sede Romana.*" [1].

Itaque verba capitis et canonis retenta sunt. Sed Patres non acquieverunt. Unus ex iis in discussione speciali hanc proposuit emendationem alterius partis canonis: „aut Romanum Pontificem Petri successorem eius Primatum in Ecclesia non tenere, a. s." [2]. Voluit igitur illud „iure divino" omitti. Respondet Rm̃us Zinelli, Episc. Tarvisinus, deputationis relator: „Quamvis dubitari non possit, quod Petrus ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Urbem, ut ait Innocentius III. in libro II.[3], et in Urbe sedem suam fixerit, in qua Dominus, ut ait idem Innocentius III., praeviderat martyrio coronandum; attamen deputatio, cum canonem proposuit, non intelligebat propositionem supradicto asserto oppositam [Petrum ipsum sua sponte Romam elegisse] hic et nunc configere; sed tantum illos, qui posito facto Petri, ex quo Episcopi Romani sunt successores Petri, non iure divino ut tales esse ipsius etiam in Primatu successores asserent. Sicut autem, si relinquantur verba ‚iure divino', ut stant nunc in textu, posset aliquid ambigui subesse, et hic posset videri configi

[1] Relatio etc. C. V. 293 b. c. [2] Emendationes etc. C. V. 345 b.
[3] Lib. II. reg., ep. 209. Migne P. L. CCXIV, 761.

assertum eorum, qui factum Petri tantum humanum fuisse dicunt (et haec non erat intentio deputationis); sic acceptat emendationem iuxta modum, ut phrasis ‚divino iure' deleatur in secunda parte et addatur primae, nempe post verba ‚ipsius Iesu Christi Domini institutione' addatur ‚seu iure divino'; et iuxta hunc modum deputatio de fide emendationem acceptat." [1] Emendatione unanimiter admissa [2] canon ea forma conceptus est [3], qua exstat in Constitutione conciliariter tandem approbata; eius forma ipsa talis est, ut pateat, Patres noluisse dicere, coniunctionem Primatus cum Romana sede iuris divini esse, quum priori parte expresse enuntietur, B. Petrum iure divino in Primatu successores habere, deinde altera simpliciter addatur, Romanos Episcopos eius esse successores.

Sed mutato canone, unus ex Patribus etiam mutari voluit verba capitis: „Unde, quicunque in hac Cathedra Petro succedit, is iuxta Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet." Id proponebat, quum de tota Constitutione suffragia ferrentur. „Praedictis verbis", inquit [4], „videtur prorsus definiri quaestio, quo *iure Romanus Pontifex succedat in Primatu*, quam consulto statutum est intactam relinquere; et quidem definiretur adoptando unam ex illis, quae ea de re exstant sententiae. Sat quidem notum est, sententias illas ad tres recenseri. *Prima* tenet, Petrum ex iussione Christi iunxisse Primatum sedi Romanae; proinde Romanum Pontificem succedere Petro in Primatu *iure divino:* atque adeo rite concludit, nec ipsum Romanum Pontificem posse seiungere Primatum ab Episcopatu Romano. Haec sententia est Melchioris Cani, Gregorii de Valentia, aliorumque gravissimorum theologorum. *Secunda* tenet, Primatum adnexum esse sedi Romanae *iure ecclesiastico:* quare cohaerenter concludit, unum ab altera iustis de causis separari posse a Summo Pontifice, qui eodem quo Petrus uniendi vel segregandi gaudet potestate. Hanc sequuntur Soto, Bañez, aliique. *Tertia* denique est eorum, qui tenent, Romanum Pontificem succedere Petro, quoad Romanam Cathedram, ex iure ecclesiastico; et quoad Primatum, ex iure divino. Posteriorem propositionis partem ita exponunt, nempe: quoniam Petrus ipse Primatum divinitus ei collatum ac successoribus transmittendum, ad unitatem Ecclesiae perpetuo servandam, cum Romano Episcopatu simul gessit, quasi unum alteri ita inseruit, atque inoculavit, ut unus idemque esset et Episcopus Romanus et universae Ecclesiae Primas, et ipsa Ecclesiae unitas in Romano Episcopo quasi personificaretur, ideoque Episcopatum Romanum habendum esse solum uti conditionem ad successionem in Primatu: ita ut hoc ipso, quod quis in Episcopatu Petro succedit, et in Primatu simul divino

[1] Relatio etc. C. V. 364 d sqq. [2] Ibid. C. V. 368 b.
[3] C. V. 428 b. [4] Exceptiones etc. C. V. 435 d sqq.

iure succedat[1]. Ex hoc facto Petri inferunt, Primatum et Episcopatum Romanum inseparabiles omnino evasisse. Hanc sententiam ex aliis theologis collegit exponitque cl. Perronius. De harum sententiarum merito non est hic disserendi locus; quamvis illarum prima mihi magis arrideat, utpote quae firmior et magis sibi cohaerens est; attamen nec ista nec alia uti doctrina catholica definiri valet. Omnes theologorum sententiae sunt, et ex istis nullam seligere statutum est.

„Sed e contra factum esse videtur, cum in schemate reformato praedicta tertia sententia, quoad ipsa quoque verba, praecise retenta sit. Quod apprime patebit ex sequenti collatione textus huius capitis et adnotationis 31. prioris schematis *De Ecclesia*[2] (cui Rmi deputationis Patres in relatione de schemate informato p. 7. se remittunt[3]) cum expositione praedictae tertiae sententiae, facta a Perronio in Praelectionibus theologicis Prop. 3. Edit. Mediol. 1857. p. 485 sq.:

Textus capitis secundi schematis.

‚Unde quicunque in hac Cathedra Petro succedit, is iuxta Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.‘

Textus adnotationis 31. prioris schematis.

‚His continetur *successionis* in Petri Primatu conditio; licet enim Petrus sui Primatus *successores* habeat iure divino, pendente a voluntate Christi institutoris, qui perpetuae successionis legem tulit: attamen ipsos successores esse Romanos nominatim Episcopos, pendet a Primatus cum Romano Episcopatu coniunctione facta per Petrum: quo facto continetur successionis perpetuae conditio; idemque factum, utpote penitissime cohaerens cum iis, quae de Romanorum Pontificum Primatu catholica fide tenemus, factum dogmaticum est,

Textus Perronii.

‚Romani Pontifices, Petri in Episcopatu Romano successores, illius Primatum iure divino obtinuerunt, non autem humana, sive ecclesiastica politica dispositione.‘

Textus Perronii loc. cit. pagina dicta.

‚N. 571. Uti ex ipsa propositionis enuntiatione liquet, apprime secerni debet in Romanis Pontificibus eorum successio in Romanum Petri Episcopatum, seu Romanam Petri sedem et Cathedram, a successione in eius Primatum. Successio enim in Petri Episcopatum iuris ecclesiastici est, successio vero in illius Primatum est iuris plane divini. Successio in Petri sedem uti conditio solum se tenet ad successionem in eius Primatum, qui cum ex Christi institutione, quod ostendimus, perpetuus in Ecclesia sit, et alligatus personae Petri, fit, ideoque certum non tantum certitudine simpliciter humana ac historica, sed infallibilitatis.‘

ut, qui Petro in Episcopatu succedit, hoc ipso in eius Primatum ex Christi dispositione succedat.‘

[1] Sententia haec est: Christus Petro ipsi reliquit, in qua urbe sedem episcopalem conderet, cuius ipse esset Episcopus, ita tamen, ut vellet, cum hac sede, quam Petrus electurus esset, Primatum immutabiliter ad consummationem saeculorum usque coniunctum esse.

[2] C. V. 613 c. [3] C. V. 276 a.

„Haec conformitas capitis secundi in schemate cum praedicta tertia theologorum sententia deprehenditur etiam ex pristino canone, qui nunc reformatus apparet. Ut ille iacebat, damnabat veluti haeresim sententiam negantem, Romanum Pontificem succedere Petro in Primatu *iure divino*. At si canones damnant sententias oppositas doctrinae catholicae, quae docetur in capitibus praecedentibus, sequitur, quod in verbis: *Unde quicunque in hac Cathedra Petro succedit, iuxta Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet* (quae in priori schemate legebantur aeque ac in reformato), successio Romani Pontificis in Primatu *ex iure divino* et intendebatur et exprimebatur. At canon reformatus est, silendo de iure, quo Romanus Pontifex succedat in Primatu; congruenter ergo aliter informanda est etiam praevia doctrina.

„Nec subsumi valet, quod schema capitis loquatur de facto actuali, cuius vi Romanus Pontifex revera obtinet Primatum *iure divino*, verba enim: *quicunque . . . succedit . . . in Cathedra . . .* obtinet Primatum *iuxta Christi institutionem*, non innuunt simplex factum, sed rationem potius, qua successor in Cathedra succedat et in Primatu, quae ratio aperte dicitur esse *Christi institutio*, hoc est *ius divinum*.

„Demum locutio isthaec ad minimum aequivoca esset, et ideo omnino vitanda: tum relate ad catholicos, qui in fidei doctrina aperte docendi sunt, tum relate ad heterodoxos, ne Concilium aut deceptorem aut deceptum fuisse blasphement.

„Sequenti igitur modo schema reformari optarem: Pro verbis *Unde quicunque* etc. usque ad *obtinet*, dicerem: *‚Unde quicunque in hac Cathedra sedet, is tanquam successor Petri in Primatu, ipsum Petri Primatum in universam Ecclesiam iure divino obtinet.‘*“

Respondet[1] Episcopus Calvensis, deputationis relator: „Hic rmus proponens reapse scrupulis, et, ut videtur, merito agitatus est, ne videretur una ex tribus sententiis catholicis praeiudicari. Permittatis ergo rogo, ut breviter statum quaestionis exponam. Igitur successio ad beatum Petrum duo respicit, successionem in Cathedram et successionem in Primatum. Iure divino (et est dogma fidei) statutum est, ut, qui succedit Petro in Cathedra, sit successor in Primatu. At constat ex testimoniis novemdecim saeculorum, quod Petrus mortuus sit Romae; et quoniam non succeditur, nisi cedenti de loco, ut perbelle loquitur Bellarminus[2], sequitur per consequens, quod Episcopus Romanus succedat in Primatu.

[1] Relatio etc. C. V. 464 d sqq. [2] De Rom. Pontifice lib. II. cap. 12.

„At quaerunt theologi: Episcopus Romanus succedit Petro ex iure divino vel ex iure ecclesiastico vel ex iure mixto? Certum est, quod id proveniat ex facto Petri. Igitur prima sententia est eorum, qui dicunt, Petrus Antiochiam reliquit et Romam venit ex expresso mandato Iesu Christi Domini nostri, ac proinde ex iure divino Episcopus Romanus succedit Petro. Ita Melchior Canus[1] et quos ipse citat. Alii e contrario dicunt, quod Petrus ex suo arbitrio Romam venit, ac proinde sicuti pro suo arbitrio Petrus Romam venit, ita pro suo arbitrio quilibet Romanus Pontifex, qui habet eandem auctoritatem Primatus, potest e Roma proficisci ad aliam civitatem. Quare dicunt isti, et est secunda sententia, quod Romanus Pontifex succedat Petro ex iure ecclesiastico. Alia sententia est, ut ita dicam, media, quae sententia dicit, quod ex facto Petri evenit, ut Romanus Episcopus succedat Petro; sed hoc factum erat conditio sine qua non, et ut semel posita hac conditione, nullus unquam amplius Romanorum Pontificum possit hoc factum mutare: ac proinde est aliquo sensu de iure ecclesiastico, aliquo sensu de iure divino.

„His positis, rm̃us et doctissimus emendator proponens exceptionem observat, quod verba textus nostri iam approbati potius videntur favere tertiae sententiae. Atqui, ipse dicit, textus non debet favere ulli sententiae. Iam primum observo, quod ex his tribus sententiis vel prima est admittenda (et ipse rm̃us proponens dicit, se primam tenere) vel tertia; secunda enim iam hodie amplius sustineri non potest. Memineritis enim, quod professor in universitate Taurinensi nomine Nuytz, inter cetera commenta, hoc etiam dixit, scilicet quod nihil vetat, quod ex decreto Concilii oecumenici vel, quod magis lepidum est, ex consensu omnium populorum Cathedra Petri e Roma ad aliam partem transferatur. Haec propositio, quae est nona numero damnata in Nuytz, fuit damnata per Sm̃um Dominum Papam in sua epistola, quae incipit *Ad Apostolicae Sedis*[2], et licet damnaverit in globo, certe damnat omnes propositiones sub gravissimis censuris, illas dicens haereticas, subversivas etc.; et est propositio XXXV. in Syllabo. Itaque hodie sustineri nullo pacto potest secunda sententia, qua dicitur, id esse ex mero iure ecclesiastico, adeo ut per consensum Concilii oecumenici possit Romana sedes ab hac alma Urbe ad aliam civitatem transferri. Igitur cum textus aliquid deberet dicere, vel ad primam vel ad tertiam sententiam debebat confugere.

„Si dixisset de prima sententia, quod scilicet iure divino Episcopus Romanus succedit, iam nihil novi dixisset. Nam Innocentius III. agens de Primatu Romanae sedis in sua epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum, expressis verbis haec habet[3]: ‚Qui (Petrus) licet

[1] De locis theol. lib. VI. cap. 8. ad 10. [2] Vid. acta Pii IX. p. I. vol. I. p. 285. [3] Cf. Migne P. L. CCXIV, 761.

postmodum ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Urbem, non tamen concessum sibi Primatum deseruit‘; et deinceps meminit illam antiquissimam traditionem, quod scilicet Petrus tempore persecutionis Neronis cum e Roma excederet, occurrit illi Iesus Christus Dominus noster; unde miratus Petrus dixit: *Magister, quo vadis?* et respondit Iesus Christus: *Venio Romam iterum crucifigi:* id quod fuit monitorium pro S. Petro; unde reversus Romam, ibi crucifixus fuit. Iam, quaeso, si in capite nostro verba Innocentii inserta fuissent, quaenam obiectio iusta fieri potuisset? At non dicimus, quod sit ex revelatione divina et quod sit ex expresso monito Domini nostri Iesu Christi. Si igitur, ut ipse supponit, verba textus potius favent tertiae sententiae, minus dicunt, quam potuissemus dicere.

„Ceterum monemus proponentem, quod reapse textus nulli ex sententiis neque favet neque nocet, quia textus sic se habet: ‚Unde quicunque in hac Cathedra Romana Petro succedit, is iuxta Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.‘ Offenditur illm̃us proponens ex eo, quod illud *ipsius institutione* referatur tam ad successionem in Cathedra, quam ad successionem in Primatu. Sed attente legenti haec aequivocatio stare non potest; dicitur enim, quod quicunque succedit, quomodocunque succedat, sive de iure divino in prima sententia, sive de iure ecclesiastico in secunda sententia, sive de iure mixto in tertia sententia, quomodocunque succedat, is iuxta Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.

„Itaque iure divino Romanus Pontifex dici debet succedere in Petri Primatu, id quod reapse definitur in canone. Atque in hoc deputatio observavit, quod reapse redactio canonis, uti erat primo, forsitan potuisset praebere aliquod dubium; sed iuxta emendationem ipsius Rm̃i Patris ablatum fuit illud ‚iure divino‘. Cum itaque et ipse consenserit, ut in canone nihil dicatur, quidquid dicatur in capite, non officit ulli sententiae. Sed ceterum ista sententia: Qui succedit in Episcopatu, ex iure divino succedit in Primatu, non est convertibilis in hanc: ergo qui succedit iure divino in Primatu, etiam succedit iure divino in Episcopatu, in Cathedra; ac proinde nullus scrupulus debet remanere huic rm̃o proponenti.“

Remansit igitur textus, quem iam patet nulli ex tribus illis sententiis oppositum esse.

Rm̃o Episcopo Calvensi tamen in omnibus, quae in relatione exposuit, assentiri non possumus. Altera ex tribus illis sententiis non videtur nobis in Syllabo Pii IX. damnata. Propositio XXXV. Syllabi haec est: „Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto Summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.“ In hac propositione Ioannis Nuytz, quae iam damnata erat Literis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Apostolicis „Ad Apostolicae Sedis“, ex quibus ad verbum desumpta est, Concilium generale intelligitur Concilium sine Papa, atque propositio nititur doctrina Richeri plane haeretica, claves Primatus non immediate Petro, sed Ecclesiae traditas esse, ita ut Ecclesia, quum claves Petro et Romanis Pontificibus dederit, eas etiam iis subtrahere et alii tradere possit[1]. Qua damnata haeresi certe non damnatur secunda illa sententia, ipsum Summum Pontificem vel Concilium oecumenicum cum Papa Primatum ad aliam sedem transferre posse.

COMMENTATIO IV.

Concilii Florentini de vi ac ratione Primatus definitio in tertium caput Constitutionis primae de Ecclesia recepta.

Concilii Florentini definitio de Primatu recepta iam erat in pristinum schema de Ecclesia. Erat, ut aiebant theologi, „cur ad Florentinam definitionem nominatim appellaretur; nam praeter alias superius significatas rationes sua auctoritate et exemplo quingenti fere Episcopi praeibant, qui anno 1867 ex toto orbe terrarum in Urbe collecti ita ad Sm̃um D. N. locuti sunt: ‚Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto unionis definierunt: Romanum Pontificem Christi Vicarium, totius Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem exsistere‘“[2]. Antea inter decreta de Primatus vi ac ratione exstantia sibi maxime Florentinam formulam commemorandam esse dixerant, „quum praestet gravitate ac definitionum amplitudine, et Graecorum quoque consensione fuerit recepta“[3].

Theologis autem placebat, inciso „omnium christianorum patrem et doctorem“ addere *„et iudicem supremum“* ex Pii VI. Brevi „Super soliditate“ 28. Nov. 1786, in quo Eybelii liber propterea etiam damnatur, quod „fanaticam esse vocem“ dixit, Romanum Pontificem „vicarium esse Christi, caput Ecclesiae visibile, *iudicem supremum fidelium*“. Porro ab allatis Florentini decreti verbis excluserunt haec postrema *„quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur“*; „quoniam ea“, ut aiunt, „cum prioribus non iunguntur uti pars vel obiectum definitionis, sed uti definitionis praecedentis motivum, quod vocant, vel ratio confirmationis. Licet enim, ut notum est, gallicanorum quique iansenianas et regalistarum opiniones sectantur, plures non defuerint, qui verba illa ad praestitutum definitionis obiectum trahentes affirmarent, iisdem plenam Primatus potestatem limitari atque sacris Synodorum canonibus obnoxiam declarari: compertum tamen omnibus est, sententiam istam, quae certis rationum momentis tum criticis, e latina originali lectione ‚quemad-

[1] Cf. Franzelin, Theses de Ecclesia Christi p. 215 sqq.
[2] Schema etc. C. V. 614a. b. [3] Ibid. C. V. 613d.

modum etiam‘ depromptis, cum hermeneuticis, iisque partim grammaticis, partim logicis, partim historicis, et partim theologicis, refellitur, reprobatam semper fuisse communi iudicio theologorum atque interpretum, per quos verba illa accipienda sunt non de iuridica praecedentium limitatione sive de definitionis obiecto, sed de historica praecedentium confirmatione sive de definitionis ratione, cuiusmodi recurrit in generali Concilio Lateranensi V. de auctoritate Romani Pontificis super Concilia. . . Porro in schematis capite ad Concilii Florentini definitionem, ut par est, appellatur, non vero ad rationem, qua definitio innititur vel confirmatur. Non erat ergo incisum illud afferendum.“[1]

Fuerunt autem inter Patres, qui definitionem Florentini Concilii integram atque immutatam recipiendam esse censerent. Quare Patres deputati, quum schema emendarent seu schema Constitutionis primae de Ecclesia elaborarent, verba „et iudicem supremum“ omiserunt et conclusionem „quemadmodum etiam etc.“ addiderunt[2]. De conclusione hac in ea relatione, quam de toto schemate nomine deputationis habuit, haec animadvertit Rm̃us Episc. Pictaviensis: „Certe, si in priori proposito schemate aliqua ultima verba omissa fuerant, ideo erat, quia a pluribus in malam partem versa fuerant. Et hac forsan ratione moti, quingenti Episcopi in alma Urbe ob solemnia saecularia martyrii sanctorum Apostolorum tribus abhinc annis congregati idem oraculum Florentinum in medium protulerunt, quin clausulae illius praetermissione suspicionem ac iniuriam falsificationis aut reprehendendae mutilationis sibi inurendam pertimescerent. Nihilominus, in hocce conciliari decreto libentissime fateor nequaquam subtrahi debuisse hanc ipsam clausulam, eo magis quod iuxta authenticum exemplar a Vaticano Concilio citatum et consecratum nullatenus de praecedentium limitatione, sed imo iuxta genuinum sensum suum de historica praecedentium explicatione et confirmatione cunctis intelligenda patebit.“[3]

In speciali discussione capitis tertii tamen aliqui Patres sensum formulae restrictivum esse contenderunt. Unus id probari ait Concilii Florentini historia et verbis textus Graeci „καθ' ὃν τρόπον“. Quare vult addi: „salvis iuribus, quae concessione, consuetudine, concordatibus aut alio aequo titulo quibusdam dioecesibus inhaerent“[4]. Alius contra, ne verba perperam sensu restrictivo explicentur, addi vult:

[1] Schema etc. C. V. 613d sq. — Döllinger contendit, lectionem genuinam textus latini non esse „quemadmodum etiam“, sed „quemadmodum et“. V. eius epistolam C. V. 1475b. c. Eum praeclare refutat Cecconi. V. C. V. 1480b sqq.
[2] Ex actis etc. C. V. 1680a. — Schema etc. C. V. 271b. — Relatio etc. C. V. 276b.
[3] Relatio etc. C. V. 294d sq. [4] Emendationes etc. C. V. 334a.

Apostolicis „Ad Apostolicae Sedis“, ex quibus ad verbum desumpta est, Concilium generale intelligitur Concilium sine Papa, atque propositio nititur doctrina Richeri plane haeretica, claves Primatus non immediate Petro, sed Ecclesiae traditas esse, ita ut Ecclesia, quum claves Petro et Romanis Pontificibus dederit, eas etiam iis subtrahere et alii tradere possit[1]. Qua damnata haeresi certe non damnatur secunda illa sententia, ipsum Summum Pontificem vel Concilium oecumenicum cum Papa Primatum ad aliam sedem transferre posse.

COMMENTATIO IV.

Concilii Florentini de vi ac ratione Primatus definitio in tertium caput Constitutionis primae de Ecclesia recepta.

Concilii Florentini definitio de Primatu recepta iam erat in pristinum schema de Ecclesia. Erat, ut aiebant theologi, „cur ad Florentinam definitionem nominatim appellaretur; nam praeter alias superius significatas rationes sua auctoritate et exemplo quingenti fere Episcopi praeibant, qui anno 1867 ex toto orbe terrarum in Urbe collecti ita ad Sm̃um D. N. locuti sunt: ‚Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto unionis definierunt: Romanum Pontificem Christi Vicarium, totius Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem exsistere‘“[2]. Antea inter decreta de Primatus vi ac ratione exstantia sibi maxime Florentinam formulam commemorandam esse dixerant, „quum praestet gravitate ac definitionum amplitudine, et Graecorum quoque consensione fuerit recepta“[3].

Theologis autem placebat, inciso „omnium christianorum patrem et doctorem“ addere *„et iudicem supremum“* ex Pii VI. Brevi „Super soliditate“ 28. Nov. 1786, in quo Eybelii liber propterea etiam damnatur, quod „fanaticam esse vocem“ dixit, Romanum Pontificem „vicarium esse Christi, caput Ecclesiae visibile, *iudicem supremum fidelium*“. Porro ab allatis Florentini decreti verbis excluserunt haec postrema *„quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur“*; „quoniam ea“, ut aiunt, „cum prioribus non iunguntur uti pars vel obiectum definitionis, sed uti definitionis praecedentis motivum, quod vocant, vel ratio confirmationis. Licet enim, ut notum est, gallicanorum quique iansenianas et regalistarum opiniones sectantur, plures non defuerint, qui verba illa ad praestitutum definitionis obiectum trahentes affirmarent, iisdem plenam Primatus potestatem limitari atque sacris Synodorum canonibus obnoxiam declarari: compertum tamen omnibus est, sententiam istam, quae certis rationum momentis tum criticis, e latina originali lectione ‚quemad-

[1] Cf. Franzelin, Theses de Ecclesia Christi p. 215 sqq.
[2] Schema etc. C. V. 614a. b. [3] Ibid. C. V. 613d.

modum etiam‘ depromptis, cum hermeneuticis, iisque partim grammaticis, partim logicis, partim historicis, et partim theologicis, refellitur, reprobatam semper fuisse communi iudicio theologorum atque interpretum, per quos verba illa accipienda sunt non de iuridica praecedentium limitatione sive de definitionis obiecto, sed de historica praecedentium confirmatione sive de definitionis ratione, cuiusmodi recurrit in generali Concilio Lateranensi V. de auctoritate Romani Pontificis super Concilia. . . Porro in schematis capite ad Concilii Florentini definitionem, ut par est, appellatur, non vero ad rationem, qua definitio innititur vel confirmatur. Non erat ergo incisum illud afferendum.“[1]

Fuerunt autem inter Patres, qui definitionem Florentini Concilii integram atque immutatam recipiendam esse censerent. Quare Patres deputati, quum schema emendarent seu schema Constitutionis primae de Ecclesia elaborarent, verba „et iudicem supremum“ omiserunt et conclusionem „quemadmodum etiam etc.“ addiderunt[2]. De conclusione hac in ea relatione, quam de toto schemate nomine deputationis habuit, haec animadvertit Rm̃us Episc. Pictaviensis: „Certe, si in priori proposito schemate aliqua ultima verba omissa fuerant, ideo erat, quia a pluribus in malam partem versa fuerant. Et hac forsan ratione moti, quingenti Episcopi in alma Urbe ob solemnia saecularia martyrii sanctorum Apostolorum tribus abhinc annis congregati idem oraculum Florentinum in medium protulerunt, quin clausulae illius praetermissione suspicionem ac iniuriam falsificationis aut reprehendendae mutilationis sibi inurendam pertimescerent. Nihilominus, in hocce conciliari decreto libentissime fateor nequaquam subtrahi debuisse hanc ipsam clausulam, eo magis quod iuxta authenticum exemplar a Vaticano Concilio citatum et consecratum nullatenus de praecedentium limitatione, sed imo iuxta genuinum sensum suum de historica praecedentium explicatione et confirmatione cunctis intelligenda patebit.“[3]

In speciali discussione capitis tertii tamen aliqui Patres sensum formulae restrictivum esse contenderunt. Unus id probari ait Concilii Florentini historia et verbis textus Graeci „καθ' ὃν τρόπον“. Quare vult addi: „salvis iuribus, quae concessione, consuetudine, concordatibus aut alio aequo titulo quibusdam dioecesibus inhaerent“[4]. Alius contra, ne verba perperam sensu restrictivo explicentur, addi vult:

[1] Schema etc. C. V. 613d sq. — Döllinger contendit, lectionem genuinam textus latini non esse „quemadmodum etiam“, sed „quemadmodum et“. V. eius epistolam C. V. 1475b. c. Eum praeclare refutat Cecconi. V. C. V. 1480b sqq.
[2] Ex actis etc. C. V. 1680a. — Schema etc. C. V. 271b. — Relatio etc. C. V. 276b.
[3] Relatio etc. C. V. 294d sq. [4] Emendationes etc. C. V. 334a.

„quae quidem postrema verba ita esse intelligenda declaramus, ut, quae in hoc decreto continentur, etiam per gesta Conciliorum oecumenicorum et sacros canones asserantur“ [1]. Tertius quidam nihil proponit, sed textum non quidem latinum, sed graecum sensu restrictivo accipiendum esse probare studet. „In una praeteritarum Congregationum generalium“, inquit, „dignissimus quidam Praesul non brevi oratione conabatur demonstrare, verba illa esse confirmatoria potestatis Summi Pontificis ex eo, quod ea, uti passim noscuntur, ita reperiantur scripta in exemplari originali authentico latino textu exhibito, Florentiae asservato.

„Etsi libenter concedatur, illa verba in decreto lingua latina concinnato ita reperiri, prouti assertum est, non tamen ideo necessario consequi debet, verba illa eodem sensu occurrere in textu graeco originali aeque ac authentico, in quo passus ille exprimitur verbis: ‚καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται‘.

„Nam quum illud decretum Unionis fuerit conditum per pactum duarum partium, praesertim quoad controversa puncta potestatis hierarchicae, Latini ex sua parte proposuerunt id, quod a Graecis de Primatu Summi Pontificis agnosci et teneri desiderarent, et quum iuxta proverbium sit ‚optimus interpres verborum quisque suorum‘, pro Latinis quoad sua postulata ipsos esse optimos interpretes sensus decreti secundum ipsorum intentionem de potestate Summi Pontificis concinnati, ac proin ipsorum textum quoad hanc partem decreti esse authenticum concedi potest.

„E contra vero Graecos ex allata causa esse interpretes intentionis suae decreto illo expressae, et ipsorum textum esse authenticum quoad partem decreti, quae illorum declarationem et postulata respicit, quorum genuinum sensum verba graeca superius citata apprime exprimerent, addubitari non posset. Nam illi debent naturaliter supponi et scivisse optime sua sensa et expressisse genuine sua postulata. Haec videntur confirmari etiam per ea, quae leguntur in actis Concilii Florentini Romae anno 1865 editis p. 265 his verbis: ‚Respondit Imperator, spatium velle sibi dari ad consultandum, statimque post egressos Cardinales nos consilium inivimus decrevimusque, ut Papa habeat sua privilegia secundum canones et dicta Sanctorum, Sacramque Scripturam et acta Synodorum‘.“ [2] Est ergo ea mira sane huius Patris opinio, Latinos et Graecos sententiam illam diverso sensu intellexisse atque alios aliud definivisse.

Rm̃us Zinelli, Episc. Tarvisinus, qui de emendationibus in caput tertium a Patribus propositis relationem habuit, primo illi emendatori

[1] Emendationes etc. C. V. 334 b. c.

[2] Ibid. C. V. 336 a sqq. — Idem Pater ordinem sedium patriarchalium ex Florentino decreto in Vaticanum recipi vult. Ibid. C. V. 334 d sqq.

respondit, clausulam sensu restrictivo sumi non posse, quasi Concilium Florentinum prius definierit, esse traditam plenam potestatem a Christo Petro, deinde in membro immediate sequenti Concilium ipsum nimis amplam suam declarationem correxerit et remedium praebuerit, negans, Petro Christum dedisse plenam potestatem, sed tantum in determinata mensura, eo modo quo in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. Evidens est, hanc clausulae interpretationem repugnare contextui et dignitati Concilii oecumenici; ideo nec historiam nec phrasim graecam suffragari huic interpretationi restrictivae, ut toties demonstratum est auctoritate etiam codicum authenticorum, qui nuperrime inspecti sunt. Ipsa versio armena, quamvis a graeco textu derivata, non favet sensui restrictivo. Nulla igitur adest ratio emendationis propositae, quae ceteroquin, quum ad leges disciplinares pertineat, hic ubi agitur de constitutione dogmatica, locum habere non potest; ac proinde deputatio de fide emendationem hanc non admittit.“ [1]

Neque alterius Patris emendationem admittendam censuit deputatio. Huic, ut ait relator, „visum est, ex contextu totius capitis tam clare apparere sensum clausulae . . ., ut non necessarium additamentum iudicet [2].

Tertio Patri respondit, non posse eius orationis rationem haberi, quum nihil proponat [3].

In suffragiis ferendis fere omnes Patres tres has emendationes reiecerunt [4]. Censuerunt igitur, conclusione praecedentia non restringi, sed confirmari.

Itaque Concilium Vaticanum, licet formulam Florentini non directe interpretetur, controversiam, quae de eius sensu exstitit, etiam authentice dirimit. Quaestio enim, utrum illud „καί“ in formula Florentini vertendum sit „et“ an „etiam“, ad eandem formulam, ut est in Vaticano, transferri non potest. In hac formula, ut a Vaticano Concilio sancita est, certo legitur „quemadmodum *etiam*“ etc., ita ut his verbis antecedentia dici debeant confirmari, non restringi. Sed declarat Vaticanum, quod hac formula contineatur, id vi definitionis Concilii Florentini credendum esse omnibus fidelibus. Ergo docet etiam, verba illa, ut sunt in Florentino, tanquam confirmantia intelligenda esse, neque restrictionem, qualem aliqui illis exprimi volunt, admitti posse.

Ceterum sensum eorum non esse restrictivum, bene etiam ex contextu ostendit Tarvisinus. Florentinum enim, postquam definivit, Summo Pontifici plenam potestatem traditam esse, certe, quod dixit, non statim correxit „negans, Petro Christum dedisse plenam potesta-

[1] Relatio etc. C. V. 348 c. d. [2] Ibid. C. V. 349 b. c.
[3] Ibid. C. V. 349 d. [4] Ibid. C. V. 367 d.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem, sed tantum in determinata mensura, eo modo, quo in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur“ [1].

Multo magis similis explicatio a Concilio Vaticano excluditur, quod in canone condemnat sententiam, Romanum Pontificem „habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem . . . supremae potestatis“ iurisdictionis in universam Ecclesiam.

COMMENTATIO V.

Quo iure et quo sensu Summi Pontificis potestas dicatur episcopalis.

In capite tertio Constitutionis primae de Ecclesia, quo de vi et ratione Primatus agitur, Summi Pontificis potestas dicitur „vere episcopalis“ esse.

Ea vox in pristino schemate deerat[2]. In adnotationibus tamen, quae eius capiti undecimo et canoni quinto decimo adiectae sunt, doctrina dicitur proponi propter errores, quibus potestas Summi Pontificis vere episcopalis esse negetur, Febronii sc., Tamburinii [3], M. A. de Dominis, qui doceant, „potestatem Primatus absolvi munere sive officio merae *inspectionis* vel *directionis*“; eam „non esse *plenam* neque *supremam* potestatem pastoralis sive *episcopalis iurisdictionis* in universam Ecclesiam“; eam non esse *ordinariam*, „quum sit pro casibus tantum extraordinariis, ut aiunt, non ad greges pascendos, sed ad ordinis turbati tutelam; alii vero ordinariam eam esse concedentes ac inter pastores exercendam, negant, illam *immediatam* esse in singulos greges et fideles ad eosdem sc. docendos ac pascendos, quum Primatus potestas *episcopalis* non sit“ [4].

Iam, quum schema a Patribus deputationis pro rebus fidei reformaretur, quaerebatur, utrum potestas pontificia etiam in ipso schemate designanda esset episcopalis. Primo dissensio orta est, ita quidem, ut tredecim deputati hanc vocem recipiendam esse negarent, sex eam recipi vellent. Audito autem theologo ac suffragiis denuo latis vox recepta est [5]. „Potestas,“ aiunt deputati in relatione cum schemate tradita [6], „quae a Christo Domino collata beato Petro fuit apud Ioannem (21, 15 sqq.), est potestas pascendi agnos et oves; et talis potestas dicitur et est *episcopalis*. Porro . . . eadem potestas directe immediateque ita collata Petro fuit, ut eam haberet vi impositi officii pastoralis in universum gregem, qui totus ipsi citra aliud medium fuit

[1] Relatio etc. C. V. 348 c. Cf. 369 b. [2] C. V. 571 c.

[3] Petrus Tamburini (natus 1757; mortuus 1827). Eius loco aliqui falso huc retulerunt Thomam Tamburini S. I., moralistam († 1675).

[4] Schema etc. C. V. 635 b sqq. Cf. 614 b. c.

[5] Ex actis etc. C. V. 1681 b. — Ex diurnis etc. C. V. 1699 b. — Schema etc. C. V. 271 b.

[6] C. V. 276 b. c.

commissum. Est ergo potestas universalis et ordinaria et immediata in totum gregem, hoc est, in omnes agnos et oves, seu in omnes particularium ecclesiarum pastores et fideles. Hinc liquet, potestatem supremam pascendi universum Christi gregem in Romano Pontifice vere esse episcopalem, non autem primatialem; quo enim haec phrasis spectet, exponitur in adnotatione ad hunc locum in schemate de Ecclesia Christi.“ [1] „Veniam dent unus aut alter Rm̃i Patres,“ inquit Rm̃us Pie in relatione de toto schemate habita [2], „si vox illa *potestas iurisdictionis episcopalis*, quae Pontifici Romano asserta in adnotationibus praecedentis schematis minus placuerat, in textum ipsum schematis revisi fuerit inducta. Ratio est, tum quia postularunt illud plurimi alii Patres, de statu actuali controversiae in suis respectivis provinciis solide ac presse disserentes, tum quia auctoritatem Summi Pontificis ac Vicarii Christi in omnem Ecclesiam non dumtaxat indolem Primatus metropolitici divinitus instituti, sed naturam *pastoralis* et ideo *episcopalis* iurisdictionis prae se ferre, sive ex ipsismet verbis Christi sive e traditione et historia certissima doctrina evincitur. Quod quidem pleno ore asseri ac proclamari gavisi sumus a non uno etiam ex Rm̃is Patribus, qui aliis huiusce propositae Constitutionis partibus non ita faverunt. Et reapse vox illa etiam apud nostrates, v. g. apud Gersonium, hoc etiam sensu iam diu fuit usurpata.“ Aliqui autem Patres in discussione speciali capitis vocem tolli volebant [3]. Unus ex iis breviter: „Vox *episcopalis*“, inquit, „utpote inaudita, pravis et periculosis interpretationibus favens, omnino eradatur.“ [4] Eam tamen retinendam esse censuit deputatio [5]. In relatione eius nomine habita Rm̃us Episc. Tarvisinus de illis emendationibus haec disserit [6]: „Quaeritur igitur, quae sit iurisdictio episcopalis. Episcopi est pascere gregem: nulla enim magis familiaris idea regiminis episcopalis in sacris Literis, in Patrum operibus, in usu omnium christianorum, quam repraesentare Episcopum veluti pastorem, qui pascit gregem. Pascit autem Episcopus tam exercitio potestatis ordinis quam iurisdictionis. Nam exercitium potestatis ordinis nonnisi in subditos potest licite habere locum. Episcopi igitur iurisdictio ad ea peragenda se extendit, quae necessaria sunt, ut fideles vitam aeternam consequantur; ac proinde debet Episcopus: 1. administrare sacramenta; 2. leges ferre ad bonum fidelium; 3. executioni ipsarum invigilare sive per seipsum sive per delegatos; 4. et proinde visitare dioecesim; 5. praedicare; 6. iudicare controversias; 7. punire sontes etc. Haec et similia comprehenduntur in verbo *pascere*. At haec Episcopus non potest facere nisi sub dependentia Pontificis Summi. Haec autem dependentia non est nisi limitatio iurisdictionis episcopalis.

[1] V. supra p. 154. [2] C. V. 295 b. c. [3] Emendationes etc. C. V. 337 c sqq.
[4] Emend. 15. l. c. [5] Ex actis etc. C. V. 1690 a. [6] C. V. 351 a sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem, sed tantum in determinata mensura, eo modo, quo in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur“ [1].

Multo magis similis explicatio a Concilio Vaticano excluditur, quod in canone condemnat sententiam, Romanum Pontificem „habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem . . . supremae potestatis“ iurisdictionis in universam Ecclesiam.

COMMENTATIO V.

Quo iure et quo sensu Summi Pontificis potestas dicatur episcopalis.

In capite tertio Constitutionis primae de Ecclesia, quo de vi et ratione Primatus agitur, Summi Pontificis potestas dicitur „vere episcopalis“ esse.

Ea vox in pristino schemate deerat[2]. In adnotationibus tamen, quae eius capiti undecimo et canoni quinto decimo adiectae sunt, doctrina dicitur proponi propter errores, quibus potestas Summi Pontificis vere episcopalis esse negetur, Febronii sc., Tamburinii [3], M. A. de Dominis, qui doceant, „potestatem Primatus absolvi munere sive officio merae *inspectionis* vel *directionis*“; eam „non esse *plenam* neque *supremam* potestatem pastoralis sive *episcopalis iurisdictionis* in universam Ecclesiam“; eam non esse *ordinariam*, „quum sit pro casibus tantum extraordinariis, ut aiunt, non ad greges pascendos, sed ad ordinis turbati tutelam; alii vero ordinariam eam esse concedentes ac inter pastores exercendam, negant, illam *immediatam* esse in singulos greges et fideles ad eosdem sc. docendos ac pascendos, quum Primatus potestas *episcopalis* non sit“ [4].

Iam, quum schema a Patribus deputationis pro rebus fidei reformaretur, quaerebatur, utrum potestas pontificia etiam in ipso schemate designanda esset episcopalis. Primo dissensio orta est, ita quidem, ut tredecim deputati hanc vocem recipiendam esse negarent, sex eam recipi vellent. Audito autem theologo ac suffragiis denuo latis vox recepta est [5]. „Potestas,“ aiunt deputati in relatione cum schemate tradita [6], „quae a Christo Domino collata beato Petro fuit apud Ioannem (21, 15 sqq.), est potestas pascendi agnos et oves; et talis potestas dicitur et est *episcopalis*. Porro . . . eadem potestas directe immediateque ita collata Petro fuit, ut eam haberet vi impositi officii pastoralis in universum gregem, qui totus ipsi citra aliud medium fuit

[1] Relatio etc. C. V. 348 c. Cf. 369 b. [2] C. V. 571 c.

[3] Petrus Tamburini (natus 1757; mortuus 1827). Eius loco aliqui falso huc retulerunt Thomam Tamburini S. I., moralistam († 1675).

[4] Schema etc. C. V. 635 b sqq. Cf. 614 b. c.

[5] Ex actis etc. C. V. 1681 b. — Ex diurnis etc. C. V. 1699 b. — Schema etc. C. V. 271 b.

[6] C. V. 276 b. c.

commissum. Est ergo potestas universalis et ordinaria et immediata in totum gregem, hoc est, in omnes agnos et oves, seu in omnes particularium ecclesiarum pastores et fideles. Hinc liquet, potestatem supremam pascendi universum Christi gregem in Romano Pontifice vere esse episcopalem, non autem primatialem; quo enim haec phrasis spectet, exponitur in adnotatione ad hunc locum in schemate de Ecclesia Christi.“ [1] „Veniam dent unus aut alter Rm̃i Patres,“ inquit Rm̃us Pie in relatione de toto schemate habita [2], „si vox illa *potestas iurisdictionis episcopalis*, quae Pontifici Romano asserta in adnotationibus praecedentis schematis minus placuerat, in textum ipsum schematis revisi fuerit inducta. Ratio est, tum quia postularunt illud plurimi alii Patres, de statu actuali controversiae in suis respectivis provinciis solide ac presse disserentes, tum quia auctoritatem Summi Pontificis ac Vicarii Christi in omnem Ecclesiam non dumtaxat indolem Primatus metropolitici divinitus instituti, sed naturam *pastoralis* et ideo *episcopalis* iurisdictionis prae se ferre, sive ex ipsismet verbis Christi sive e traditione et historia certissima doctrina evincitur. Quod quidem pleno ore asseri ac proclamari gavisi sumus a non uno etiam ex Rm̃is Patribus, qui aliis huiusce propositae Constitutionis partibus non ita faverunt. Et reapse vox illa etiam apud nostrates, v. g. apud Gersonium, hoc etiam sensu iam diu fuit usurpata.“ Aliqui autem Patres in discussione speciali capitis vocem tolli volebant [3]. Unus ex iis breviter: „Vox *episcopalis*“, inquit, „utpote inaudita, pravis et periculosis interpretationibus favens, omnino eradatur.“ [4] Eam tamen retinendam esse censuit deputatio [5]. In relatione eius nomine habita Rm̃us Episc. Tarvisinus de illis emendationibus haec disserit [6]: „Quaeritur igitur, quae sit iurisdictio episcopalis. Episcopi est pascere gregem: nulla enim magis familiaris idea regiminis episcopalis in sacris Literis, in Patrum operibus, in usu omnium christianorum, quam repraesentare Episcopum veluti pastorem, qui pascit gregem. Pascit autem Episcopus tam exercitio potestatis ordinis quam iurisdictionis. Nam exercitium potestatis ordinis nonnisi in subditos potest licite habere locum. Episcopi igitur iurisdictio ad ea peragenda se extendit, quae necessaria sunt, ut fideles vitam aeternam consequantur; ac proinde debet Episcopus: 1. administrare sacramenta; 2. leges ferre ad bonum fidelium; 3. executioni ipsarum invigilare sive per seipsum sive per delegatos; 4. et proinde visitare dioecesim; 5. praedicare; 6. iudicare controversias; 7. punire sontes etc. Haec et similia comprehenduntur in verbo *pascere*. At haec Episcopus non potest facere nisi sub dependentia Pontificis Summi. Haec autem dependentia non est nisi limitatio iurisdictionis episcopalis.

[1] V. supra p. 154. [2] C. V. 295 b. c. [3] Emendationes etc. C. V. 337 c sqq.
[4] Emend. 15. l. c. [5] Ex actis etc. C. V. 1690 a. [6] C. V. 351 a sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„Consideremus autem, quaenam Iesus Christus attribuit Apostolo Petro et eius successoribus. Nonne in praemium triplicis declarationis amoris dedit illi munus pascendi gregem, scilicet agnos et oves? Cum hoc discrimine, quod Episcopis datum est tantum pascere, qui in eis est, gregem, scilicet determinatas partes gregis illis commissas; Petro autem et successoribus eius datum est pascere omnem gregem, agnos et oves, simplices fideles nempe et Episcopos, in suo regimine independenter ab aliis; dum contra Episcopi pascunt semper, ut diximus, dependenter a Petro et Petri successore. En igitur successor Petri potest in toto orbe christiano omnia peragere quae superius enunciavimus, et proinde administrare sacramenta, leges ferre, invigilare etc., praedicare, iudicare controversias, punire sontes etc. Quaero igitur, potestne haec omnia peragere vere in toto orbe catholico? Qui contradiceret, innumeris obrueretur antiquitatis exemplis.

„Nec dicat aliquis, haec peregisse Pontificem summum qua Patriarcham occidentalem. Nam praeter exempla innumera huius iurisdictionis exercitii in Oriente, notum est, privilegia Patriarcharum, Primatum et Metropolitanorum esse positiva, et ex concessione Pontificis Summi. Si igitur aliis Patriarchis provenit a concessione Summi Pontificis, consequitur, in ipso privilegium esse ex institutione divina. Eadem igitur quoad speciem est episcopalis potestas Episcoporum in singulis suis dioecesibus et in Pontifice Summo quoad omnes dioeceses, cum hoc discrimine, quod in Pontifice Summo est in sua plenitudine, in aliis restricta; in Summo Pontifice independens, in Episcopis dependens; in Episcopis coarctata ad suas dioeceses, in Pontifice Summo sine ulla limitatione loci, sed ad terminos terrae. Cum igitur convenire nos necesse sit, realiter potestatem Summi Pontificis esse eandem specie ac potestatem Episcoporum, quid vetat, quominus utamur eodem vocabulo ad qualitatem enuntiandam iurisdictionis, quae exercetur per Pontifices et Episcopos, et dicamus, episcopalem potestatem in Episcopis, et summam supremam potestatem episcopalem esse in Summo Pontifice?“ Negat relator, vocabulum novum esse. Imprimis potestatem episcopalem idem esse cum pontificali; hanc in Episcopo dici pontificalem, in Summo Pontifice summam potestatem pontificalem. Porro Summum Pontificem se dicere catholicae Ecclesiae Episcopum. Negat etiam, rationem nominis illius usurpandi deesse. „Notum est,“ inquit, „imo usitatissimum in Ecclesia, ut nova dogmatica vocabula adhibeantur novis erroribus insurgentibus. Nostris temporibus reapse valde periculosa sententia apud aliquos invaluit, quae sustinet, Summum Pontificem non posse in aliis dioecesibus a Romana diversis ea peragere, quae Episcopus quilibet in sua propria, eo praetextu, quod alias illorum iurisdictionem laederet: perniciosus error a Vaticano Concilio est configendus; et hoc optime faciet, si sanciat sua auctoritate, potestatem Summi Pontificis exercendam in qualibet dioecesi esse proprie episcopalem.“ Affert relator etiam locum ex Concilio provinciali Coloniensi anni 1860 (cap. 25.): „Romano Pontifici ut Ecclesiae capiti et fundamento visibili, Episcoporum principi et pastori supremo vera iurisdictio episcopalis competit in universam Ecclesiam.“ [1]

Sententia deputationis longe maiori parte suffragiorum Patrum approbata est[2]. Aliqui postea, quum de tota Constitutione ferrentur suffragia, suo suffragio „Placet“ conditionem adiecerunt, ut vox „episcopalis“ deleretur[3]. Sed, quod decisum erat, retentum est[4].

COMMENTATIO VI.

De inciso canonis capitis tertii: „aut eum [Papam] habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis“.

Canon capiti tertio adiectus est hic: „Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis;* aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.“

Incisum, quod literis insignioribus notavimus, non erat neque in schemate pristino de Ecclesia[5] neque in schemate, quod a deputatione de rebus fidei reformatum Patribus traditum est[6]. Inter emendationes autem, quae in discussione speciali tertii capitis a Patribus proponebantur, erat etiam haec, ut canoni tertii capitis substitueretur haec formula: „Si quis dixerit, Romani Pontificis Primatum esse tantum officium inspectionis et directionis, et *supremam ipsius potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non esse plenam,* sed tantum extraordinariam et mediatam; anathema sit.“[7] Noluit quidem deputatio de fide hanc canonis formulam Patribus commendare, quippe quae aliqua ex canone proposito omisisset; id tamen placuit, quod in ea formula Summi Pontificis potestas non iam, ut in canone proposito, dicebatur *plena* et *suprema,* sed *potestas suprema* dicebatur *plena,* et propterea clarius exprimebatur conceptus plenitudinis, quum plenitudo Summo Pontifici attribueretur non tantum potestatis ecclesiasticae, sed supremae potestatis ecclesiasticae[8]. Quare deputatio emendationem iuxta modum admisit atque addidit illud incisum, de quo agimus, ut integer iam

[1] C. V. 353 c. [2] C. V. 367 d. [3] Exceptiones etc. C. V. 438 d.
[4] Relatio etc. C. V. 469 a. [5] C. V. 377 d. [6] C. V. 274 a.
[7] Emendationes etc. C. V. 345 d sq. [8] Relatio etc. C. V. 371 b. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„Consideremus autem, quaenam Iesus Christus attribuit Apostolo Petro et eius successoribus. Nonne in praemium triplicis declarationis amoris dedit illi munus pascendi gregem, scilicet agnos et oves? Cum hoc discrimine, quod Episcopis datum est tantum pascere, qui in eis est, gregem, scilicet determinatas partes gregis illis commissas; Petro autem et successoribus eius datum est pascere omnem gregem, agnos et oves, simplices fideles nempe et Episcopos, in suo regimine independenter ab aliis; dum contra Episcopi pascunt semper, ut diximus, dependenter a Petro et Petri successore. En igitur successor Petri potest in toto orbe christiano omnia peragere quae superius enunciavimus, et proinde administrare sacramenta, leges ferre, invigilare etc., praedicare, iudicare controversias, punire sontes etc. Quaero igitur, potestne haec omnia peragere vere in toto orbe catholico? Qui contradiceret, innumeris obrueretur antiquitatis exemplis.

„Nec dicat aliquis, haec peregisse Pontificem summum qua Patriarcham occidentalem. Nam praeter exempla innumera huius iurisdictionis exercitii in Oriente, notum est, privilegia Patriarcharum, Primatum et Metropolitanorum esse positiva, et ex concessione Pontificis Summi. Si igitur aliis Patriarchis provenit a concessione Summi Pontificis, consequitur, in ipso privilegium esse ex institutione divina. Eadem igitur quoad speciem est episcopalis potestas Episcoporum in singulis suis dioecesibus et in Pontifice Summo quoad omnes dioeceses, cum hoc discrimine, quod in Pontifice Summo est in sua plenitudine, in aliis restricta; in Summo Pontifice independens, in Episcopis dependens; in Episcopis coarctata ad suas dioeceses, in Pontifice Summo sine ulla limitatione loci, sed ad terminos terrae. Cum igitur convenire nos necesse sit, realiter potestatem Summi Pontificis esse eandem specie ac potestatem Episcoporum, quid vetat, quominus utamur eodem vocabulo ad qualitatem enuntiandam iurisdictionis, quae exercetur per Pontifices et Episcopos, et dicamus, episcopalem potestatem in Episcopis, et summam supremam potestatem episcopalem esse in Summo Pontifice?“ Negat relator, vocabulum novum esse. Imprimis potestatem episcopalem idem esse cum pontificali; hanc in Episcopo dici pontificalem, in Summo Pontifice summam potestatem pontificalem. Porro Summum Pontificem se dicere catholicae Ecclesiae Episcopum. Negat etiam, rationem nominis illius usurpandi deesse. „Notum est,“ inquit, „imo usitatissimum in Ecclesia, ut nova dogmatica vocabula adhibeantur novis erroribus insurgentibus. Nostris temporibus reapse valde periculosa sententia apud aliquos invaluit, quae sustinet, Summum Pontificem non posse in aliis dioecesibus a Romana diversis ea peragere, quae Episcopus quilibet in sua propria, eo praetextu, quod alias illorum iurisdictionem laederet: perniciosus error a Vaticano Concilio est configendus; et hoc optime faciet, si sanciat sua auctoritate, potestatem Summi Pontificis exercendam in qualibet dioecesi esse proprie episcopalem.“ Affert relator etiam locum ex Concilio provinciali Coloniensi anni 1860 (cap. 25.): „Romano Pontifici ut Ecclesiae capiti et fundamento visibili, Episcoporum principi et pastori supremo vera iurisdictio episcopalis competit in universam Ecclesiam.“ [1]

Sententia deputationis longe maiori parte suffragiorum Patrum approbata est[2]. Aliqui postea, quum de tota Constitutione ferrentur suffragia, suo suffragio „Placet“ conditionem adiecerunt, ut vox „episcopalis“ deleretur[3]. Sed, quod decisum erat, retentum est[4].

COMMENTATIO VI.

De inciso canonis capitis tertii: „aut eum [Papam] habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis“.

Canon capiti tertio adiectus est hic: „Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis;* aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.“

Incisum, quod literis insignioribus notavimus, non erat neque in schemate pristino de Ecclesia[5] neque in schemate, quod a deputatione de rebus fidei reformatum Patribus traditum est[6]. Inter emendationes autem, quae in discussione speciali tertii capitis a Patribus proponebantur, erat etiam haec, ut canoni tertii capitis substitueretur haec formula: „Si quis dixerit, Romani Pontificis Primatum esse tantum officium inspectionis et directionis, et *supremam ipsius potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non esse plenam,* sed tantum extraordinariam et mediatam; anathema sit.“[7] Noluit quidem deputatio de fide hanc canonis formulam Patribus commendare, quippe quae aliqua ex canone proposito omisisset; id tamen placuit, quod in ea formula Summi Pontificis potestas non iam, ut in canone proposito, dicebatur *plena* et *suprema,* sed *potestas suprema* dicebatur *plena,* et propterea clarius exprimebatur conceptus plenitudinis, quum plenitudo Summo Pontifici attribueretur non tantum potestatis ecclesiasticae, sed supremae potestatis ecclesiasticae[8]. Quare deputatio emendationem iuxta modum admisit atque addidit illud incisum, de quo agimus, ut integer iam

[1] C. V. 353 c. [2] C. V. 367 d. [3] Exceptiones etc. C. V. 438 d.
[4] Relatio etc. C. V. 469 a. [5] C. V. 377 d. [6] C. V. 274 a.
[7] Emendationes etc. C. V. 345 d sq. [8] Relatio etc. C. V. 371 b. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

canon esset: „Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, tum in rebus, quae ad fidem et mores, tum quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis;* aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.“ [1] Canonem igitur hoc inciso auctum Rmus Episc. Zinelli, deputationis in Congregatione generali relator, Patribus recipiendum commendavit [2].

Quum autem canon, ut de eo suffragia ferrentur, iterum esset lectus, Patres de mutatione hac statim iudicium se ferre posse negarunt; canonem scriptum prius examinandum esse. Decreverunt igitur Praesides, ut suffragia ad proximam Congregationem differrentur et canon antea typis impressus inter Patres distribueretur [3]. Distributus est duobus diebus post, d. 7. Iulii [4].

Deputati Patres, quum d. 8. Iulii primo de re agerent, incisum omittere statuerunt [5]. In sessione autem diei sequentis Cardinalis Bilio, deputationis praeses, iterum proposuit, ut incisum retineretur. Quod si retraheretur, futurum esse, ut magna animorum perturbatio in Congregatione generali oriretur; errorem, qui inciso explicite excluderetur, revera doceri, neque verum esse, quaestionem non iam fuisse in Congregationibus conciliariter tractatam, quum damnatio illius erroris diserte, explicite et implicite, postulata esset, ex altera parte ipse error in numeris 35. et 36. emendationum proponeretur. Omnes ei assentiebantur, et Rmus Episc. Zinelli rogabatur, ut de inciso illo recipiendo relationem haberet [6].

Emendationes 35. et 36., de quibus Cardinalis Bilio loquitur, hae sunt: „35. Paragraphus tertia, quae, expuncta priori paragrapho secunda, immediate definitioni Concilii Florentini subnectenda esset, hoc modo redigi deberet, nempe: Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. Haec tamen Summi Pontificis Romani inter Episcopos Primatus potestas non excludit aut supprimit potestatem regiminis propriam Episcoporum, qui a Spiritu Sancto iuxta Apostolum positi sunt regere Ecclesiam Dei, et ad hoc in consecratione episcopali Spiritum Sanctum obtinent; proinde Episcopi cum Romano Pontifice coniuncti et ei qua totius gregis dominici principali pastori subordinati non modo particulares suos greges potestate iuris divini regunt et gubernant, verum etiam cum Summo Pontifice sollicitudinem totius Ecclesiae sustinent, atque pro tota Ecclesia cum Summo Pontifice legislatores et iudices sunt, *ita ut tota potestas regiminis Ecclesiae in Episcopatu cum Pontifice Romano, suo Primate, consistat,* seu regimen Ecclesiae Christi sit Petro-Apostolicum. Qua ratione etiam iura et privilegia Patriarcharum orientalium, quemadmodum in definitione Concilii Florentini continetur, salva sunt.

„36. Loco tertiae paragraphi: *Haec est catholicae* p. 9. sequens proponitur: ‚Illa tamen divini Primatus potestas non est tota et absoluta potestas, quam Christus Ecclesiae suae tradidit. Si quidem huius totius potestatis participes sunt ipsimet Episcopi, Apostolorum successores, quos quoque Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Dictum est enim omnibus Apostolis et Petro coniunctim, eorumque successoribus: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes . . . ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi . . . sicut misit me Pater et ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum.* . . Tantum igitur abest, ut Summi Pontificis potestas opponatur sive illi Episcoporum potestati, quam in universa Ecclesia omnes coniunctim cum Petri successore exercent ut legislatores et fidei iudices; sive illi ordinariae et immediatae episcopali . . . etc.‘ usque ad finem paragraphi, cui addi potest: ‚Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.‘“ [1]

Iam concedi debet et a Rmo Episc. Zinelli, deputationis relatore, plane conceditur [2], cum Florentini (atque Vaticani) Concilii definitione conciliari posse sententiam multorum theologorum, Summum Pontificem cum omnibus Episcopis unum formare collegium, quod sit supremae potestatis ecclesiasticae subiectum. Is tamen, qui hoc docet, ne Concilio Florentino (et Vaticano) contradicat, etiam Summum Pontificem per se solum supremae potestatis ecclesiasticae subiectum esse fateri debet, ita ut asserat, esse subiecta duo supremae potestatis incomplete distincta. Emendationes autem illae vix ita explicari possunt. Videntur potius insinuare, esse unum tantum supremae potestatis subiectum, quod a Summo Pontifice et Episcopis simul formetur simili modo, ut in republica aliqua aristocratico-monarchica summa leges

---

[1] Ex actis etc. C. V. 1690 d sq. [2] Relatio etc. C. V. 366 a.

[3] Haec est in actis rei narratio: „Cum lectus fuit huiusmodi canon, fere omnes ad invicem dicebant, necesse esse eum sub oculos habere, nec convenire suffragium ferre post simplicem lectionem. Rmus Archiep. Colocsensis primum hoc adnotavit; postea vero Archiep. Parisiensis surgens dixit, novum esse, quod in canone proponebatur, et ideo nova discussione super illud opus esse. Tunc Emi Praesides ad quamlibet aequivocationem tollendam decreverunt, differri suffragia quoad hunc canonem in proximam Congregationem, eumque typis impressum Patribus distribui.“

[4] Acta etc. C. V. 758 b. [5] Ex actis etc. C. V. 1693 d.

[6] Ibid. C. V. 1694 d sq.

[1] Emendationes etc. C. V. 341 c sqq. [2] Relatio etc. C. V. 357 c sqq. Cf. infra cap. III. adnot. ad capitis tertii verba „simul omnes“.

ferendi potestas penes regem et senatum nobilium est, quorum neuter solus leges ferre possit. Eam autem doctrinam conciliari non posse cum Florentini definitione, Romano Pontifici „in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo *plenam* potestatem traditam esse“, evidens est. Quare recte Cardinalis Bilio, ut doctrina iam definita efficacius contra errores protegeretur, illo canonis additamento definitionem Florentini Concilii clarius etiam proponi voluit.

De *modo,* quo Patres deputati additamentum Congregationi generali proposuerunt, multi Patres conquesti sunt, unde tamen concludi non debet, tot Patres *doctrinam* de plenitudine potestatis pontificiae in dubium vocasse. Sexaginta duo Patres epistola d. 9. Iulii ad Praesides Congregationis generalis data [1]: „In nuperrima Congregatione generali,“ inquiunt, „cum votis subiicerentur capitis tertii de Ecclesia emendationes, super istarum num. 70., 71., 72. rm̃us deputationis relator ex ambone declaravit, deputationem admittere num. 72. *iuxta modum* ideoque de num. 70. et 71. suffragia non esse ferenda, sed dumtaxat de num. 72. modificato.

„Quibusdam petentibus Patribus canon, quem deputatio proposuit, typis mandatus est, et cum eum prae oculis haberemus, apparuit, ipsum haud continere tenorem emendationis, quae sub num. 72. legitur, in quibusdam mutatum, sed potius canonem, prout in schemate habetur, integrum referre, non autem solum: nam inserta est additio, quam magni esse momenti nemo non videt.

„Quapropter declaremus oportet: quae rm̃us relator de emendatione 72. dixerit, non concordare cum iis, quae de canone tertio deputatio reapse egit.

„Praeterea decretum *Apostolicis Literis* n. XII. praescribit, ut suffragia Congregationis generalis exquirantur super propositis in ipsa discussione emendationibus: itaque stabilito res pertractandi ordini adversatur, ut suffragia exquirantur super additamento satis gravi schemati post discussionem et proin absque discussione facto. Postulamus ergo, ut in suffragiis proxime ferendis Patrum vota petantur de emendatione 72., quam si reiici contigerit, canon tertius, prout in schemate habetur, proponatur.“

Audiamus igitur, quomodo ipse deputationis relator, Rm̃us Episc. Zinelli, relatione in sequenti Congregatione generali habita, rem exponat:

„In postrema Congregatione generali“, inquit, „ego nomine deputationis vestrae de fide emendationem sub numero 72. super capite tertio partis primae Constitutionis de Ecclesia admittendam proposui iuxta modum. Modus autem erat sequens, quod nempe in canone

[1] C. V. 991a. b.

tertio insererentur haec verba: *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis.* Antequam rationes enuntiem, quae obstaculo fuerunt, ne rogarentur suffragia, breviter et stricte dicam, quid significent illa verba, quae addi nomine deputationis proponebam; deinde num conceptum verum non solum, sed et plane de fide catholica tenendum contineant; an conceptus ipse plene in Congregationibus generalibus fuerit discussus; demum num iuxta praxim huius Concilii Vaticani deputatio, occasione arrepta ab emendationibus, iure suo usa fuerit proponendo Patrum suffragiis illam insertionem.

„Et primo quidem evidens est, per supradicta verba errorem illorum damnari, qui supremam potestatem Summi Pontificis non esse plenam in sensu proprio asserunt, ac proinde involventes falsam sententiam verbis ambiguis eludunt satis perspicuam definitionem Concilii Florentini, aientes, esse quidem in Pontifice Summo plenitudinem iurisdictionis, sed non totam, quia Pontifex habet quidem potiores partes iurisdictionis, at non omnes. Quid, quaero, hoc est, quam reapse negare plenitudinem iurisdictionis Summi Pontificis definitam a Concilio Florentino? Quid enim sibi vult haec distinctio, quasi esse posset plenitudo, quae non sit tota, quod directe opponitur conceptui plenitudinis? Plenitudo enim essentialiter significat, qualitatem inesse subiecto in toto suo ambitu; quod negatur, quando dicitur, plenitudinem non esse totam, aut potiores tantum eius partes esse in subiecto. Proposita igitur additio in id unum intendebat, ut assereretur, plenitudinem iurisdictionis inesse Summo Pontifici in suo vero sensu, cum exclusione sensus non solum falsi, sed in se ipso involventis conceptus, qui se mutuo destruunt.

„Si igitur hoc Concilium iam definierat in capite tertio, praeeunte Concilio Florentino, iurisdictionem Summi Pontificis esse plenam, ac proinde nullam concipi posse partem ecclesiasticae iurisdictionis, quae non comprehenderetur in eius suprema potestate; si hoc ipsum in prima parte canonis tertii declarabatur, consequens erat, posse aequali prorsus modo admitti incisum, quod substantialiter nihil amplius dicit et tantum modo evidentiori et maiori vi excludit falsas interpretationes textus tum Concilii Florentini tum ipsius Vaticani.

„Parcite, Em̃i ac Rm̃i Patres, si cum de plenitudine potestatis Summi Pontificis loquimur, me cohibere non possum, quin recitem verba e celebri *de unitate Ecclesiae* sermone Bossuetii decerpta, habito in conventu Gallicano anni 1682. En verba: ‚In potestate, quae in plures dividitur, partitio suam secum ipsa restrictionem affert. Contra vero potestas, quae uni datur et super omnes et sine ulla exceptione datur, infert plenitudinem; et sicut omnis (notate verba) est expers partitionis, non alios habet limites, quam quos regula praescribit.‘

„De plenitudine potestatis iurisdictionis in Pontifice in toto suo ambitu acceptanda, nulli ambigendi igitur locus; nec ulli scrupulum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

moveat, quasi totam plenitudinem potestatis iurisdictionis tribuentes Summo Pontifici, ullo modo laedamus dignitatem Concilii oecumenici; nam firma manent ea, quae in postrema Congregatione in relatione enucleavi de potestate plena et suprema Concilii oecumenici, quae recte intellecta et firmis illis conditionibus et declarationibus, de quibus satis dixi, unice consistere potest cum doctrina fidei, quae totam plenitudinem supremae potestatis in Summo Pontifice recognoscit.

„At fuitne sufficienter discussus in Congregationibus generalibus conceptus plenitudinis potestatis in suo sensu proprio? In prima paragrapho capitis tertii a Concilio Vaticano apertissimis verbis fuit renovatum decretum dogmaticum Concilii Florentini oecumenici, quod definit, plenam potestatem traditam esse in Petro Romano Pontifici pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam. Quis credat, Emi et Rmi Patres, Concilium Vaticanum tanta solemnitate verborum renovasse definitionem Concilii Florentini, attamen sensum tribuisse plenae potestatis ab ipso definitae restrictivum, sensum, qui aperte repugnat ideae plenitudinis, ac proinde absurdum? Hoc autem argumentum fuit in Congregationibus generalibus praecipue discussum, nempe utrum definitio Concilii Florentini, quam renovat Concilium Vaticanum, posset ullo modo restringi. Et quum in generalibus Congregationibus nonnulli id assererent, invicti defensores iurium sanctae Sedis Apostolicae fortiter propugnarunt universali fere plausu huius venerandi consessus, plenitudinem iurisdictionis Summi Pontificis esse in suo proprio sensu intelligendam; nihil iurisdictionis ecclesiasticae posse illi subtrahi, nullis limitibus ab humana posse eius iurisdictionem auctoritate coarctari. Id clare patet etiam ex emendationibus et e relatione de illis vobis a me facta[1].

„Vos scitis, Emi et Rmi Patres, nomine deputationis me sine ulla verborum ambiguitate declarasse, verba *plenam potestatem* intelligenda esse in tota eorum amplitudine, perperam restricto sensu interpretari nonnullos clausulam *quemadmodum etc.*, quae est in fine textus adducti Concilii Florentini, et hoc patere evidenter ex contextu, ex vi phrasis, ex argumentis historicis aliisque bene multis. Et vos, Emi et Rmi Patres, quoties propositae fuerunt emendationes illae, quae restrictivum sensum insinuare volebant, vestro sapientissimo iudicio acceptantes votum deputationis vestrae, sine ulla cunctatione reiecistis.

„Mirari igitur non desino, Emi et Rmi Patres, qua ratione in postrema Congregatione generali dubium suboriri potuerit, num de hoc argumento hinc inde in Congregationibus disputatum non sit, dum adhuc in hac aula resonabant verba, quibus ego occasione emendationum sub numeris 35. et 36. de illo disserere, exponens ea quae in disceptatione a Patribus dicta fuere, stricto quidem at non brevi

[1] C. V. 348c. d. 356d sqq. Cf. supra p. 153 sq.

discursu coactus fui. Quis igitur sustinere poterit, coram vobis conceptum hunc plenitudinis potestatis Romani Pontificis non fuisse hic discussum?

„At iurene poterat illa phrasis proponi inserenda in tertio canone? Sciatis, Emi ac Rmi Patres, illam fuisse intentionem deputationis iuxta mentem plurium, quae evidenter apparebat a multis emendationibus, a 26a aliisque[1], proponendi insertionem illius incisi, aut in capite aut in canonibus; quia quamvis non necessaria absolute, attamen opportunissima videbatur ad cavillationes eliminandas: et eo magis quod ex discussione ipsa in Congregationibus habita id aliquo modo relative necessarium poterat existimari.

„At in formulis, quae exhibentur sub emendationibus 26. et aliis supra enunciatis non erant verba, quae satis clarum reapse conceptum redderent, verba, quae acceptari possent iuxta modum a deputatione, et ianuam aperirent ad inserendum incisum. Cum vero ventum esset ad emendationem 72., in qua certe deputatio approbare non poterat expunctionem multarum phrasium, quae optime in canone remanere debebant, consideravit tamen deputatio, in novo proposito ab emendatore schemate canonis tertii, verba adhibita ab emendatore clarius exprimere conceptum deputationis quoad plenitudinem potestatis pontificiae quam in prima parte canonis nostri. Nam in prima parte canonis nostri dicitur, potestatem Pontificis esse plenam et supremam, ac proinde adiectiva duo *plena* et *suprema* enunciantur de subiecto, quod est potestas. At in emendatione 72. dicitur multo melius: Potestas suprema est plena, scilicet plenitudo asseritur de subiecto complexo, *potestas suprema,* sc. de potestate, quae est suprema; ac proinde clarius asseritur, in Pontifice esse plenitudinem non tantum potestatis ecclesiasticae, sed supremae potestatis ecclesiasticae.

„Deputatio igitur memor: Omnia probate, quod bonum est tenete, acceptavit emendationem sub numero 72., quae alioquin reiicienda fuisset, iuxta modum; et modus fuit, ut admissa meliori formula, in qua plenitudo tribuitur potestati supremae qua supremae, adderetur etiam adiectivum *tota plenitudo,* et sic locus tolleretur omni cavillationi; et hoc factum est per insertionem incisi: *aut eum habere partes potiores, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis.* Iure igitur egit deputatio; iure poterant Patres dare suffragium. Cur igitur non sunt rogati? Unus ex Rmis Patribus opposuit, novam, quae proponebatur in canone, insertionem non fuisse nec oculis subiectam fidelibus nec discussam. De secunda obiectione satis iam dictum est; quoad primam, cum ageretur de paucis verbis, quae facile memoria poterant retineri, et cum remedium facile in promptu esset, si ab ambone verba addita repetita fuissent, nulla ratio haberi iure poterat non rogandi suffragia.

[1] Emendationes etc. C. V. 340a sqq.

„Attamen Emi Praesides pro moderatione, in qua excedunt, satis faciendum Reverendissimo existimarunt. Iam nudius tertius folium separatum, in quo modus apparet, iuxta quem emendatio 72. a deputatione acceptata fuerit, vobis fuit distributum. Dignemini emendationem iuxta mentem deputationis admittere, ac proinde insertionem incisi approbare.“ [1]

Emendatione perlecta, suffragia exquisita sunt, et duplici experimento more solito facto, ipsam emendationem longe maior Patrum pars admisit; eamque acceptatam fuisse a Congregatione generali primus Praeses declaravit [2].

Etiam postea in Congregatione generali octogesima quinta (d. 13. Iulii), cum de more suffragia de toto capite tertio et canone peterentur, canon inciso illo auctus a longe maiore parte Patrum receptus est [3]. Quum autem in eadem Congregatione suffragia de tota Constitutione ferrentur, complures ex iis, qui suo suffragio „Placet“ conditionem addiderunt, postularunt iterum, ut incisum removeretur [4]. Tanti autem momenti aliqui id esse censebant, ut deputatio eorum Patrum, qui infallibilitatem pontificiam definiri nolebant, Summum Pontificem d. 15. Iulii adiret atque praeter aliud quoddam etiam illud ab eo peteret, ut incisum illud tolli iuberet [5]. Id ipsum unus ex deputatis, Archiep. Parisiensis, sequenti die etiam epistola ad Summum Pontificem data petiit [6]. Hic tamen eodem die per Subsecretarium Concilii eos certiores fecit, se totum negotium Congregationi generali relinquere, sententia definitiva sibi reservata. In Congregatione generali octogesima octava (d. 16. Iulii) Rmus Zinelli, cum de conditionibus, quae suffragiis adiectae erant, ageret: Animadvertimus, inquit [7], canonem tertium „non ab uno tantum, sed a pluribus, qui dixerunt *Placet iuxta modum*, sic impugnari, ut manifestum sit, aliquibus praeiudiciis ab eius acceptatione aliquos praepediri, ac proinde necessarium duco paucissima verba addere, quibus praeiudicia tollantur. Nullo modo per definitionem, qua asseritur, totam plenitudinem potestatis supremae esse in Summo Pontifice, laeduntur sententiae, quae libere in scholis disputantur de derivatione iurisdictionis episcopalis.

„Disputant theologi, num potestas iurisdictionis, quae est in Episcopis, derivetur immediate a Deo an immediate a Summo Pontifice. Illi inter catholicos theologos, qui potestatem iurisdictionis immediate a Deo derivari asserunt, eam tamen dicunt, uti par est, a Deo conferri cum vera et plena dependentia a Summo Pontifice. Hanc quae-

[1] Relatio etc. C. V. 368 d sqq. [2] Ibid. C. V. 372 b.
[3] Acta etc. C. V. 759 c. [4] Exceptiones etc. C. V. 440 b sqq.
[5] Ex diurnis etc. C. V. 1702 d. Cf. epistolam comitis Arnim C. V. 1609 d. Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 123.
[6] C. V. 992 b. c. [7] Relatio etc. C. V. 472 b sqq.

stionem, quam scimus tam agitatam in Concilio Tridentino, ipse Summus Pontifex tunc noluit definire; nec nos certe voluimus definire per nostrum canonem nec per incisum insertum. Si asserimus, totam plenitudinem potestatis supremae esse in Summo Pontifice, nec asserimus nec negamus, potestatem, quae est in Episcopis, derivari a Deo immediate aut a Summo Pontifice.

„Eodem modo nulli dubium, quin Concilium oecumenicum sit infallibile in rebus fidei et morum definiendis; nulli dubium, quod unio Episcoporum cum Summo Pontifice sit conditio sine qua non infallibilitatis corporis episcopalis. At si quaeratur, num unio cum Summo Pontifice non solum sit conditio sine qua non, uti dicunt scholae, infallibilitatis Concilii, sed num reapse infallibilitas descendat a capite in corpus, vel contra Deus, qui immediate dat infallibilitatem capiti independenter a concursu Concilii, det etiam immediate hanc infallibilitatem corpori cum suo capite coniuncto per modum totius; non est hic locus de hac re aliquid omnino statuendum proferre, sed tantum aperte est declarandum, in canone capitis tertii nullo modo agi de hac quaestione, nec anathema dici illis, qui alterutram sententiam sustinerent. Post hanc tam apertam declarationem, quae inhaeret sensui ex verbis et ex contextu derivanti, non video, quomodo scrupulus suboriri possit, qui rationabiliter retrahat a canonis acceptatione.“

COMMENTATIO VII.

De tribus oecumenicorum Conciliorum testimoniis, quae definitioni infallibilitatis Summi Pontificis praemittuntur.

In capite quarto Constitutionis primae de Ecclesia, quo infallibilitas Summi Pontificis definitur, tria ad eam doctrinam confirmandam afferuntur oecumenicorum Conciliorum testimonia, eorum, „in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat“: Constantinopolitani IV., Lugdunensis II., Florentini. In capite addendo [1], quod solum Patribus primum traditum erat, duorum priorum tantum testimonia continebantur. In observationibus Patrum de eo capite laudatur, ut est in relatione deputationis [2], „quod rei definiendae fundamenta in schemate allata

„a) ex formulis fidei, iisque receptis in oecumenicis Conciliis, deprompta fuerunt; quod ea petita fuerunt

„b) ex eiusmodi oecumenicis Conciliis, in quibus Oriens et Occidens in eiusdem fidei et caritatis unitatem conveniebant; quodque eadem,

„c) quemadmodum quoad auctoritatem omni exceptione sunt maiora, ita Scripturarum testimonia ad rem potissima complectuntur, et quoad

[1] C. V. 642 a. b. Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 107.
[2] C. V. 278 a sqq. Cf. de relatione supra cap. I. Historia etc. p. 112.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„Attamen Emi Praesides pro moderatione, in qua excedunt, satis faciendum Reverendissimo existimarunt. Iam nudius tertius folium separatum, in quo modus apparet, iuxta quem emendatio 72. a deputatione acceptata fuerit, vobis fuit distributum. Dignemini emendationem iuxta mentem deputationis admittere, ac proinde insertionem incisi approbare.“ [1]

Emendatione perlecta, suffragia exquisita sunt, et duplici experimento more solito facto, ipsam emendationem longe maior Patrum pars admisit; eamque acceptatam fuisse a Congregatione generali primus Praeses declaravit [2].

Etiam postea in Congregatione generali octogesima quinta (d. 13. Iulii), cum de more suffragia de toto capite tertio et canone peterentur, canon inciso illo auctus a longe maiore parte Patrum receptus est [3]. Quum autem in eadem Congregatione suffragia de tota Constitutione ferrentur, complures ex iis, qui suo suffragio „Placet“ conditionem addiderunt, postularunt iterum, ut incisum removeretur [4]. Tanti autem momenti aliqui id esse censebant, ut deputatio eorum Patrum, qui infallibilitatem pontificiam definiri nolebant, Summum Pontificem d. 15. Iulii adiret atque praeter aliud quoddam etiam illud ab eo peteret, ut incisum illud tolli iuberet [5]. Id ipsum unus ex deputatis, Archiep. Parisiensis, sequenti die etiam epistola ad Summum Pontificem data petiit [6]. Hic tamen eodem die per Subsecretarium Concilii eos certiores fecit, se totum negotium Congregationi generali relinquere, sententia definitiva sibi reservata. In Congregatione generali octogesima octava (d. 16. Iulii) Rmus Zinelli, cum de conditionibus, quae suffragiis adiectae erant, ageret: Animadvertimus, inquit [7], canonem tertium „non ab uno tantum, sed a pluribus, qui dixerunt *Placet iuxta modum*, sic impugnari, ut manifestum sit, aliquibus praeiudiciis ab eius acceptatione aliquos praepediri, ac proinde necessarium duco paucissima verba addere, quibus praeiudicia tollantur. Nullo modo per definitionem, qua asseritur, totam plenitudinem potestatis supremae esse in Summo Pontifice, laeduntur sententiae, quae libere in scholis disputantur de derivatione iurisdictionis episcopalis.

„Disputant theologi, num potestas iurisdictionis, quae est in Episcopis, derivetur immediate a Deo an immediate a Summo Pontifice. Illi inter catholicos theologos, qui potestatem iurisdictionis immediate a Deo derivari asserunt, eam tamen dicunt, uti par est, a Deo conferri cum vera et plena dependentia a Summo Pontifice. Hanc quae-

[1] Relatio etc. C. V. 368 d sqq. [2] Ibid. C. V. 372 b.
[3] Acta etc. C. V. 759 c. [4] Exceptiones etc. C. V. 440 b sqq.
[5] Ex diurnis etc. C. V. 1702 d. Cf. epistolam comitis Arnim C. V. 1609 d. Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 123.
[6] C. V. 992 b. c. [7] Relatio etc. C. V. 472 b sqq.

stionem, quam scimus tam agitatam in Concilio Tridentino, ipse Summus Pontifex tunc noluit definire; nec nos certe voluimus definire per nostrum canonem nec per incisum insertum. Si asserimus, totam plenitudinem potestatis supremae esse in Summo Pontifice, nec asserimus nec negamus, potestatem, quae est in Episcopis, derivari a Deo immediate aut a Summo Pontifice.

„Eodem modo nulli dubium, quin Concilium oecumenicum sit infallibile in rebus fidei et morum definiendis; nulli dubium, quod unio Episcoporum cum Summo Pontifice sit conditio sine qua non infallibilitatis corporis episcopalis. At si quaeratur, num unio cum Summo Pontifice non solum sit conditio sine qua non, uti dicunt scholae, infallibilitatis Concilii, sed num reapse infallibilitas descendat a capite in corpus, vel contra Deus, qui immediate dat infallibilitatem capiti independenter a concursu Concilii, det etiam immediate hanc infallibilitatem corpori cum suo capite coniuncto per modum totius; non est hic locus de hac re aliquid omnino statuendum proferre, sed tantum aperte est declarandum, in canone capitis tertii nullo modo agi de hac quaestione, nec anathema dici illis, qui alterutram sententiam sustinerent. Post hanc tam apertam declarationem, quae inhaeret sensui ex verbis et ex contextu derivanti, non video, quomodo scrupulus suboriri possit, qui rationabiliter retrahat a canonis acceptatione.“

COMMENTATIO VII.

De tribus oecumenicorum Conciliorum testimoniis, quae definitioni infallibilitatis Summi Pontificis praemittuntur.

In capite quarto Constitutionis primae de Ecclesia, quo infallibilitas Summi Pontificis definitur, tria ad eam doctrinam confirmandam afferuntur oecumenicorum Conciliorum testimonia, eorum, „in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat“: Constantinopolitani IV., Lugdunensis II., Florentini. In capite addendo [1], quod solum Patribus primum traditum erat, duorum priorum tantum testimonia continebantur. In observationibus Patrum de eo capite laudatur, ut est in relatione deputationis [2], „quod rei definiendae fundamenta in schemate allata

„a) ex formulis fidei, iisque receptis in oecumenicis Conciliis, deprompta fuerunt; quod ea petita fuerunt

„b) ex eiusmodi oecumenicis Conciliis, in quibus Oriens et Occidens in eiusdem fidei et caritatis unitatem conveniebant; quodque eadem,

„c) quemadmodum quoad auctoritatem omni exceptione sunt maiora, ita Scripturarum testimonia ad rem potissima complectuntur, et quoad

[1] C. V. 642 a. b. Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 107.
[2] C. V. 278 a sqq. Cf. de relatione supra cap. I. Historia etc. p. 112.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vim probandi tam clara atque perspicua exsistunt, ut considerata et retenta, uti par est, verborum ac phrasium proprietate et vi, infallibilitas, de qua quaeritur, iisdem vel aequipollenter efferatur vel virtualiter ac implicite, ut aiunt, contineatur; quod propterea

„d) ipsa huius infallibilitatis definitio, si in Vaticano Concilio fieret, non esset nisi expressa seu explicita doctrinae praecedentium Conciliorum declaratio; atque ita

„e) haec eadem Vaticana definitio ac fides appareret tanquam fidei praecedentium Conciliorum continuatio atque explicatio, qualem in prioribus Conciliis circa alia fidei dogmata similiter factam esse ex historia Conciliorum et dogmatum constat."

Petitur in iisdem observationibus, ut allatis fidei formulis addatur caput definitionis de Romano Pontifice in Concilio Florentino sancitum, quare postea, quum ex capite undecimo schematis de Ecclesia et capite addendo una conficeretur nova Constitutio, illis duobus testimoniis accessit tertium ex Concilio Florentino [1].

Sed Patres in animadversionibus, quas de capite addendo obtulerant, contra duo priora, et in emendationibus, quas in discussione speciali de quarto capite tradiderant, contra omnia tria aliqua etiam obiecerant. De obiectionibus prioribus agitur in relatione, quas Patres deputati cum ipso schemate Congregationi generali obtulerunt; de aliis Rmus Episcopus Brixinensis in relatione disserit, quam nomine deputationis in Congregatione generali de emendationibus a Patribus propositis habuit. Quae in utroque documento de illis testimoniis animadvertuntur, ad priorem partem capitis quarti explicandam multum conferunt. Ea igitur hoc loco referemus.

Itaque in relatione simul cum schemate Patribus tradita habentur haec [2]:

„I. Vi carent exceptiones *criticae*, quasi formula, quae in schemate [3] adscribitur Hormisdae,

„1. non huic, sed Hadriano Pontifici tribuenda sit. Instituta namque collatione inter formulam Hormisdae ab Orientalibus subscriptam et formulam Hadriani in VIII. Concilio veluti fidei regulam receptam, manifesto apparet, hanc ad priorem illam ita esse expressam, ut prior in secundam fuerit ad amussim prope translata. Quum enim reliqua omnia, quoad singula incisa ac verba, in utraque formula plane identica sint, tota, quae adest, differentia huc redit, ut

„a) paucissima fuerint in formula Hadriani declarationis ergo *adiecta;* scilicet post primam formulae Hormisdae periodum ab Hadriano (vel potius ab eius praedecessore Nicolao) addita fuit brevis expli-

[1] Ex actis etc. C. V. 1679a. — Cur additum sit, v. Relatio etc. C. V. 278c.

[2] C. V. 279d sqq. [3] Sc. capitis addendi.

catio. cur distinguantur ‚fidei regula' et ‚constituta Patrum' sive ‚constituta Dei et Patrum'; rursum, post incisum ‚servata religio' formulae prioris, in altera ab VIII. Concilio probata additur: ‚et sancta celebrata doctrina'; mutata tandem phrasi ‚spe et fide' in phrasim ‚fide et doctrina', post incisum ‚constituta Patrum' in formula Hormisdae, in altera adiicitur: ‚et praecipue sanctorum Sedis Apostolicae praesulum'; ut

„b) formula fidei, quae ab Hormisda opponebatur suae aetatis haereticis atque schismaticis, Nestorianis nimirum, Eutychianis atque Acacianis, eadem ab Hadriano opponatur Iconomachis atque Photianis. Quibus reiectis, Hadriani formula in VIII. Concilio approbata iisdem plane ac Hormisdae formula verbis absolvitur. Quare quum Hormisdae formula, sive res sive verba respexeris, tota quanta ab Hadriano fuerit accepta, nec nisi hinc brevissimis dumtaxat declarationibus aucta, inde pro temporum suorum adiunctis adaptata, merito in schemate adnotatur, quod communi etiam usu receptum est, Hormisdae formulam fuisse in Concilio VIII. ab Hadriano propositam et ab eiusdem Concilii Patribus subscriptam. Ceterum, quod ad ipsa verba ex formula Hormisdae in schemate allegata pertinet, ea totidem habentur in formula ab Hadriano in VIII. Concilio proposita, cum hoc solo discrimine, ut in posteriori occurrat incisum ‚et sancta celebrata doctrina', quod in schemate quoque conservatum est. Sed inde nec difficillimus quisque reale formularum discrimen iure arguet; et satis provisum erit, si *nota* schemati supposita ita concipiatur: ‚Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Concilio oecumenico VIII. proposita, et ab eiusdem Concilii Patribus subscripta est.'

„2. Vi etiam caret exceptio altera, quasi allegata in schemate formula Hormisdae tribui debeat Ioanni Constantinopolitano Patriarchae, in cuius ‚libello fidei directo ad S. Hormisdam Papam' eadem formula ex Isidori collectione reperitur. Sed hisce confunditur auctor libelli cum eo, qui eidem fidei libello subscripsit. Scilicet [1] fidei formula sive libellus Hormisdae, quem recepere primum Episcopi Epiri in synodo uniti, tum provinciae Dardaniae, Illyrici et Thraciae, missus porro fuit ad orientales Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum et Antiochenum; eidemque libello praeter reliquos Orientis Episcopos Ioannes Constantinopolitanus cum ingenti multitudine Episcoporum et Archimandritarum subscripsit, subscriptumque libellum idem Ioannes, uti par erat, ad Hormisdam direxit, atque ita unionem sui patriarchatus cum Romana catholicae unitatis Ecclesia diu abruptam in integrum restituit. Hinc certe Hormisdae libellus fidei invenitur in epistola Ioannis Patriarchae ad Papam Hormisdam; sed hic est libelli auctor, ille subscriptor.

[1] Uti est apud Labbeum, Concil. Coll. [V, 582 s. 621 s. Mansi] tom. VIII. coll. 407 sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„3. Vi caret exceptio, quasi idem libellus fidei, in schemate tributus Hormisdae, fuerit ab Hadriano II. missus ad Graecos, et ab eis non prius ac in Lugdunensi Concilio subscriptus. Sed in his apparet anachronismus, quo Lugdunense II. cum VIII. Concilio confunditur; non secus ac in eo, quod Anastasius Bibliothecarius eidem Concilio dicitur interfuisse. Quae vero hic idem Anastasius narrat, a Papa Nicolao formulam, qua usus deinde Hadrianus est, fuisse Graecis propositam, sed ab his non acceptam, nihil aliud ostendunt, nisi hinc tenacitatem haereseos et schismatis, inde autem constantem ac immutabilem traditionem ac doctrinam apud Romanae Sedis Episcopos.

„4. Vi caret exceptio, quasi verba ex Concilio Lugdunensi II. et formula Hormisdae adducta[1] essent manca vel, ut aiunt, truncata. Neque enim quae ex utroque fidei documento allegata in schemate sunt, manca dici possunt,

„a) propterea quod neque tota confessio fidei Lugdunensis neque integra Hormisdae formula translata in schema fuit; nam ea tantum afferenda erant, quae ad rem, de qua quaeritur, stabiliendam facerent;

„b) ac si pressa silentio ea fuissent, quibus omissis ac praecisis verba in schemate allata alienam a suo contextu sententiam prae se ferrent; tantum enim abest, ut in formula Hormisdae habeantur aliqua, quibus propria allatorum verborum vis ac sententia infringatur, ut in illa non desint, quibus eadem sententia firmetur; vel

„c) quod non omnia, quae ad rem facere videntur, in schema relata fuerunt; visum enim satis est ea attulisse, quae ad rem conficiendam sufficerent. Ceterum eiusmodi defectus neque generatim causae schematis nec nominatim officeret depromptis ex utroque oecumenico Concilio doctrinis; idemque facile tollitur, si plurium Rm̃orum Patrum ratio habeatur, qui ex formula Hormisdae haec verba schemati inserta vellent: ‚In omnibus sequendam Apostolicam Sedem (vel: consentiendum Apostolicae Sedi), in qua est integra et verax christianae religionis soliditas.‘

„II. Vi carent exceptiones *historicae:* ac si nimirum adductum in schemate ex Lugdunensi II. Concilio fidei documentum ipsi Concilio Lugdunensi tribui nequeat, quia oblata a Michaele Palaeologo fidei formula *in* Concilio fuit quidem *lecta*, sed *approbata* non dicitur *a* Concilio. Enimvero talis exceptio iis aperte excluditur, quae apud Labbeum[2] de actis in Concilio Lugdunensi II. referuntur. Nimirum:

„1. alteram convocati huius Concilii causam, a Pontifice in ipsis convocationis literis diserte expositam, fuisse Graecorum unionem;

„2. in quarta solemni Concilii generalis sessione hanc ipsam unionem *vi* fidei formulae publice lectae atque Pontifici, ipsius oecumenici Concilii Praesidi, oblatae initam inter Orientem et Occidentem fuisse; et

[1] In capite addendo, ut primo fuit. V. C. V. 642a. b.

[2] Concil. Collect. tom. XIV. coll. 502 sqq.

„3. ab universo Concilio solemnes Deo laudes habitas esse pro restituta cum Graecis unione.

„Unde manifestum est, conciliarem dici debere Graecorum unionem, conciliarem ipsius unionis actum, et conciliare fundamentum seu instrumentum symbolicum, cui unio innitebatur, et in quod pariter consentiendo dissitae prius partes conveniebant, et quidem in pleno Concilio, tam Graeci illud offerentes quam Latini idem recipientes. Atqui haec duo profecto ut aequivalentia haberi debent, dicere, fidei formulam unanimi consensione in Concilio fuisse receptam, ac illam a Concilio probatam fuisse. Quodsi vero in Concilio per *specialem* expressumque actum formula a Clemente IV. pro unione Graecis proposita non fuit probata, ratio manifesta haec est, quod nulla eiusmodi probatio requirebatur, quum a Romana fidei formula, in quam Orientales consentiebant, Occidentales nec prius dissensissent nec tunc dissentirent. Ceterum et hoc animadverti potest, ipso exercito, ut aiunt, consensionis et unionis actu, virtualiter certe vel aequipollenter approbationem contineri.

„III. Vi etiam carent exceptiones *hermeneuticae* et *exegeticae*, quibus impetuntur

„1. verba Christi Domini apud Matthaeum 16.: ‚Tu es Petrus etc.‘ quasi illis hoc unum indicaretur, Ecclesiam, quae semper habebit Petrum, nunquam posse errare. Etenim

„a) praeterquam quod huiusmodi interpretatio directe opponitur obvio verborum sensui, quibus significatur, *ideo* nunquam superatum iri vel errare posse Ecclesiam, *quia* fundata est supra petram, qui est Petrus; eadem

„b) excluditur per verba sequentia ex formula Hormisdae Hadrianique in schemate allata; per ea enim haec est, eaque authentica dictorum Christi interpretatio, ut *eorundem virtute* ‚in Sede Apostolica immaculata sit semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina‘.

„Haec autem non tantum de simplici *facto*, ut alii excipiunt, sed de constanti ac immutabili quoque *iure* intelligi debere, inde patet, quod allatis eiusdem formulae verbis conservatio immaculatae catholicae religionis et celebratio sanctae doctrinae veluti effectus declaratur necessariae ac immutabilis causae, dictorum nimirum Christi; ita ut vi eorundem Christi dictorum, quae immutabilia manent, quousque durat petra, supra quam Christus suam fundavit Ecclesiam, immutabiliter in Sede Apostolica divino iure immaculata servetur catholica religio et sancta celebretur doctrina.

„Porro excluditur et illa exceptio, quam quidam ex variis Patrum sententiis de iisdem Christi verbis repetunt; quum enim explicatio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dictorum Christi, quam formula Hormisdae suppeditat, ipsum referat totius Ecclesiae sensum, contra hunc varia ac dissona, si quae esset, Patrum interpretatio nihil valeret. Attamen consuluisse iuverit, praeter alios antiquiores recentioresque probatos auctores, commentarium ‚De unitate Romana'[1], de variis, specieque tenus oppositis Patrum interpretationibus, quibus, praeter anteriores Protestantes, Ianseniani, Febroniani, Tamburiani aliique vetustiores abusi sunt, ac recentiores abutuntur, etiamsi iisdem rite acceptis Romanorum Pontificum infallibilitas confirmetur potius quam evertatur.

„2. Neque validius impetuntur verba Christi Domini apud Lucam 22, 32: ‚Ego autem rogavi pro te etc.', quae non ad Romanos Pontifices, sed ad solum Petrum, et quidem pro tempore tantum tentationis suae suique lapsus referenda dicuntur.

„Etenim spectare verba haec ad omnes quoque Petri Apostoli successores, constat e communi huius loci in Ecclesia Dei acceptione, quae tum ex Romanorum Pontificum literis, etiam dogmaticis, *iisque receptis in generalibus quoque Conciliis*, tum ex vulgatissima Patrum scriptorumque ecclesiasticorum interpretatione colligitur, uti videre est apud probatos auctores, cuiusmodi profecto haberi debet Cardinalis Bellarminus[2], qui ex hoc Lucae testimonio, reiectis aliorum oppositis interpretationibus, infallibilitatem Romani Pontificis secundum Patrum explicationem demonstrat; cuius integram expositionem afferre propterea opportunum videtur, quod non deest, qui Bellarmini auctoritatem pro opposita sententia in medium protulerit. Ille itaque hoc pacto disserit:

„‚Hic locus tribus modis exponi solet.

„‚Prima expositio est quorundam Parisiensium supra citatorum, quod Dominus hic oravit pro Ecclesia universali, sive pro Petro ut totius Ecclesiae figuram gerebat; et hoc impetrasse, ut fides Ecclesiae catholicae nunquam deficiat. Quae expositio si ita intelligeretur, ut diceres, immediate oratum esse pro capite Ecclesiae, et consequenter pro toto corpore, quod per caput repraesentatur, vera esset. Sed non

[1] Lib. I. p. 140 sqq.; lib. II. p. 161 sqq.

[2] De Romano Pontifice l. IV. c. 3. — Cf. libellum De Romani Pontificis suprema potestate docendi p. 20 sqq. — Tria praesertim notanda videntur: 1. Catholicos *orientales* Episcopos, duce Sophronio Patriarcha et ore Stephani Dorensis, hanc interpretationem in Concilio Lateranensi a. 649 profiteri; 2. Agathonem Papam ex mente Concilii Romani eandem interpretationem in dogmatica sua epistola, Concilio oecumenico VI. proposita et ab eodem solemniter probata, docere; ex quo consequitur, *occidentales* Episcopos in eadem sententia convenisse; 3. orientales et occidentales Episcopos in Florentina oecumenica Synodo in eadem interpretatione conspirasse, quemadmodum paulo superius ostendebatur.

ita ipsi intelligunt, volunt enim, pro sola Ecclesia esse oratum. Quae expositio falsa est.

„‚Altera expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent, Dominum orasse hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem. At contra . . .' et quinque allatis in contrarium argumentis, pergit:

„‚Est igitur tertia expositio vera, quod Dominus duo privilegia Petro impetravit. Unum, ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur a diabolo; id quod est aliquid amplius quam donum perseverantiae; dicitur enim perseverare usque in finem, qui, licet interdum cadat, tamen resurgit et in fine fidelis invenitur; at Petro Dominus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet. Alterum privilegium est, ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in Sede eius nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem. Ex quibus privilegiis primum fortasse non manavit ad posteros; at secundum sine dubio manavit ad posteros sive successores.'

„Atque utrumque illico confirmat adductis veterum Patrum documentis, quibus tamen pro feliciori temporum conditione, quod ad explorata antiquitatis monumenta spectat, alia facile Patrum testimonia addi possunt, et addita reipsa fuerunt; ita ut hominibus ecclesiasticam sequentibus Scripturae interpretationem nullum de vero huius testimonii sensu dubium superesse possit ac debeat.

„IV. Vi tandem carent exceptiones *dogmaticae*, ad rei ipsius, de qua quaeritur, substantiam spectantes; quasi

„1. allegata Conciliorum documenta referrentur tantum ad Romani Pontificis Primatum, nullatenus vero ad infallibilitatem eiusdem. Enimvero

„a) allegata testimonia referuntur pariter immediate ac directe, ut obvius eorum sensus indicat, ad certam in Ecclesia catholica fidei regulam credendique normam, quae apud Sedis Romanae Episcopum sita esse docetur; quare

„b) si eadem testimonia, quod merito dicitur, ad Romanae Sedis Primatum spectant, profecto teneri debet, cum Romani Pontificis Primatu praerogativam infallibilitatis divino iure esse coniunctam; adeo ut

„c) Primatus, quem beatus Petrus a Christo Domino accepit, quemadmodum apertis verbis Sanctus Leo Magnus in sua epistola ad Episcopos per Illyriam constitutos docet, sit etiam ‚*fidei* Primatus'; fuit enim Petrus, ut eiusdem Sancti Leonis legati in Concilio Chalcedonensi (act. III.) dixerunt: ‚πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ὀρθοδόξης πίστεως θεμέλιος, petra et basis apostolicae Ecclesiae et orthodoxae fidei fundamentum'. Porro Petrus, ut statuit Synodus Aquileiensis, cui aderat S. Ambrosius, ‚fidei columna et Ecclesiae

fundamentum, per successores suos semper vivit'; et ‚cathedra Petri', ut ait S. Bachiarius in Apologia fidei, ‚hoc est, sedes fidei'; vel, ut alia plurimorum Patrum disertissima pariter verba, quae apud theologos passim recurrunt, omittantur, auctore S. Augustino (ep. 105.), ‚doctrinae salutaris cathedra'. Si ergo, ut verissimum est, in allatis fidei formulis sermo de Pontificis Romani Primatu habetur, definiendae pontificiae infallibilitatis thesis non convellitur, sed apprime stabilitur.

„2. Vi caret exceptio, quasi per allegata ex fidei formulis testimonia sit quidem inerrabilis Romana Ecclesia, non autem Romanus Pontifex. Haec enim distinctio, qua Ecclesiae vel Sedi Romanae assererentur praerogativae, quae Romano Pontifici denegarentur, liquido excluditur, quum in Lugdunensi formula dicatur, ‚Ecclesiam Romanam . . . *in* beato Petro . . . cuius Romanus Pontifex est successor, . . . recepisse summum et plenum Primatum etc.'; in formula autem Hormisdae, ‚immaculatam servari religionem *in* Sede Apostolica', scilicet *a* Romanis in illa sedentibus Pontificibus, quum *his* pariter in beato Petro dictum sit: Tu es Petrus etc.

„Tum vero illa ipsa perperam adhibita distinctio, de qua Hormisdae ac Concilii oecumenici VIII. et Lugdunensis II. temporibus nemo certe cogitabat, in proposito schemate aperte excluditur, quum in formula definitionis diserte efferatur, ‚Romanum Pontificem' esse, qui per Spiritus Sancti assistentiam ab errore immunis exsistat.

„3. Neque illud vim habet, quod opponunt, in allatis videlicet Lugdunensis Concilii verbis dici quidem, Pontificem Romanum teneri ‚prae ceteris fidei veritatem defendere', sed non dici ‚seorsum'. Enimvero

„a) neque dicitur ‚una cum ceteris';

„b) est quidem verum, quum dicitur ‚prae ceteris', non significari divisionem; atvero significatur distinctio, et quidem cum praecellentia seu praerogativa, quae ‚summo et pleno Primatui et Principatui' respondeat; quumque additur, ‚prae ceteris teneri fidei veritatem defendere', non significatur, istam praerogativam in fidei defensione exerceri ab eo, qui a ceteris exsistit *separatus,* sed qui *citra et supra ceteros* in fidei causis *agit* et *iudicat.* Id quod

„c) liquido patet ex inciso sequenti: ‚Sic et si quae etc.', quibus Romanus Pontifex significatur *distinctus* a ceteris, inter quos suboriri possint de fide quaestiones; et significatur iisdem *superior,* quorum de fide quaestiones ipse suo iudicio definiat.

„Quamvis igitur per phrasim Lugdunensem non indicetur, Romanum Pontificem ceu caput a ceteris ceu corpore esse separatum sive divisum, aperte tamen indicatur, eundem quoad actus quosdam, quod certe capitis est, a ceteris esse distinctum, itemque iisdem superiorem, ita ut ceteri eiusmodi actus aut nullatenus habeant, aut obnoxie tantum et dependenter a Romano Pontifice exerceant."

In altera relatione[1] Rm̃us Episc. Brixinensis aliqua affert ad ea refutanda, quae in Congregationibus generalibus ad elevandam vim testimoniorum Conciliorum illorum obiecta erant.

Animadversum erat, locum Concilii Constantinopolitani IV. seu formulam Hormisdae „nihil continere nisi fiduciam, nunquam futurum esse, ut cathedrae S. Petri accidat, quod de tot sedibus apostolicis actum esse dolemus; sed successores Principis apostolorum fidem tuendi et fratres confirmandi munere usque ad finem mundi functuros esse".

Episcopus igitur Brixinensis eam interpretationem dicit nec literae convenire nec sensui historico documenti. Quod prius simplici formulae lectione ostendit. Deinde pergit: „Quod ad sensum attinet, sensus manifestus horum verborum utique hic est: Ut Oriens divulsus a Sede Apostolica iterum communionem cum ipsa Sede Apostolica et cum Ecclesia catholica reciperet, solemnem professionem fidei Episcopi circa praerogativam Sedis Apostolicae emittere debebant, sc. hoc esse rectae fidei regulam custodire, si spe et fide firmiter tenemus, Domini nostri Iesu Christi promissionem Petro factam non posse praetermitti, sicut reapse eventu comprobata est, scilicet in eo quod immaculata semper servata est in Sede Apostolica vera religio.

„Contra testimonium ex Concilio Lugdunensi allatum dictum fuit, illud nec a Concilio adhibitum neque confirmatum fuisse. Ne repetam ea, quae iam hac de re relator capitis tertii dixit, solummodo de uno paucissima proferam, sc. ad demonstrandum, quod formula ista fidei a Concilio Lugdunensi non fuerit adhibita, obiicitur, illam formulam in Concilio non fuisse discussam. Hoc utique verum est, sed exinde nihil probatur contra auctoritatem huius documenti; e contrario firmatur magis auctoritas illius. Nam causa huius rei nulla alia est, quod sc. in Concilio Lugdunensi non fuerit discussa haec professio fidei, causa huius rei nulla alia est, quam quod agebatur de re non nova, non de re nondum eliquata, sed de re, in quantum referebatur ad Romani Pontificis Primatum, iam dudum per universam Ecclesiam tempore Papae Hormisdae in Concilio Constantinopolitano IV. approbata, et de qua inter Latinos nulla fuit dubitatio.

„Hanc fuisse causam omissae discussionis, patet ex epistola, quam Papa Clemens IV. ad Imperatorem Michaelem Palaeologum dederat, et cum ipsa formulam eandem, quae postea in Concilio Lugdunensi II. praelecta fuit, transmiserat. Cum enim Imperator Clementi IV. consilium suum communicasset in Oriente convocandi Concilii, ut de hac forma disceptaretur, Papa respondit his verbis: ‚Porro perscriptam purissimam, certissimam et solidissimam orthodoxae fidei veritatem et evangelicae doctrinae consonam, a sanctis Patribus et Romanorum

[1] C. V. 394b sqq.

Pontificum in suis synodis definitione firmatam, sicut nec decet, sic nec volumus novae discussioni ac definitioni subiacere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas et licitum in dubium revocando. Ideoque licet in praefata scriptura (sc. in epistola Imperatoris) de convocatione Concilii ageretur; licet tu (Imperator) per tuas praefatas literas Concilium in terra tua convocari petieris; Nos tamen nullo modo proponimus, Concilium ad discussionem seu definitionem huiusmodi convocare; non quod cuiusquam faciem vereamur, vel eandem sacrosanctam Romanam Ecclesiam Graecorum superari prudentia timeamus; sed quia prorsus indecens foret, imo nec licet nec expedit, in dubium revocari praemissam verae fidei puritatem, tot sacrae paginae auctoritatibus, tot sanctorum roboratam sententiis, tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam; pro cuius defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium et morti etiam exponere corpus nostrum.'[1] Ita Clemens. Itaque mirum non est, quod etiam Gregorius X. in Concilio Lugdunensi discussionem huius formulae non permisit.

„Tertium documentum desumptum est ex Concilio Florentino. De iis, quae in schemate nostro afferuntur ex Concilio Florentino, dictum est, nihil in iis contineri, quod sobrius interpres ad stabiliendam doctrinam infallibilitatis adhibere possit. Ast mentem Patrum Florentinorum longe aliam fuisse, patet ex illo commentario, quem fr. Ioannes coram Papa Eugenio IV. et coram Imperatore Ioanne Palaeologo, ut Imperator resciret, quisnam sit sensus formulae, quae de Romano Pontifice agebat, de iis instituit. Itaque incisa per singula declarans, incisum illud: *Romanum Pontificem Ecclesiae caput, omnium christianorum patrem et doctorem exsistere*, explicans, in haec verba desiit: ‚Cum omnes christiani in fide conveniant et convenire debeant, ipse (Romanus Pontifex) ponitur doctor immaculatae fidei propter privilegium concessum Petro.' Explicans incisum illud: *Eidem Sedi et Romano Pontifici in b. Principe Apostolorum pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam plenariam [traditam] esse potestatem*, adduxit fr. Ioannes epistolam S. Agathonis Papae ad Imperatorem Constantinum, respective ad Concilium Constantinopolitanum III., et exinde sequentem conclusionem deduxit: ‚In hac auctoritate (Agathonis scilicet) tria haec manifeste asseruntur. Primo, quod pascere omnes oves sit commissum Petro et successoribus suis. Secundo, quod Sedes Apostolica nunquam in aliqua erroris parte depressa est, sed semper mansit immaculata in fide. Tertio, quod tanta est eius auctoritas, quod universalis Ecclesia et universae synodi semper fideliter secutae sunt, et patres catholici semper susceperunt eius apostolicam

[1] Cozza, Hist. polem. de Graecor. schismate t. II, part. IV, cap. XXVIII, n. 1218.

doctrinam, et quod illa verba *(ut non deficiat fides tua)* intelliguntur de Sede Apostolica, et quod sit immunis ab haeresi, atque confirmationem omnium fratrum titubantium in fide ad ipsam sedem et Romanum Pontificem pertinere.'[1] Sic ergo res explicata fuit in ipso Concilio Florentino, et hic sensus utique tanquam authenticus habendus est, cum ex industria, Romano Pontifice iubente, ut Imperator sensum formulae resciret, fuerit propositus.

„Ex his dictis manifestissime apparet, quod cum definitionem Florentinam ad stabiliendam Romani Pontificis infallibilitatem adduximus, verbis sensum alienum nullo modo supponimus, sed revera illa ex mente Patrum Florentinorum interpretamur, et quod particula *hinc*, quae partem primam cum secunda connectit per conclusionem, et quae a pluribus oratoribus impugnata fuit, locum suum iure occupat."

COMMENTATIO VIII.

Romani Pontificis infallibilitas num dicenda sit vel quo sensu dici possit personalis, separata, absoluta, eius solius propria.

Ante ipsum Concilium inchoatum in controversiis de infallibilitate pontificia excitatis multum contra eam, utpote infallibilitatem personalem atque separatam et absolutam[2], disputatum est. Quum etiam Patres quidam in animadversionibus de capite addendo oblatis[3] easdem voces usurpassent atque inde difficultates contra doctrinam propositam excitassent, etiam deputatio de fide in ea relatione, quam cum novo Constitutionis schemate Patribus tradidit, de ea re agit.

Imprimis *vocem „personalis infallibilitatis"* in schemate occurrere negat. „Si vero de *re* per vocem significata sermo sit," inquit, „infallibilitas eodem verissimo sensu personalis dicitur, et dicta etiam fuit, quo tota Primatus potestas ad excludendam Richerianorum haeresim[4] personalis esse dicitur, quatenus scilicet praerogativa infallibilitatis ipsi *personae* Apostoli Petri *directe* ac *immediate* collata fuit a Christo Domino dicente: ‚Tu es Petrus etc.', quemadmodum in Hormisdae formula fidei prius exposita declaratum est.

„Quum vero illa praerogativa personae beati Petri Apostoli et in Petro unicuique personae ex suis in Romana Sede successoribus *eatenus* collata sit, quatenus Petrus esset a Christo Domino petra ac

[1] Labbe, Collect. Concil. t. XVIII, col. 1154 sqq., edit. Venet. Coleti.

[2] Cf. Rmi Dechamps ad Rmum Dupanloup literas C. V. 288 d sqq. — Eiusdem epistolam ad sacerdotem Gratry C. V. 1381 b. — Relatio etc. C. V. 300 a.

[3] Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 107.

[4] De ea doctrina v. schema pristinum de Ecclesia, adnot. 23. C. V. 612 b. c. Cf. infra cap. III. adnot. ad verba „immediate et directe" in primo capite Constitutionis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pontificum in suis synodis definitione firmatam, sicut nec decet, sic nec volumus novae discussioni ac definitioni subiacere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas et licitum in dubium revocando. Ideoque licet in praefata scriptura (sc. in epistola Imperatoris) de convocatione Concilii ageretur; licet tu (Imperator) per tuas praefatas literas Concilium in terra tua convocari petieris; Nos tamen nullo modo proponimus, Concilium ad discussionem seu definitionem huiusmodi convocare; non quod cuiusquam faciem vereamur, vel eandem sacrosanctam Romanam Ecclesiam Graecorum superari prudentia timeamus; sed quia prorsus indecens foret, imo nec licet nec expedit, in dubium revocari praemissam verae fidei puritatem, tot sacrae paginae auctoritatibus, tot sanctorum roboratam sententiis, tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam; pro cuius defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium et morti etiam exponere corpus nostrum.'[1] Ita Clemens. Itaque mirum non est, quod etiam Gregorius X. in Concilio Lugdunensi discussionem huius formulae non permisit.

„Tertium documentum desumptum est ex Concilio Florentino. De iis, quae in schemate nostro afferuntur ex Concilio Florentino, dictum est, nihil in iis contineri, quod sobrius interpres ad stabiliendam doctrinam infallibilitatis adhibere possit. Ast mentem Patrum Florentinorum longe aliam fuisse, patet ex illo commentario, quem fr. Ioannes coram Papa Eugenio IV. et coram Imperatore Ioanne Palaeologo, ut Imperator resciret, quisnam sit sensus formulae, quae de Romano Pontifice agebat, de iis instituit. Itaque incisa per singula declarans, incisum illud: *Romanum Pontificem Ecclesiae caput, omnium christianorum patrem et doctorem exsistere*, explicans, in haec verba desiit: ‚Cum omnes christiani in fide conveniant et convenire debeant, ipse (Romanus Pontifex) ponitur doctor immaculatae fidei propter privilegium concessum Petro.' Explicans incisum illud: *Eidem Sedi et Romano Pontifici in b. Principe Apostolorum pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam plenariam [traditam] esse potestatem*, adduxit fr. Ioannes epistolam S. Agathonis Papae ad Imperatorem Constantinum, respective ad Concilium Constantinopolitanum III., et exinde sequentem conclusionem deduxit: ‚In hac auctoritate (Agathonis scilicet) tria haec manifeste asseruntur. Primo, quod pascere omnes oves sit commissum Petro et successoribus suis. Secundo, quod Sedes Apostolica nunquam in aliqua erroris parte depressa est, sed semper mansit immaculata in fide. Tertio, quod tanta est eius auctoritas, quod universalis Ecclesia et universae synodi semper fideliter secutae sunt, et patres catholici semper susceperunt eius apostolicam

[1] Cozza, Hist. polem. de Graecor. schismate t. II, part. IV, cap. XXVIII, n. 1218.

doctrinam, et quod illa verba *(ut non deficiat fides tua)* intelliguntur de Sede Apostolica, et quod sit immunis ab haeresi, atque confirmationem omnium fratrum titubantium in fide ad ipsam sedem et Romanum Pontificem pertinere.'[1] Sic ergo res explicata fuit in ipso Concilio Florentino, et hic sensus utique tanquam authenticus habendus est, cum ex industria, Romano Pontifice iubente, ut Imperator sensum formulae resciret, fuerit propositus.

„Ex his dictis manifestissime apparet, quod cum definitionem Florentinam ad stabiliendam Romani Pontificis infallibilitatem adduximus, verbis sensum alienum nullo modo supponimus, sed revera illa ex mente Patrum Florentinorum interpretamur, et quod particula *hinc*, quae partem primam cum secunda connectit per conclusionem, et quae a pluribus oratoribus impugnata fuit, locum suum iure occupat."

COMMENTATIO VIII.

Romani Pontificis infallibilitas num dicenda sit vel quo sensu dici possit personalis, separata, absoluta, eius solius propria.

Ante ipsum Concilium inchoatum in controversiis de infallibilitate pontificia excitatis multum contra eam, utpote infallibilitatem personalem atque separatam et absolutam[2], disputatum est. Quum etiam Patres quidam in animadversionibus de capite addendo oblatis[3] easdem voces usurpassent atque inde difficultates contra doctrinam propositam excitassent, etiam deputatio de fide in ea relatione, quam cum novo Constitutionis schemate Patribus tradidit, de ea re agit.

Imprimis *vocem „personalis infallibilitatis"* in schemate occurrere negat. „Si vero de *re* per vocem significata sermo sit," inquit, „infallibilitas eodem verissimo sensu personalis dicitur, et dicta etiam fuit, quo tota Primatus potestas ad excludendam Richerianorum haeresim[4] personalis esse dicitur, quatenus scilicet praerogativa infallibilitatis ipsi *personae* Apostoli Petri *directe* ac *immediate* collata fuit a Christo Domino dicente: ‚Tu es Petrus etc.', quemadmodum in Hormisdae formula fidei prius exposita declaratum est.

„Quum vero illa praerogativa personae beati Petri Apostoli et in Petro unicuique personae ex suis in Romana Sede successoribus *eatenus* collata sit, quatenus Petrus esset a Christo Domino petra ac

[1] Labbe, Collect. Concil. t. XVIII, col. 1154 sqq., edit. Venet. Coleti.

[2] Cf. Rmi Dechamps ad Rmum Dupanloup literas C. V. 288 d sqq. — Eiusdem epistolam ad sacerdotem Gratry C. V. 1381 b. — Relatio etc. C. V. 300 a.

[3] Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 107.

[4] De ea doctrina v. schema pristinum de Ecclesia, adnot. 23. C. V. 612 b. c. Cf. infra cap. III. adnot. ad verba „immediate et directe" in primo capite Constitutionis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fundamentum universalis Ecclesiae constitutus, vel quatenus apostolico munere universalis doctoris ac pastoris totius Ecclesiae insignire-tur, propterea Romanorum Pontificum infallibilitas eo sensu ‚personalis' communiter non dicitur, ac si infallibilitas illis conveniret uti personis mere privatis. Hinc in schematis formula diserte dicitur: ‚Romanus Pontifex . . . cum supremi doctoris munere fungens etc.'" [1]

Postea agitur in relatione etiam de voce separatae infallibilitatis.

Neque tamen in Congregationibus generalibus, ut ait Brixinensis in relatione nomine deputationis de emendationibus Patrum habita [2], voculae istae „infallibilitas *personalis, separata* et *absoluta*", „quae iam toties ex hac aula exulare iussae sunt", exularunt. Itaque explicat, quo sensu infallibilitas pontificia dici possit *personalis*. „Dicenda est *personalis*, ut sic excludatur distinctio inter Romanum Pontificem et Romanam Ecclesiam. Porro infallibilitas dicitur personalis, ut sic excludatur distinctio inter sedem et sedentem. Cum haec distinctio in Congregationibus generalibus nullos nacta fuerit patronos, etiam de iis aliquid addendo supersedeo [3]. Reiecta ergo distinctione inter Ecclesiam Romanam et Romanum Pontificem, inter sedem et sedentem, id est inter seriem universam et inter singulos Romanos Pontifices in hac serie sibi succedentes, defendimus personalem Romani Pontificis infallibilitatem eatenus, quatenus haec praerogativa omnibus et singulis legitimis Petri in cathedra eius successoribus ex Christi promissione competit.

„His dictis, notio infallibilitatis pontificiae nondum sufficienter est definita. Infallibilitas personalis Papae in se ipsa debet accuratius definiri, quod nempe non competit Romano Pontifici, quatenus est persona privata, neque etiam quatenus est doctor privatus; nam qua talis par est aliis doctoribus privatis, et par in parem, ut scite animadvertit Caietanus, non habet imperium, quale tamen Romanus Pontifex exercet in universam Ecclesiam. Hinc non loquimur de infallibilitate personali, quamvis personae Romani Pontificis eam vindicemus, sed non quatenus est persona singularis, sed quatenus est persona Romani Pontificis, seu persona publica, id est caput Ecclesiae in sua relatione ad Ecclesiam universalem. Neque etiam dicendus est Pontifex infallibilis simpliciter ex auctoritate Papatus, sed ut subest divinae assistentiae dirigenti in hoc certo et indubie. Nam auctoritate

[1] Relatio etc. C. V. 285 a. [2] Relatio de emendationibus cap. IV. C. V. 398 d sqq.

[3] In observationibus Patrum de capite addito animadversum erat, secundum fidei formulas in capite allegatas esse quidem inerrabilem Romanam Ecclesiam, sed non Romanum Pontificem. Id in deputationis relatione cum schemate tradita negatur (C. V. 283 a. b). V. supra comment. VII. p. 172.

Papatus Pontifex est semper supremus iudex in rebus fidei et morum, et omnium christianorum pater et doctor; sed assistentia divina ipsi promissa, qua fit, ut errare non possit, solummodo tunc gaudet, quum munere supremi iudicis in controversiis fidei et universalis Ecclesiae doctoris reipsa et actu fungitur. Hinc sententia: Romanus Pontifex est infallibilis, non quidem ut falsa debet traduci, cum Christus personae Petri et personae successoris eius illam promiserit; sed est solummodo incompleta, cum Papa solummodo sit infallibilis, quando solemni iudicio pro universa Ecclesia res fidei et morum definit."

Porro deputati in relatione de Patrum observationibus, de voce infallibilitatis *separatae* agentes [1], doctrina de infallibilitate pontificia Romanum Pontificem uti caput ab Episcopis ceu corpore dividi negant. „Nam . . . considerari debet," inquiunt, „aliud esse, Romanum Pontificem per se, citra Episcopos tam dispersos quam in Concilio sive generali sive partiali unitos, habere praerogativam infallibiliter omnes fideles docendi et pascendi; et aliud, eum sive habitu sive actu unquam segregari vel separari ab obnoxiis sibi sive agnis sive ovibus; imo quum Romanus Pontifex veluti *caput* docendo regendoque in totum corpus influit, coniunctionis vincula inter ipsum et universum gregem attrahuntur et confirmantur. Tota igitur quaestio ad hoc revocatur, utrum Romano Pontifici per se reapse eiusmodi actus *capitis* ac supremi doctoris conveniat, quo citra reliqua membra vel citra reliquos doctores simul concurrentes totum corpus vel totum gregem docere et pascere possit. Atqui hoc sensu Romano Pontifici infallibiliter docendi auctoritatem divinitus collatam fuisse, in schemate proponitur.

„Ast, inquiunt, in illa hypothesi inutilia fierent Concilia, et Episcopi cessarent esse iudices.

„Verum ad *priorem* exceptionem iam respondit Cardinalis Bellarminus [2]. ‚Respondeo,' inquit, ‚id non sequi. Nam etsi in Pontifice sit infallibilitas, tamen non debet ipse contemnere media humana et ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem, de qua agitur. Medium autem ordinarium est Concilium maius aut minus pro magnitudine vel parvitate rei, de qua agitur. Id quod patet primo exemplo Apostolorum. Nam certe tam Petrus quam Paulus poterant etiam soli quamlibet controversiam infallibiliter definire; et tamen Concilium convocaverunt: Actor. 15. . . .' Et alio loco [3] etiam luculentius statuit, ‚generalium Conciliorum convocationes utilissimas et suo quodam modo necessarias, non tamen absolute et simpliciter necessarias esse. . .' ‚Etsi vero Summus Pontifex iudex est, vice Christi, omnium controversiarum, eique obtemperare debet fraternitas uni-

[1] Relatio de observationibus etc. C. V. 286 a sqq.

[2] De Rom. Pontif. l. IV. c. 7. [3] De Conciliis l. I. c. 10 sq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

versa, ut Cyprianus loquitur l. I. ep. 3., et nos in libris de Pontifice multis argumentorum generibus demonstravimus, tamen non debet Pontifex in controversiis fidei diiudicandis aut soli suo iudicio fidere, aut exspectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, et ordinaria media; et tum demum exspectare assistentiam Spiritus Sancti et directionem divinam. Porro medium ordinarium ac proinde necessarium esse Concilium magnum aut parvum, unum vel plura, prout ipse iudicaverit, facile probari potest.' Infallibilitas igitur Romani Pontificis nullatenus evertit aut inutilia reddit Concilia sive generalia sive particularia.

„Sed neque efficit Romani Pontificis infallibilitas, ut Episcopi cessent esse veri proprieque dicti in causis fidei *iudices,* tum quia veri sunt et remanent iudices proximi in suis dioecesibus, in Synodis dioecesanis et provincialibus; tum quia ex eo, quod Pontifex infallibilis est, nullatenus sequitur, eum omnia per se et citra iudicium aliorum Episcoporum definire velle aut definire debere; tum denique, quia ex theologorum doctrina Romanorum Pontificum non minus ac ipsorum Conciliorum irreformabilia decreta subiici possunt Episcoporum examini ac iudicio, non quidem dissensionis vel reiectionis, sed quod instructionis, assensionis atque approbationis appellant, quodque ad plenam *causae cognitionem* pertinet; cuiusmodi examen in Concilio Chalcedonensi instituebatur circa dogmaticam Sancti Leonis Magni epistolam. De qua re praeter alios graves auctores consulatur Ballerini: De vi ac ratione Primatus c. 13."

Quum utrumque hoc in Congregationibus generalibus saepius obiiceretur atque ipsa divina Ecclesiae constitutio infallibilitatis pontificiae definitione in periculum vocari diceretur, Episcopus Brixinensis in relatione nomine deputationis habita[1] de ea re accuratius disserit:

„Dictum est: Concilia generalia in posterum iam non erunt necessaria. Respondeo: Erunt in posterum necessaria, sicut erant temporibus anteactis necessaria; absolute necessaria nunquam erant, si agebatur solummodo de veritate certe cognoscenda ab iis Christi fidelibus, qui erant bonae voluntatis. Poterant enim veritatem cognoscere per ordinarium magisterium Ecclesiae, id est, Episcoporum communionem cum sacra Apostolica Sede habentium: ubi enim Ecclesia, ibi est Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, ibi veritas est; omnis gratia Spiritus, Spiritus autem est veritas, dicit S. Irenaeus. Poterant veritatem cognoscere ex solemnibus dogmaticis definitionibus Romanorum Pontificum: ‚Quid adhuc quaeris examen,' dicit Augustinus ad Iulianum[2], ‚quod iam factum est apud Sedem Apostolicam?' His verbis clare indigitans, prolato iudicio Sedis Apostolicae, de veritate iam certum et irrefragabile adesse testimonium, dummodo adsit bona voluntas illi sese submittendi. Ergo non pro veritate cognoscenda erant necessariae Synodi generales, sed ad errores reprimendos. Cum enim errores ita invalescerent, ut respublica christiana quodammodo periclitaretur, Ecclesia catholica solemnissimum iudicium per Concilium generale iis obiecit. Sed solemnissimum iudicium Ecclesiae de rebus fidei et morum est ac semper erit iudicium Concilii oecumenici, in quo Papa iudicat simul assidentibus et coniudicantibus orbis catholici Episcopis.

[1] C. V. 397a sqq.

[2] Contra Iulian. lib. II. n. 103. [Migne P. L. XLV. 1183.]

„Sed instant et dicunt: Concilia generalia in posterum non erunt libera; Episcopi non amplius erunt veri iudices. Respondeo, erunt libera, sicut libera fuerunt temporibus anteactis. Nam Concilia etiam in posterum ita habebuntur, ut de rebus in Concilio pertractandis aut nulla praecedat definitio dogmatica Romani Pontificis, vel ut talis revera praecedat. In priori casu, si Papa propositiones integras integre Concilio pertractandas relinquit, Concilium plena sua libertate in Domino uti poterit; in posteriori casu Concilium omnino id aget, quod in simili casu egerunt Concilia generalia.

„Exemplum sit Constantinopolitanum III. in sua agendi ratione cum epistola dogmatica Papae Agathonis. Priores septem actiones huius Concilii occupabant quaedam praeambula, id est, lectio documentorum, quae Concilium concernebant. Ad finem actionis septimae legati Romani Pontificis postularunt, ut Patres Concilii declararent, utrum consentiant suggestioni seu epistolae Agathonis. Haec declaratio promissa fuit pro actione sequenti. In actione itaque octava Patres Concilii declararunt: ‚Ita, Domine (ad imperatorem conversi), profiteor, et sic credo, quemadmodum habent suggestiones sanctissimi Papae antiquae Romae Agathonis.'[1] Haec ergo declaratio certe nihil aliud fuit nisi iudicium verae et fidelis adhaesionis. Cum vero Macarius Antiochenus, qui postmodum etiam definitionibus Concilii pertinaciter contradixit, his non acquiesceret, Patres Concilii, ut omnibus dubitationibus satisfacerent, ipsi et asseclis suis permiserunt, ut allatis testimoniis Patrum opinionem suam defenderent. Haec testimonia examini et iudicio subiecta inventa sunt partim spuria partim mutilata, et proinde a Concilio fuerunt reiecta. His opposita sunt testimonia S. Scripturae et Patrum, quae epistolae Papae Agathonis adiecta erant; haec quoque examine instituto cum omnibus optimis codicibus collata fuerunt. Cum iam luce clarius apparerent illa integra, authentica et probantia, Concilium devenit ad definitionem synodalem de duplici in Christo voluntate et operatione; et in hac definitione, ut expressis verbis dicit sacra Synodus, epistolam Papae Agathonis iterum veluti normam vivam ante oculos positam habuit.

[1] Labb. Collect. tom. VII. col. 758, edit. Venet. Coleti.

Sic ergo sacra Synodus solemni iudicio obedientiam Romano Pontifici debitam cum sua libertate conciliavit, ‚ut vere (sunt verba S. Leonis de Concilio Chalcedonensi) a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis iudicium recepisset: ut in hoc quoque capiti membra concordent' [1]. In hac concordia membrorum cum capite resplendet clarissime assistentia Spiritus Sancti Ecclesiae promissa. Sic egit sacra Synodus VI., et sic omnes aliae egerunt."

De alia autem quaestione, quo sensu infallibilitas Summi Pontificis dici possit *separata*, Episc. Brixinensis in eadem relatione [2] haec disserit: „Dici potest *separata* seu potius distincta, quia fundata est in speciali promissione Christi, et proinde etiam in speciali assistentia Spiritus Sancti, quae non est una eademque cum illa, qua gaudet totum corpus Ecclesiae docentis iunctum cum suo capite. Nam cum Petrus eiusque successor sit centrum unitatis ecclesiasticae, cuius est Ecclesiam in unitate fidei et charitatis conservare, et turbatam reparare, conditio eius et relatio eius ad Ecclesiam est prorsus specialis; et huic conditioni speciali et distinctae respondet privilegium speciale et distinctum. In hoc ergo sensu competit Romano Pontifici infallibilitas separata. Sed ideo non separamus Pontificem ab ordinatissima coniunctione cum Ecclesia. Papa enim solummodo tunc est infallibilis, quando omnium christianorum doctoris munere fungens, ergo universalem Ecclesiam repraesentans, iudicat et definit, quid ab omnibus credendum vel reiiciendum. Ab Ecclesia universali tam separari non potest, quam fundamentum ab aedificio, cui portando destinatum est. Non separamus porro Papam infallibiliter definientem a cooperatione et concursu Ecclesiae, saltem id est in eo sensu, quod hanc cooperationem et hunc concursum Ecclesiae non excludimus. Hoc patet ex fine huius praerogativae divinitus concessae.

„Finis eiusdem est conservatio veritatis in Ecclesia. Talis definitionis ergo tunc est vel maxime locus, cum alicubi in Ecclesia scandala circa fidem, dissensiones et haereses exoriantur, quibus reprimendis Antistites ecclesiarum singillatim vel etiam in Concilio provinciali congregati impares sunt, ita ut ad sanctam Sedem Apostolicam hac de causa referre cogantur; vel si ipsi Antistites tristi erroris labe infecti fuerint. Hanc cooperationem Ecclesiae tum ideo non excludimus, quia infallibilitas Pontificis Romani non per modum inspirationis vel revelationis, sed per modum divinae assistentiae ipsi obvenit. Hinc Papa pro officio suo et rei gravitate tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam; et eiusmodi media

[1] Inter opp. S. Leonis tom. I. epist. 120. ad Theodoret. episc. Cyri, p. 1219, edit. Baller.

[2] C. V. 399 c sqq.

sunt Concilia vel etiam consilia Episcoporum, Cardinalium, theologorum etc. Haec media pro diversitate rerum utique sunt diversa, et pie debemus credere, quod in divina assistentia Petro et successoribus eius a Christo Domino facta simul etiam contineatur promissio mediorum, quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis iudicium.

„Demum Papam non separamus, et vel minime separamus a consensu Ecclesiae, dummodo consensus iste non ponatur ceu conditio, sive sit consensus antecedens sive sit consequens. Non possumus separare Papam a consensu Ecclesiae, quia hic consensus nunquam ipsi deesse potest. Cum enim credimus, Papam per assistentiam divinam esse infallibilem, eo ipso etiam credimus, iis definitionibus assensum Ecclesiae non esse defuturum; cum fieri non possit, quod corpus Episcoporum separetur a suo capite, et cum Ecclesia universa deficere non possit. Impossibile enim est, generalem obscurationem spargi, ut Synodus Pistoriensis aiebat, super veritates gravioris momenti spectantes ad religionem."

Quaerit tandem Episc. Brixinensis in eadem relatione [1], „quo sensu infallibilitas Pontificis Romani sit *absoluta*". „Respondeo et ingenue fateor", inquit, „nullo in sensu infallibilitas pontificia est absoluta; nam infallibilitas absoluta competit soli Deo, primae et essentiali veritati, qui nullibi et nunquam fallere et falli potest. Omnis alia infallibilitas utpote communicata ad certum finem habet suos limites et suas conditiones, sub quibus adesse censetur. Idem etiam valet de infallibilitate Romani Pontificis. Etiam haec certis limitibus et conditionibus est adstricta; quaenam vero sint eae conditiones, non a priori, sed ex ipsa promissione sive manifestatione voluntatis Christi debet deduci. Quid iam ex Christi promissione Petro et successori eiusdem facta quoad has conditiones consequitur? Promisit Petro donum inerrantiae in ipsius relatione ad Ecclesiam universalem: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam* [2]. . . *Pasce oves meas, pasce agnos meos* [3]. Petrus extra hanc relationem ad Ecclesiam universalem positus in suis successoribus hoc veritatis charismate ex certa illa promissione Christi non gaudet. Proinde reapse infallibilitas Romani Pontificis restricta est ratione *subiecti*, quando Papa loquitur tanquam doctor universalis et iudex supremus in Cathedra Petri, id est in centro, constitutus; restricta est ratione *obiecti*, quando agitur de rebus fidei et morum; et ratione *actus*, quando definit, quid sit credendum vel reiiciendum ab omnibus Christi fidelibus."

Erant autem inter Patres, qui Summum Pontificem in definienda aliqua doctrina ita a consilio Episcoporum vel consensu Ecclesiae

[1] C. V. 400 d sqq. [2] Matth. 16, 18. [3] Ioann. 21, 15 sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dependere putarent, ut eum, nisi hunc consuleret, infallibiliter quaestionem decidere posse negarent. Alii saltem sive in ipso decreto sive adiecta Constitutione praescribi volebant, ut Summus Pontifex, quum de definienda quaestione ageretur, prius Episcopos in consilium adhiberet.

Unus v. g. volebat, ipsum Summum Pontificem per *Apostolicam Constitutionem* definitioni „subiungendam modum concursus sive cooperationis Episcoporum statuere semper servandum, quo videlicet a) in casibus, ubi apostolica iudicia contra exortos errores ferenda fuerint, praevie in consilium adsciscerentur Episcopi illius provinciae vel illarum provinciarum, in quibus novi errores emerserint vel adoleverint; b) in locutionibus autem sive decisionibus vel doctrinis de fide ex Cathedra emittendis praevie in consilium adsciscerentur Episcopi ecclesiarum, vel eorum requireretur de deposito fidei testimonium, prout mos ille iamdudum invaluisse constat.“ [1]

Alius rogat, ut formula definitionis reformetur et dicatur: „Romanum Pontificem . . . vi assistentiae divinae ipsi promissae errare non posse, quum *unitus cum Episcopis, sive in Concilio congregatis, sive per orbem dispersis*, supremi omnium christianorum doctoris munere fungens etc. definit“; — vel ut eodem loco ad mentem S. Antonini [?] verba sequentia inserantur: „quum *consilio Episcoporum et auxilio Ecclesiae utens*“ etc.; — vel etiam ad mentem Bellarmini [?] insertis verbis sequentibus: *„audito consilio aliorum Pastorum“*; vel adhibita alia simili formula.

„In omnibus his formulis“, inquit emendator,

„1. declaratur, Summum Pontificem non solum in Concilio oecumenico, sed etiam extra Concilium infallibili auctoritate rem aliquam decernere posse, quod nondum definitum et certe res maximi momenti est, ut depositum fidei intemerate custodiatur;

„2. variae sententiae eorum admittuntur, qui omnes docent, Summum Pontificem, quum ex Cathedra loquitur, nunquam solum, sed semper coniunctum cum Episcopis loqui, quin resolvantur difficillimae quaestiones, an et quo modo haec coniunctio cum Episcopis se manifestare debeat;

„3. altera quaestio, an Pontifex, etiamsi solus rem aliquam definiat, infallibilis sit, in eo relinquitur statu, quem antea occupavit tanquam sententia probabilis, sed non certa, prout dicit Bellarminus.“ [? V. infra 187 sq.] [2]

De his aliisque similibus [3] emendationibus a Patribus propositis acturus Episc. Brixinensis, postquam animadvertit, infallibilitatem

[1] Emendationes etc. C. V. 377 c. d. [2] Ibid. C. V. 378 b. c.

[3] Emend. 36 sqq. C. V. 377 c sqq. Cf. etiam Relatio de observationibus etc. C. V. 283 b. c.

Summi Pontificis restrictam esse ratione subiecti, obiecti, actus, ita pergit [1]: „Nonnulli ex Rmis Patribus, his non contenti, ulterius progrediuntur et volunt etiam in hanc Constitutionem dogmaticam inducere conditiones, quae in tractatibus theologicis diversae in diversis inveniuntur, et quae bonam fidem et diligentiam Pontificis in veritate indaganda et enuntianda concernunt; quae proinde, quum non relationem Pontificis, sed conscientiam ipsius ligent, ordini potius morali quam dogmatico accensendae sunt. Piissime enim Dominus noster Iesus Christus charisma veritatis non a conscientia Pontificis, quae est uniuscuiusque res privata, imo privatissima, soli Deo cognita, sed a relatione Pontificis publica ad universalem Ecclesiam dependens voluit; quia alias hoc infallibilitatis donum medium efficax ad unitatem Ecclesiae conservandam et reparandam non esset. Sed ideo nil timendum, ac si per malam fidem et negligentiam Pontificis universalis Ecclesia in errorem circa fidem induci posset. Nam tutela Christi et assistentia divina Petri successoribus promissa est causa ita efficax, ut iudicium Summi Pontificis, si esset erroneum et Ecclesiae destructivum, impediretur; aut, si reapse Pontifex ad definitionem deveniat, illa infallibiliter vera exsistat.

„Ast instant et dicunt: Manet ergo officium Pontificis, et quidem in suo genere gravissimum, media illa apta ad veritatem indagandam adhibendi, et quamvis haec res non sit stricte dogmatica, est tamen dogmati intime connexa. Definimus enim: Iudicia dogmatica Romani Pontificis sunt infallibilia. Ergo definiamus etiam formam in tali iudicio a Pontifice servandam. Haec, ut mihi videtur, erat mens quorundam Rmorum Patrum, quos ex hoc ambone loquentes audivi. Ast, Emi ac Rmi Patres, hoc fieri nullo modo potest; nam non agitur de re nova. Iam millena et millena iudicia dogmatica a Sede Apostolica emanarunt; ubi vero est canon, qui formam in eiusmodi iudiciis servandam praescripserit?

„Dicat forsan aliquis: Si non habemus canonem, faciamus canonem. Ast absit hoc a nobis, ne impingamus in canonem illum damnatum, quod Concilium sit supra Papam. Insuper ad quid valeret eiusmodi canon? Annon prorsus inutilis esset, cum nunquam possit verificari a fidelibus et Episcopis in orbe dispersis? imo res esset valde periculosa, cum innumeris cavillationibus et anxietatibus ansam praeberet. Ergo cingat Petrus semetipsum iuxta verbum Domini nostri Iesu Christi, cum Petrus senescente mundo non senescat, sed sicut aquilae renovetur virtus eius.

„Sed adhuc instant et dicunt: Quidquid sit de illis mediis humanis, auxilium Ecclesiae, assensus Ecclesiae, id est testimonium et consilium Episcoporum, non solummodo non potest excludi a defini-

[1] Relatio etc. C. V. 401 b sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tione infallibilitatis, sed debet inter conditiones, quae sunt de fide, in ipsa definitione poni. Ergo haec conditio dicitur esse de fide, et quomodo hoc probatur? An continetur in promissione Christi? Mihi videtur, quod in illa non solummodo non contineatur, sed quod in illa contrarium potius contineatur. Nam negari quidem non potest, quod in relatione Petri ad Ecclesiam, cui Christus voluit infallibilitatem Petri adnexam, contineatur specialis relatio Petri ad Apostolos et proinde etiam ad Episcopos, cum Christus ad Petrum dixerit[1]: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Haec est ergo relatio Pontificis ad Episcopos, quae inest promissioni Christi; ex his vero verbis Christi necessitate cogente, ut mihi videtur, debet concludi, quod fratres quidem, id est Episcopi, ut sint firmi in fide, indigeant auxilio et consilio Petri et successorum eius, non autem viceversa. Unde fit, quod huius sententiae patroni non tam provocent ad loca Sacrae Scripturae quam ad certa quaedam axiomata, quae ipsis prorsus concludentia videntur. Quaenam sunt haec axiomata?

„Primum axioma: Membra debent esse coniuncta capiti et caput membris. Ex hoc axiomate deducunt necessitatem pro Papa, ut in definiendis fidei dogmatibus nihil agat sine consilio et concursu fratrum suorum. Antequam ad hanc obiectionem respondeam, meminisse iuvat, agi hic in sententia adversariorum de stricta et absoluta necessitate consilii et auxilii Episcoporum in quovis infallibili iudicio dogmatico Romani Pontificis, ita ut in ipsa definitione nostrae dogmaticae Constitutionis suum locum occupare debeat. In hac stricta et absoluta necessitate consistit tota differentia, quae inter nos versatur, et non in opportunitate aut aliqua relativa necessitate, quae iudicio Romani Pontificis rerum circumstantias ponderantis prorsus remittenda est. Haec proinde in definitione Constitutionis dogmaticae locum habere non potest.

„His praemissis ad axioma de capite et membris me converto, et respondeo: Oratio figurativa non est argumentativa, seu, uti communiter dicitur, omnis similitudo claudicat. Et quod haec similitudo sic applicata revera claudicet, sequenti ratione ostendi potest. Nonne etiam laici, inter quos sunt plurimi, qui et scientia et pietate praestant, et multo magis sacerdotes, qui munere docendi parochianos funguntur, pertinent ad membra Ecclesiae? Quis dubitat? Anne ergo etiam isti consilio et auxilio suo debent iuvare Papam in ferendis iudiciis dogmaticis? Nequaquam. Et cur? Nonne, quia non pertinent ad Ecclesiam docentem? Bene, sed simul patet, quod similitudo de membris et capite claudicet. Sed iam quaeritur, utrum non etiam Episcopi, quamvis sint constituti a Deo testes, doctores et iudices

[1] Luc. 22, 32.

fidei christianae, se habeant ad Papam pro universa Ecclesia definientem et doctoris universalis munere fungentem ut discipuli ad magistrum? Ita est. Hoc enim innuunt verba Christi ad Petrum, et nomina iudicis supremi, doctoris universalis, pastoris totius ovilis Christi. Proinde etiam hac ex parte claudicat similitudo adducta; et consequentia de necessitate consilii Episcoporum concidit.

„. . . Sed denuo instant et dicunt: Hoc verum est post factam a Papa definitionem solemnem; tunc utique non solummodo laici, sed etiam sacerdotes et Episcopi tenentur se submittere auctoritati infallibili Papae; sed hoc non valet ante factam definitionem; ad talem definitionem faciendam debent concurrere Episcopi. Nam (et hoc est axioma secundum), sicuti Episcopi nihil possunt in dogmatibus condendis sine Papa, ita nec Papa sine Episcopis. Inspiciamus rem ex utraque parte. Episcopi in dogmatibus fidei condendis nihil possunt sine Papa. Hoc verum est; nam decreta de fide etiam a Concilio generali edita infallibilia et firma non sunt, nisi fuerint confirmata a Papa.

„Causa huius rei non ea est, quae ex hoc ambone aliquoties, dolens dico, indicata fuit, scilicet, ac si omnis infallibilitas Ecclesiae sit sita in solo Papa et a Papa derivetur in Ecclesiam et illi communicetur. Hoc quidem iuxta celeberrimum quoddam systema theologicum potest dici de iurisdictione; nam natura iurisdictionis ea est, ut possit, imo debeat aliis communicari. Quomodo vero infallibilitas potest communicari? Hoc non intelligo[1]. Vera ratio, cur Episcopi etiam in Concilio generali congregati sine Papa in rebus fidei et morum non sint infallibiles, ex eo repetenda est, quod Christus hanc infallibilitatem toti Ecclesiae magisterio, id est Apostolis simul cum Petro, promiserit dicens[2]: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi;* ideo Episcopi nihil possunt sine Papa. An autem iudicio inverso Papa nihil possit sine Episcopis? Haec inversio nihil est, cum Christus soli Petro dixerit: *Tu es Petrus*[3]. . . *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua*[4].

„Sed denuo instant et dicunt (et hoc est tertium axioma): Consensio ecclesiarum est regula fidei, quam etiam Papa sequi debet; et proinde debet ante definitionem consulere rectores ecclesiarum, ut certus sit de consensione ecclesiarum. Respondeo: Res iam ad triarios devenit, et accurate distinguendum est inter verum et falsum, ne patiamur naufragium in portu. Verum est, quod Papa in suis definitionibus ex Cathedra eosdem habet fontes, quales habet Ecclesia, Scripturam et traditionem. Verum est, quod consensio praedicationis praesentis totius magisterii Ecclesiae unitae cum capite sit regula fidei etiam pro definitionibus Pontificis. Ast exinde nullo modo potest de-

[1] Sed cf. infra p. 189 sq. [2] Matth. 28, 20. [3] Matth. 16, 18.
[4] Luc. 22, 32.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

duci stricta et absoluta necessitas illam exquirendi a rectoribus ecclesiarum seu ab Episcopis. Nam haec consensio potest saepissime deduci ex claris et manifestis testimoniis Sacrae Scripturae, ex consensione antiquitatis, id est, sanctorum Patrum, ex sententia doctorum vel aliis modis privatis, quae omnia ad plenam informationem sufficiunt.

„Demum nunquam praetermittendum est, quod Papae praesto sit illa traditio ecclesiae Romanae, id est illius ecclesiae, ad quam perfidia non habet accessum, et ad quam propter potentiorem illius principalitatem omnem oportet convenire ecclesiam. Proinde stricta illa necessitas, qualis requiritur ad constitutionem dogmaticam, nullo modo potest demonstrari. Potest accidere casus aliquis ita difficilis, ut Papa necessarium putet pro sua informatione, sicut id factum est, cum ageretur de dogmate immaculatae Conceptionis, quaerere ex Episcopis, tanquam medio ordinario, quid sentiant ecclesiae; sed talis casus non potest statui pro regula.

„Insuper, quod bene notandum est, omnes sciunt, regulam illam de consensione ecclesiarum in praedicatione praesente valere solummodo in sensu positivo, nullatenus vero in sensu negativo; id est, omne quod universalis Ecclesia consentiens praedicatione praesente tanquam revelatum suscipit et veneratur, certe est verum et catholicum. Ast quid fiet, si dissensio inter ecclesias particulares exoritur, si controversiae de fide insequuntur? Tunc iuxta Lirinensem recurrendum est ad consensionem antiquitatis, id est ad Scripturam et sanctos Patres; et ex consensione antiquitatis dissensio praedicationis praesentis est resolvenda.

„Iam notum est, quod iudicia dogmatica Pontificis Romani vel maxime versentur circa controversias fidei, in quibus fit recursus ad Sacram Sedem; Pontifex Romanus ergo illas definire debet, vel maxime ex Scriptura, sanctis Patribus, doctoribus Ecclesiae, et vel maxime ex traditione ecclesiae Romanae, quae, quod Petrus tradidit, fideliter et sancte custodivit. Quicunque ergo contendit, quod Papa sive ad informationem sive ad infallibile de fide et moribus iudicium omnino dependeat a manifesta consensione Episcoporum vel eorum auxilio, illi nihil reliquum est nisi statuere falsum illud principium, omnia iudicia dogmatica Romani Pontificis in se et ex se esse infirma et reformabilia, nisi accedat consensus Ecclesiae.

„Sed hoc systema aut est prorsus arbitrarium aut totius infallibilitatis pontificiae eversivum. Est arbitrarium, si requireretur maioris vel minoris partis Episcoporum assensus. Nam quis statuet illorum numerum? Quis faciet delectum, cum Episcopi inter se sub hoc respectu sint omnino pares, et assensus quorundam assensui et iudicio aliorum non possit praeiudicare? Ex arbitrario hoc systemate, praecipue cum agatur de assensu subsequente sive tacito sive expresso, quot fluant anxietates, turbae et scandala, historia testis est; sed fa-

vete linguis. Hoc systema est totius infallibilitatis pontificiae eversivum, si assensus totius Ecclesiae requireretur. Nam tunc reapse una sola datur infallibilitas, quae nonnisi in toto corpore Ecclesiae docentis residet. Sed hoc in casu decreta Romani Pontificis possunt et debent reformari per Concilium generale, quatenus interim assensus Ecclesiae non ita sit manifestus, ut negari nequeat; Papa non est infallibilis nisi cum Concilio generali. Et ne iterum in infallibilitatem Pontificis ex se solo decernentis recidamus, Papa non poterit confirmare nisi illa decreta Concilii, quae placuerunt maiori parti Episcoporum vel potius unanimitati eorum. Quid vero, si Episcopi non consentiant? Actum erit de iudicio Ecclesiae, conclamatum erit de Ecclesia, quae, teste Apostolo, debet esse columna et firmamentum veritatis.

„Antequam huic relationi generali valedicam, debeo adhuc[dum] respondere ad illam gravissimam obiectionem, qua dictum est ex ambone, nos velle opinionem extremam certae cuiusdam scholae ad dogma fidei catholicae evehere. Sane gravissima haec est obiectio; et cum eam ex ore egregii et etiam aestimatissimi oratoris audirem, tristis caput demisi et oratio mea in sinu meo convertebatur. Bone Deus! anne confudisti mentes, linguas nostras, ut nos traducamur tanquam promotores opinionis extremae cuiusdam scholae ad dignitatem dogmatis, et Bellarminus inducatur tanquam auctor quartae propositionis declarationis cleri gallicani? Nam, ut ab ultimo exordiar, qualis est differentia inter assertionem, quam rm̃us orator Bellarmino tribuit: *Pontifex non potest aliquid infallibiliter definire citra reliquos Episcopos et sine cooperatione Ecclesiae*, et inter notissimum articulum quartum: *in fidei quaestionibus Summi Pontificis non irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accedat?* Reapse vix ulla inveniri poterit differentia, nisi quis etiam dissensionem Episcoporum cooperationem Ecclesiae vocare velit, et quidem ita, ut definitio dogmatica, etiam dissentientibus Episcopis, sit infallibilis, dummodo illos antea consuluerit. Haec de sententia Bellarmini.

„Quoad vero doctrinam in schemate expositam deputatio iniuste traducitur, ac si voluisset extremam opinionem, scilicet illam Alberti Pighii, ad dignitatem dogmatis evehere. Nam opinio Alberti Pighii, quam Bellarminus vocat piam quidem et probabilem, erat, quod Papa qua persona singularis seu doctor privatus ex ignorantia quadam possit errare, sed nequaquam in haeresim incidere vel haeresim docere. Hoc, ut reliqua omnia missa faciam, apparet ex ipsis verbis Bellarmini, tum in loco a rm̃o oratore citato, tum etiam ex ipso Bellarmino, qui lib. IV. cap. 6. sententiam Pighii sequentibus verbis enuntiat: ‚Probabile est pieque credi potest, Summum Pontificem non solum uti Pontificem errare non posse, sed etiam ut particularem personam haereticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter cre-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dendo.' Ex his apparet, doctrinam, quae habetur in schemate, non esse illam Alberti Pighii, seu extremam cuiusdam scholae, sed illam unam eandemque, quam Bellarminus in loco a rm̃o oratore citato docet, quarto loco adducit, et quam vocat certissimam et asserendam, vel potius semetipsum retractando, sententiam communissimam et certam."

Rm̃us Episcopus Brixinensis igitur, quum ordine emendationum ad illas pervenisset, quibus de Episcoporum vel Ecclesiae consensu ante definitionem consulendo agebatur, deputationem iuxta principia a se exposita eas emendationes excludere dixit, „idque eo magis . . . quia [conditiones in iis pro valida definitione statutae] saepissime sunt valde indefinitae, ita quidem, ut tali ratione solummodo quibusdam cavillationibus potius ansam dare possint, quam reipsa verificari. Hoc etiam valet de illa conditione, quae habetur in formula sic dicta Antoniniana; nam etiam haec formula pro definitione Concilii, non dico pro tractatu theologico, nimis vaga et indefinita esset" [1]. Quum illae emendationes Patrum suffragiis proponerentur, reiectae sunt a Patribus fere omnibus [2].

Sed quum postea (d. 13. Iulii) de more tota Constitutio suffragiis subiiceretur, aliqui suo „Placet" hanc conditionem adiecerunt, ut in definitione mentio fieret consensus Ecclesiae vel Episcoporum a Summo Pontifice pro definitione ex Cathedra exquirendi [3]. Neque tamen in Congr. d. 16. Iulii, quum de exceptionibus ageretur, de hac re iterum tractatum est. Spectabat enim ad res, de quibus abundanter tractatum et Congregationis generalis sententia iam lata erat.

Eorum, qui definitioni infallibilitatis pontificiae adversabantur, tantum intererat, ut illa de ecclesiarum testimonio additio in definitionem reciperetur, ut eorum deputati vespere pridie, quam de exceptionibus in Congregatione generali ageretur, Summum Pontificem adirent promissuri, fore ut suffragium „Placet" darent, si duo in Constitutione mutarentur, ex quibus alterum erat, ut reciperentur verba „innixus testimonio ecclesiarum" [4]. Idem Rm̃us Archiep. Parisiensis sequenti die literis ad Summum Pontificem datis promisit [5]. Is per Subsecretarium Concilii respondit, se omnia Congregationi generali commissurum, iudicio definitivo sibi reservato [6]. Verba recepta non sunt.

In documentis, quae attulimus, quaestio commemorata saltem est, *utrum duo in Ecclesia exstent subiecta infallibilitatis*, Summus Pontifex et universitas Episcoporum cum Summo Pontifice unitorum, *an unum*

[1] Relatio etc. C. V. 411 d sqq. [2] C. V. 421 c.
[3] Exceptiones etc. C. V. 444 b. c. 452 d sq.
[4] Ex diurnis commentariis etc. C. V. 1702 d. Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 123.
[5] Epistola Archiepiscopi Paris. etc. C. V. 992 b sq.
[6] Ex diurnis etc. Ibid.

solum, sc. Summus Pontifex, cuius ipsius infallibilitas cum universitate Episcoporum vel cum Concilio oecumenico communicetur [1]. Haec altera opinio clare continetur in emendatione quadam in tricesima nona sessione deputationis de fide proposita: „Quae [infallibilitas Ecclesiae], sicut in ipsa nonnisi ob coniunctionem cum suo capite, Romano Pontifice, exsistit, ita in ipsam a Romani Pontificis magisterio infunditur atque unicum eiusdem constituit infallibilitatis donum." [2] Huc referri potest etiam emendatio septuagesima secunda in Congregatione generali proposita: „Quoniam vero infallibilitas eadem est *quoad subiectum*, sive spectetur *in Romano Pontifice* tanquam capite Ecclesiae *sive in reliquis Ecclesiae pastoribus cum capite unitis et docentibus*, eademque quoad obiectum: insuper definimus, hanc infallibilitatem [Summi Pontificis] *esse unam eandemque cum infallibilitate Ecclesiae*." [3] Aliquis e Patribus, qui hanc doctrinam reiiciendam putabat, timebat, ne deduceretur e Constitutionis verbis: „Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur . . . *ea* infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam . . . instructam esse voluit" [4]. Quare, quum de toto schemate suffragia ferrentur, eam suo „Placet" conditionem adiecit, ut ille locus mutaretur. Sententiam illam, addit, non posse subsistere. „Nam in definitionibus ex Cathedra subiectum infallibilitatis est Summus Pontifex tantum; in definitionibus Conciliorum oecumenicorum subiectum infallibilitatis per modum *unius* est Pontifex cum Episcopis ipsi adhaerentibus. Etenim si Episcopi in Concilio oecumenico (quod nemo negat) sunt *coniudices*, sunt etiam *compartícipes* in solidum eiusdem praerogativae iudicandi infallibiliter, id est, sunt in eorum complexu, seu, uti dicunt, in corpore, coinfallibiles cum Summo Pontifice; ergo in Concilio oecumenico et in decretis ex Cathedra non unum idemque, sed diversum est infallibilitatis subiectum." [5] Etiam Episcopum Brixinensem illam sententiam, qua *unum* subiectum infallibilitatis esse dicitur, reiicere vidimus. Iurisdictionem dicit cum alio communicari posse, infallibilitatem non posse [6].

Atque id quidem verissimum est, ipsam infallibilitatem in se cum alio communicari non posse. Neque enim ea potestas quaedam seu qualitas personae inhaerens ac transferibilis est, sed speciali quadam continetur Dei circa eum, cui immunitas ab errore promissa est, vigilantia et assistentia, qua fit, ut is ab errore immunis servetur [7]. Quo-

[1] V. supra p. 185. [2] Ex actis etc. C. V. 1682 d.
[3] Emendationes etc. C. V. 383 b.
[4] Ea sententia solum infallibilitatis *obiectum* indicari, videbimus commentatione IX.
[5] Exceptiones etc. C. V. 456 d sq. [6] Supra p. 185.
[7] Propterea etiam vox „subiectum infallibilitatis" minus apta est, quum infallibilitas non inhaereat personae veluti subiecto inhaesionis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

modo autem is efficere possit, ut Deus etiam alteri speciali illa assistentia succurrat?

Verum etiamsi infallibilitas *ipsa in se* transferri nequit, non repugnat tamen, eam transferri ratione alterius, sc. ratione supremae iurisdictionis et potestatis docendi. Ut infra notabimus [1], controvertitur, utrum duo sint subiecta supremae potestatis Ecclesiae, Summus Pontifex et totum collegium Episcoporum cum Summo Pontifice coniunctorum, an unum solum, Summus Pontifex. Quodsi unum solum subiectum est, Summus Pontifex: in hac suppositione hic, cum Concilium ad supremam potestatem secum exercendam convocat, Episcopos convocatos participes facit non solum supremae potestatis, ita ut omnes v. g. in doctrina definienda vere in solidum ultimam et definitivam sententiam cum Summo Pontifice tanquam veri iudices ferant, sed etiam participes infallibilitatis. Hic enim ipse sententiae ferendae actus servandus est ab errore immunis. Hunc autem actum non solus Summus Pontifex, sed omnes Episcopi cum eo tanquam capite uniti in solidum exercent. Qui igitur sententiam sequuntur, exstare unum solum subiectum supremae potestatis, affirment etiam necesse est, unum solum habere privilegium infallibilitatis, quod non ipsum in se, sed ratione supremae potestatis cum alio communicetur.

COMMENTATIO IX.

Quid a Concilio Vaticano de obiecto infallibilitatis pontificiae doceatur.

Theologos constat docere, Ecclesiae magisterium non solum in iis veritatibus proponendis infallibile esse, quae a Deo in se revelatae et propterea fide divina credendae sunt, sed in iis etiam, quae, licet ipsae nec explicite nec implicite formaliter revelatae sint, e veritatibus revelatis tamen ratiocinatione deducuntur seu ad eas et conservandas et explicandas et defendendas ab ecclesiastico magisterio proponi debent. Quum v. g. revelatum sit, animam humanam spiritualem esse, eo ipso Ecclesia censenda est infallibilis in iis opinionibus damnandis, quas iudicat cum illa veritate conciliari non posse, v. g. animam humanam generatione produci. Porro, quum Ecclesia doctrinam revelatam verbis enuntiatam proponere atque errores oppositos verbis expressos proscribere debeat, infallibilis censenda est, ut aiunt, „in diiudicandis textibus dogmaticis“ seu „factis dogmaticis“, sc. infallibilis est, quum iudicium fert, certam quandam sententiam dogma aliquod recte enuntiare, seu errorem vere continere, v. g. Iansenii librum, qui inscribitur Augustinus, sensu ab auctore intento, id est naturali verborum sensu, qui iuridice sensus ab auctore intentus habetur, quinque illos errores continere, quos Ecclesia in eo contentos condemnavit. Animadverti-

[1] In adnotationibus ad cap. III. Constitutionis.

mus autem, aliquos theologos etiam omnia illa, quae cum deposito fidei eo, quo diximus, modo cohaerent, vocare facta dogmatica, ita ut breviter dicant, Ecclesiam non solum in veritatibus revelatis, sed etiam in factis dogmaticis infallibilem esse. Id animadvertimus, quum illa vox etiam in documentis atque ab auctoribus nobis citandis eo sensu aliquoties usurpata sit.

Iam Vaticanum Concilium, quum Romanum Pontificem infallibilem esse definiret, eum eadem infallibilitate pollere definivit, qua polleat Ecclesia. Quum igitur de fide sit, Ecclesiam in definiendis veritatibus in se revelatis infallibilem esse, vi definitionis Vaticani Concilii de fide etiam est, Romanum Pontificem saltem in illis veritatibus definiendis infallibilem esse. Porro, quum theologice certum sit, Ecclesiae infallibilitatem etiam ad alias illas veritates se extendere, quae cum revelatis connexae sunt, vi Vaticanae definitionis theologice certum etiam est, Romani Pontificis infallibilitatem ad alias illas veritates se extendere.

Sed quaeritur, num Vaticanum Concilium, quod hac via indirecte tanquam theologice certum cognoscamus, etiam directe docuerit vel definiverit, sc. num etiam directe docuerit, infallibilitatem Summi Pontificis se extendere non solum ad veritates in se revelatas, sed etiam ad alias, quae cum iis eo, quo diximus, modo connectuntur. Sunt, qui id affirment.

Ea capitis quarti Constitutionis primae de Ecclesia pars, qua de obiecto infallibilitatis agitur, haec est: „. . . definimus, Romanum Pontificem, cum . . . *doctrinam de fide vel moribus* ab universa Ecclesia tenendam definit . . . *ea* infallibilitate pollere, *qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.*“ Hoc loco directe doceri, Romani Pontificis infallibilitatem se extendere etiam ad „facta dogmatica“, putat *Ioannes B. Andries* [1]. In verbis definitionis „doctrinam de fide vel moribus“ fidem intelligit *obiectivam,* id est id, quod fide creditur, seu veritatem revelatam, *non subiectivam,* id est actum seu virtutem fidei, qua credimus. „Doctrinam de fide“ igitur intelligit doctrinam, *quae fidem obiectivam seu veritatem revelatam respicit.* Ea autem doctrina veritatem revelatam respicit, quae ad revelatam veritatem conservandam, defendendam, explicandam necessario proponenda est. Ergo etiam in ea definienda Summus Pontifex vi decreti infallibilis esse dicendus est. Eo sensu verba decreti intelligenda esse, etiam inde patere putat Andries, quod Concilium dicat: „quum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia *tenendam* definit“. Si enim Concilium de solis veritatibus revelatis fide *credendis* loqui voluisset, futurum fuisse dicit, ut loco *„tenendam“* posuisset *„credendam“* seu *„fide divina tenendam“*. Usu theo-

[1] Cathedra Romana oder Der apostolische Lehrprimat, p. 202 sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

modo autem is efficere possit, ut Deus etiam alteri speciali illa assistentia succurrat?

Verum etiamsi infallibilitas *ipsa in se* transferri nequit, non repugnat tamen, eam transferri ratione alterius, sc. ratione supremae iurisdictionis et potestatis docendi. Ut infra notabimus [1], controvertitur, utrum duo sint subiecta supremae potestatis Ecclesiae, Summus Pontifex et totum collegium Episcoporum cum Summo Pontifice coniunctorum, an unum solum, Summus Pontifex. Quodsi unum solum subiectum est, Summus Pontifex: in hac suppositione hic, cum Concilium ad supremam potestatem secum exercendam convocat, Episcopos convocatos participes facit non solum supremae potestatis, ita ut omnes v. g. in doctrina definienda vere in solidum ultimam et definitivam sententiam cum Summo Pontifice tanquam veri iudices ferant, sed etiam participes infallibilitatis. Hic enim ipse sententiae ferendae actus servandus est ab errore immunis. Hunc autem actum non solus Summus Pontifex, sed omnes Episcopi cum eo tanquam capite uniti in solidum exercent. Qui igitur sententiam sequuntur, exstare unum solum subiectum supremae potestatis, affirment etiam necesse est, unum solum habere privilegium infallibilitatis, quod non ipsum in se, sed ratione supremae potestatis cum alio communicetur.

COMMENTATIO IX.

Quid a Concilio Vaticano de obiecto infallibilitatis pontificiae doceatur.

Theologos constat docere, Ecclesiae magisterium non solum in iis veritatibus proponendis infallibile esse, quae a Deo in se revelatae et propterea fide divina credendae sunt, sed in iis etiam, quae, licet ipsae nec explicite nec implicite formaliter revelatae sint, e veritatibus revelatis tamen ratiocinatione deducuntur seu ad eas et conservandas et explicandas et defendendas ab ecclesiastico magisterio proponi debent. Quum v. g. revelatum sit, animam humanam spiritualem esse, eo ipso Ecclesia censenda est infallibilis in iis opinionibus damnandis, quas iudicat cum illa veritate conciliari non posse, v. g. animam humanam generatione produci. Porro, quum Ecclesia doctrinam revelatam verbis enuntiatam proponere atque errores oppositos verbis expressos proscribere debeat, infallibilis censenda est, ut aiunt, „in diiudicandis textibus dogmaticis“ seu „factis dogmaticis“, sc. infallibilis est, quum iudicium fert, certam quandam sententiam dogma aliquod recte enuntiare, seu errorem vere continere, v. g. Iansenii librum, qui inscribitur Augustinus, sensu ab auctore intento, id est naturali verborum sensu, qui iuridice sensus ab auctore intentus habetur, quinque illos errores continere, quos Ecclesia in eo contentos condemnavit. Animadverti-

[1] In adnotationibus ad cap. III. Constitutionis.

mus autem, aliquos theologos etiam omnia illa, quae cum deposito fidei eo, quo diximus, modo cohaerent, vocare facta dogmatica, ita ut breviter dicant, Ecclesiam non solum in veritatibus revelatis, sed etiam in factis dogmaticis infallibilem esse. Id animadvertimus, quum illa vox etiam in documentis atque ab auctoribus nobis citandis eo sensu aliquoties usurpata sit.

Iam Vaticanum Concilium, quum Romanum Pontificem infallibilem esse definiret, eum eadem infallibilitate pollere definivit, qua polleat Ecclesia. Quum igitur de fide sit, Ecclesiam in definiendis veritatibus in se revelatis infallibilem esse, vi definitionis Vaticani Concilii de fide etiam est, Romanum Pontificem saltem in illis veritatibus definiendis infallibilem esse. Porro, quum theologice certum sit, Ecclesiae infallibilitatem etiam ad alias illas veritates se extendere, quae cum revelatis connexae sunt, vi Vaticanae definitionis theologice certum etiam est, Romani Pontificis infallibilitatem ad alias illas veritates se extendere.

Sed quaeritur, num Vaticanum Concilium, quod hac via indirecte tanquam theologice certum cognoscamus, etiam directe docuerit vel definiverit, sc. num etiam directe docuerit, infallibilitatem Summi Pontificis se extendere non solum ad veritates in se revelatas, sed etiam ad alias, quae cum iis eo, quo diximus, modo connectuntur. Sunt, qui id affirment.

Ea capitis quarti Constitutionis primae de Ecclesia pars, qua de obiecto infallibilitatis agitur, haec est: „. . . definimus, Romanum Pontificem, cum . . . *doctrinam de fide vel moribus* ab universa Ecclesia tenendam definit . . . *ea* infallibilitate pollere, *qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.*“ Hoc loco directe doceri, Romani Pontificis infallibilitatem se extendere etiam ad „facta dogmatica“, putat *Ioannes B. Andries* [1]. In verbis definitionis „doctrinam de fide vel moribus“ fidem intelligit *obiectivam,* id est id, quod fide creditur, seu veritatem revelatam, *non subiectivam,* id est actum seu virtutem fidei, qua credimus. „Doctrinam de fide“ igitur intelligit doctrinam, *quae fidem obiectivam seu veritatem revelatam respicit.* Ea autem doctrina veritatem revelatam respicit, quae ad revelatam veritatem conservandam, defendendam, explicandam necessario proponenda est. Ergo etiam in ea definienda Summus Pontifex vi decreti infallibilis esse dicendus est. Eo sensu verba decreti intelligenda esse, etiam inde patere putat Andries, quod Concilium dicat: „quum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia *tenendam* definit“. Si enim Concilium de solis veritatibus revelatis fide *credendis* loqui voluisset, futurum fuisse dicit, ut loco *„tenendam“* posuisset *„credendam“* seu *„fide divina tenendam“*. Usu theo-

[1] Cathedra Romana oder Der apostolische Lehrprimat, p. 202 sqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

logorum adhiberi vocem tenendi, quam Concilium sapienter sane elegerit, ad significandam fidem tam ecclesiasticam quam divinam. Concludendum igitur esse, Concilium Summo Pontifici infallibilitatem adscribere non solum, quum is veritates revelatas seu fide divina credendas, sed etiam, quum veritates fide ecclesiastica admittendas definitiva sententia proponat. Hac autem fide, id est *saltem* hac fide, communi theologorum consensu admittendas esse eas veritates, quae ipsae revelatae non sint, sed cum revelatis connexae atque ab ecclesiastico magisterio propositae.

Eo magis Andries decretum ita explicandum esse putat, quod Concilium Vaticanum in Constitutione de fide magisterio ecclesiastico ius et officium tribuat „falsi nominis scientiam proscribendi“ [1]. Sententiam ab Ecclesia de falsa scientia latam esse sententiam de facto dogmatico seu de doctrina depositum fidei respiciente [2].

Sed certum est, Concilium noluisse definire, Summum Pontificem infallibilem esse in iis veritatibus proponendis, quae revelatae non sunt, sed depositum fidei solum respiciunt; id quod iam ex ipsis verbis decreti, multo magis autem et plane evidenter ex eius historia patet. In nulla parte decreti formanda plus laboris positum est quam in ea, qua de obiecto infallibilitatis agitur. Quae de hac parte disputata sunt, accuratius persequemur [3].

In primo schemate de infallibilitate pontificia, sc. in capite, quod capiti undecimo schematis de Ecclesia addendum Patribus proponebatur [4], verba definitionis erant haec: „. . . definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona beati Petri dictum est ab eodem Domino Nostro Iesu Christo: ‚Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua‘, cum supremi omnium christianorum doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit; et hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.“ [5]

In observationibus a Patribus de hoc capite scriptura traditis [6] animadvertebatur, descriptionem obiecti infallibilitatis *indefinitam* et *vagam* esse. Respondent Patres deputationis de fide: „Quum in schemate expresse dicatur, obiectum illud esse eiusdem omnino extensionis, cuius est ambitus infallibilitatis *Ecclesiae*, per hanc declarationem generalis propositio, ‚quid in rebus fidei et morum . . . tenendum sit‘, definita plane ac determinata evadit.“ [1] Quum postea ex capite undecimo schematis de Ecclesia et hoc capite de infallibilitate addendo novum Constitutionis schema conflaretur [2], locus, de quo nos agimus, quatenus circa obiectum infallibilitatis versatur, primo mutatus non est [3], nec profecto quidquam in eo desideratur, si in Concilio de solo subiecto, non autem de obiecto infallibilitatis agendum erat. Sed postea, quum schema novae Constitutionis a deputatione de rebus ad fidem pertinentibus discuteretur, haec eius pars mutata est, quae mutatio permultarum disputationum causa fuit.

Deputatio de fide de novo schemate in sessione tricesima septima die 2. Maii agere coepit. In sessione tricesima nona die 5. Maii disceptabatur de sententia, qua de obiecto infallibilitatis sermo est [4].

Schema capitis quarti, ut alio loco [5] ex diurnis commentariis unius e Patribus pro rebus fidei deputatis narravimus, „ab Emo Bilio compositum et a S. Patre Pio IX. probatum erat. Quapropter inopinatum omnibus accidit, quod idem Cardinalis in sessione deputationis [eo] die 5. Maii fer. V. [mane], quum nemo Patrum adversus schema loqueretur, ipse contra illud argumentari coepit: non plus posse definiri de infallibilitate Papae, quam definitum sit de infallibilitate Ecclesiae; de Ecclesia autem hoc tantum definitum esse, eam esse infallibilem in definitionibus dogmaticis stricte dictis; ergo quaeritur, inquit, num proposito schemate infallibilitas Papae non nimis extendatur. Non negavit Cardinalis, imo tanquam certissimum asseruit, Papam infallibilem quoque esse in factis dogmaticis, in canonizatione Sanctorum aliisque paris momenti rebus, sicuti Ecclesia in his infallibilis est. Addidit, se vehementissime cupere, ut in hoc Concilio Vaticano definiretur, Ecclesiam infallibilem esse, non solum in definitionibus dogmaticis stricte sumptis, sed etiam in factis dogmaticis, in canonizatione Sanctorum, in approbatione Ordinum. Sed quum nunc de infallibilitate Papae definienda ageretur, antequam actum esset de infallibilitate Ecclesiae, illud incommodi habere schema, quod plus diceretur, quam oporteret. Ad haec respondebatur, neque infallibilitatem Ecclesiae hucusque ullo modo definitam esse, constare autem apertissime, infallibilitatem Ecclesiae dogma esse et dogma fundamentale, quum quilibet catholicus actum fidei enuntiando hoc profiteatur: ‚Credo, quod Deus revelavit et Ecclesia catholica credendum proponit.‘ Quum igitur fide constet, Ecclesiam esse infallibilem, idem de Papa definiatur“.

Alii aliud suadebant. Unus animadvertit, in definitionem nihil novi de ambitu obiecti infallibilitatis recipiendum esse [6]. Complures

---

[1] V. supra p. 91. [2] L. c. p. 205.
[3] Cf. nostram de ea re commentationem: Der Umfang der päpstlichen Unfehlbarkeit nach dem Lehrdecrete des Vaticanischen Concils. Stimmen aus Maria-Laach XXXVIII, p. 49 sqq. 162 sqq.
[4] Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 107. [5] C. V. 641a. b.
[6] Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 107.

[1] Relatio etc. C. V. 286d. [2] Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 110 sq.
[3] Schema etc. C. V. 1642b. [4] Ex actis etc. C. V. 1681d.
[5] Ex diurnis etc. C. V. 1699 sqq. [6] Ex actis etc. C. V. 1683b.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamen formulas proponebant, in quibus diserte veritates in se ipsae revelatae obiectum infallibilitatis pontificiae dicebantur; de aliis tacebatur. Quod quidem studium, infallibilitatis obiectum, quantum incolumi dogmate fieri potuit, coartandi, maxime sequenti hac formula, quae in ea sessione proposita est, apparet: „. . . per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, . . . cum supremi omnium christianorum doctoris munere fungens, de quaestionibus fidei et morum iudicans, de iis definit, quid ab universali Ecclesia *sub haeresis censura credendum* vel reiiciendum sit, errare non possit". Is, qui hanc formulam proposuit, in fine definitionis, ubi Summi Pontificis infallibilitas se ad idem obiectum extendere dicitur, ad quod ipsius Ecclesiae, addi vult „nempe *ad depositum fidei*, hoc est, *Dei verbum* scriptum vel traditum" [1]. Qua quidem formula non negatur, obiectum infallibilitatis praeter revelatas veritates etiam alias, quae revelatae non sunt, complecti; sed quum in ea de solo deposito fidei et de iis solum veritatibus, quas negare haereticum est, tanquam obiecto infallibilitatis et Summi Pontificis et Ecclesiae sermo sit, periculum erat, ne haec vel similis formula a Concilio recepta aliquando faveret errori diffundendo, Ecclesiam et Summum Pontificem in his *solis* veritatibus definiendis infallibilem esse.

Quum in fine sessionis quaereretur, quae formula maxime placeret, ea, quam Rmus Martin, Episc. Paderbornensis, proposuerat, omissis quidem suffragiis [2] recepta est: „Declaramus, Romanum Pontificem, . . . cum . . . definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *fide catholica credendum* sit, . . . errare non posse, taliaque eius fidei decreta seu iudicia per se irreformabilia a quovis christiano, . . . pleno *fidei* obsequio excipienda et tenenda esse." Etiam in hac formula de solis veritatibus revelatis tanquam obiecto infallibilitatis pontificiae sermo est. Sed additur in fine: „Et hoc quidem Romani Pontificis infallibile magisterium ad eadem pertinere docemus, ad quae infallibile universae Ecclesiae magisterium . . . sese extendere dignoscitur." [3]

In sequenti sessione (erat haec ordine quadragesima), quae eodem die vespere habita est, lectum est a theologo caput quartum secundum formulam Episc. Paderbornensis emendatum. In eo locus, quo de obiecto infallibilitatis sermo est, erat hic: „. . . Romanum Pontificem . . . habere Spiritus Sancti assistentiam, qua fit, ut, cum . . . definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *fide divina credendum* tenendumve vel reiiciendum sit, errare non possit; et hanc Romani Pontificis infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur." [4]

[1] Ex actis etc. C. V. 1683 d sq.
[2] Ex diurnis etc. C. V. 1700 a.
[3] Ex actis etc. C. V. 1683 c. d.
[4] Ex actis etc. C. V. 1684 b.

In eadem sessione Cardinalis Praeses contra pristinum schema eadem urgere pergebat, quae mane obiecerat. „Dixit, praecipuos theologos tum ante ortum Iansenismum, tum eo durante, tum recentiore tempore infallibilitatem Papae duntaxat in definiendis dogmatibus defendisse. Qua argumentatione plures Patres deputationis decepti sunt, quum non animadverterent, illos theologos infallibilitatem Papae in definiendis dogmatibus tanquam veritatem de fide certam vel fidei proximam defendisse, et praeterea tanquam theologice certum probavisse, Papam etiam in factis dogmaticis et in censuris haeresi minoribus esse infallibilem, idque eodem modo, quo Ecclesiam infallibilem esse constat. Archiepiscopi Dechamps, Spalding, Steins et Episc. Martin, adversarios conciliandi studio ducti, argumentationi Cardinalis Bilio favebant, alii fortiter resistebant. Sic hinc atque hinc disputatum est ad horam usque nonam.

„Postero die (6. Maii) mane Emus Praeses ad sessionem vocaverat duos theologos. Post brevem utriusque orationem de quaestione, utrum et quid definiri posset, mox inopinato a Cardinali prolata est nova formula, quam ante sessionem ei Paderbornensis tradiderat [1]. Hanc ab uno e theologis praelectam alius theologus commendavit uti solvendis difficultatibus aptam. Rogatis sententiis, alii sibi formulam placere, alii ‚iuxta modum' placere dicebant; unus nec contradicere nec „Placet" dicere voluit; duo formulam plane reiecerunt [2]. Conclusit paulum festinanter Cardinalis Bilio: ‚Ergo formula proposita', inquit, ‚omnibus Patribus placet, duobus tantum contradicentibus.' Eam sine mora typis mandari iussit.

„In sessione quadragesima altera d. 7. Maii redierunt Patres ad novam formulam capitis quarti, ac duo illi, qui eam reiecerant, rationes exposuerunt, cur reiiciendam putarent. Praecipua ratio haec fuit, quod in capite iam mutato *tantummodo* doceatur, Romanum Pontificem errare non posse, quum definiat, quid expresse *fide divina credendum* sit. Inde enim timendum esse, ne fideles, quum *plenam* expositionem doctrinae de Romani Pontificis infallibilitate illo capite contineri putent, hanc ad illas solas definitiones referant, quibus fides divina praescribitur, adversarii autem infallibilitatis huiusmodi *exclusivam* interpretationem pervulgent. Postquam illi duo dicendi finem fecerunt, unus e theo-

[1] Locus huc spectans est hic: „. . . quum . . . definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *fide divina* (emend.: de fide) *tenendum* vel *tanquam fidei contrarium reiiciendum* sit. . . Porro, quum una eademque sit Ecclesiae infallibilitas, sive spectetur in capite Ecclesiae sive in universa Ecclesia docente cum capite unita . . ., hanc infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere docemus, nempe ad fidei depositum custodiendum intemerateque exponendum". Ex actis etc. C. V. 1684 d sq.
[2] Cf. ibid. C. V. 1685 a.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

logis, quid de nova formula sentiret, exposuit; concessit ille quidem, difficultates non abesse et rationes propositas vi non carere, putabat tamen, iis facile occurri posse, si pauca mutarentur. Quod quum maiori Patrum numero placeret, continuo id operis susceptum est."[1]

Itaque schema Constitutionis primae de Ecclesia iam emendatum typis imprimebatur atque d. 9. Maii inter Patres Concilii distribuebatur[2]. Ipsa definitio infallibilitatis pontificiae his contenta erat: „Romanum Pontificem . . . errare non posse, quum . . . definit, quid in rebus fidei ac morum ab universa Ecclesia *tanquam de fide tenendum vel tanquam fidei contrarium reiiciendum sit*, et eiusmodi decreta sive iudicia per se irreformabilia a quovis christiano, ut primum ei innotuerint, pleno *fidei obsequio* excipienda et tenenda esse. Quoniam vero infallibilitas eadem est, sive spectetur in Romano Pontifice tanquam capite Ecclesiae, sive in universa Ecclesia docente cum capite unita, *insuper definimus, hanc infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere.*"[3]

Permultis autem Patribus formula mutata plane displicuit iisque pristinum schema praeferendum esse videbatur. „Itaque complures habiti sunt conventus privati apud Archiepiscopum Bituricensem et Episcopum Carcassonensem, quibus adesse solebant Westmonasteriensis, Corisopitensis, Hebronensis, Ascalonensis, Cenomanensis, Ratisbonensis, et Vicarii generales d'Alzon et Chesnel, ut deliberarent de emendatione formulae. Placuit omnibus, ut, quoad fieri posset, nova reiecta formula, antiquum schema restitueretur, et ut de obiecto infallibilitatis Romani Pontificis non plus definiretur, quam idem esse cum obiecto infallibilitatis Ecclesiae. Complures emendationes propositae."[4] Cur mutata formula tantopere displicuerit, cognoscimus ex iis, quae unus ex Patribus emendationi a se propositae praemisit.

„Formula," inquit, „quatenus obiectum infallibilis magisterii tangit, debet esse huiusmodi, ut nullum prorsus dubium sit, Romani Pontificis infallibilitatem se eo usque extendere, quousque se extendit ipsius Ecclesiae infallibilitas. Id autem non obtinetur nova illa formula, sive ea *in se* spectetur, sive relate *ad circumstantias praesentes*, sive relate ad id, quod *ultimo additur* de infallibilitatis obiecto.

„I. Verba in nova formula usurpata, si *in se ipsis* spectantur, continent restrictionem. Nam dum theologi, si totum infallibilitatis obiectum paucis exprimere volunt, dicere solent, Ecclesiam vel Romanum Pontificem infallibilem esse in rebus seu quaestionibus fidei et morum, sive ad fidem et mores spectantibus, nova haec formula dicit,

[1] Ex diurnis etc. C. V. 1700a sqq. [2] Ex actis etc. C. V. 1685a.
[3] Schema etc. C. V. 273b.
[4] Ex diurnis etc. C. V. 1700d. — Aliquas ex emendationibus propositis habes C. V. 1704a sqq.

infallibilem esse Pontificem, dum definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *tanquam de fide* tenendum, vel *tanquam fidei contrarium* reiiciendum sit. His autem verbis theologi significare solent id, quod est formaliter revelatum, adeoque fide divina credendum, et id, quod ei oppositum est, videlicet haeresim. Distinguunt enim id, quod est revelatum, ab illo, quod cum veritate revelata quomodocunque connexum est. Dum porro docent *omnes*, illud, quod est revelatum, assensu fidei divinae credendum esse, et quidem fidei divinae catholicae, si ab Ecclesia proponitur, *non omnes* docent, illud, quod tanquam cum veritate revelata quomodocunque connexum ab Ecclesia proponitur, esse obiectum fidei divinae, seu fidei stricte sumptae, sed alium assensum admittunt. Hinc patet, illis novae formulae verbis, si sensu obvio et communius accepto sumuntur, non contineri illa, ad quae ceteroquin infallibile magisterium Ecclesiae se extendit.[1] . . .

„II. Reponi fortasse potest, propositionem formulae esse affirmativam, non exclusivam, hinc nullam adesse restrictionem; quum asseratur, Romanum Pontificem infallibilem esse in rebus *de fide* tenendis, non asseri, in aliis non esse infallibilem. Sine dubio haec fuit mens deputationis. Sed valde timendum est, ne, quod optima intentione scriptum est, propter *circumstantias praesentes* alia mente explicetur, et vera restrictio supponatur; unde gravissima sequerentur mala. Etenim, quum formula recedat ab illo loquendi modo, quo uti solent theologi, dum infallibilis magisterii obiectum *unica sententia exprimere volunt*, dictitabunt non pauci, Concilium ab illo recessisse *consulto*, hinc obiectum restringere voluisse.

„Patres deputatos restrictionem inducere voluisse, tanto pronius coniicient multi, quum constet, saeculo praeterito et hoc etiam saeculo exstitisse quosdam, qui infallibile Ecclesiae magisterium ad illa sola restringerent declaranda, quae formaliter revelata essent, et illa sola reiicienda, quae illis adversarentur. Nota est illa *Regula fidei* a Chrisman conscripta, quod opus, quum primum exigui fieret, postea a quibusdam viris doctis commendatum, denuo excusum et sparsum, ipsi *Cursui theologico* a D. Migne edito insertum est. Congregatio autem Indicis ante aliquot annos illud proscribendum duxit. Theoriam in hoc opere expositam adoptantes asserunt alii, Ecclesiam non esse infallibilem in notis haeresi inferioribus infligendis; alii, non esse infallibilem in systemate aliquo philosophico condemnando; alii, non esse infallibilem in doctrinis, quae vitam socialem spectant, diiudicandis. . .

„Omnibus . . . periculis occasio praescinderetur, si pro verbis, quae unam obiecti partem determinate exhibent, alia eligerentur, quae illud indeterminate tantum exhiberent[2].

[1] Fasciculus emendationum etc. C. V. 1704a. b.
[2] Ibid. C. V. 1705b sqq.

„III. Denique restrictio, quae formulae verbis inest, non satis tollitur illo addito: ‚Insuper definimus, hanc sive in Romano Pontifice sive in universa Ecclesia docente spectatam infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere.‘ Etenim tunc solum tolleretur, si diceretur, Ecclesiae infallibilitatem sese ad plura extendere quam ad sola dogmata declaranda et haereses condemnandas. Id autem non dicitur, sed obiectum infallibilitatis Ecclesiae prorsus indeterminate exprimitur. Propterea autem oritur ex hisce novae formulae verbis grave incommodum, quod non adesset, si obiectum magisterii infallibilis competentis Romano Pontifici pariter indeterminate tantum exhiberetur. Nova formula, postquam obiectum infallibilitatis Romani Pontificis determinavit, obiectum infallibilitatis Ecclesiae exhibet indeterminate, et dicit, pro Romano Pontifice et pro Ecclesia obiectum esse idem. Hinc praebetur ansa obiectum infallibilitatis Ecclesiae determinandi per obiectum [infallibilitatis] Romani Pontificis et concludendi, Ecclesiam non esse infallibilem nisi quoad dogmata et haereses, sicut Romanus Pontifex non est infallibilis declaratus nisi quoad dogmata et haereses. — Et vero, si duo, quorum alterum est determinatum, alterum indeterminatum, inter se convenire dicuntur, id, quod est indeterminatum, exponi solet per id, quod est magis determinatum, quum minus notum explicari debeat per id, quod est magis notum. . .

„Dici fortasse potest, ambiguitatem, quae ex obiecto Ecclesiae et Romani Pontificis aequiparando oritur, sublatum iri, quum postea infallibilitatis Ecclesiae obiectum accuratius exprimendum sit. Supponendo, id locum esse habiturum, et obiectum infallibilitatis Ecclesiae ad plura esse extendendum, nihilominus praestare videtur, illa formulae verba eligere, quae etiam hic ambiguitati non praebeant ansam.

„Praeterea, quum hic obiectum infallibilitatis Romani Pontificis sit restrictum, si postea extendetur, nonne dicent, Concilium non sincere egisse, primo obiectum restringendo, postea extendendo? Huius calumniae praescinderetur occasio, si obiectum relinqueretur indeterminatum. — Sed abstrahendo etiam a calumniandi occasione, disserendi legibus minus videtur congruere, ut obiectum primo cum determinata restrictione efferatur, postea indeterminate exponatur. Plerumque enim via contraria procedi solet, ut videlicet, quod primo indeterminate sive conceptum sive expressum est, postea determinetur.

„Patet igitur, nova hac formula non videri illud obtineri, quod maxime curandum est, ut videlicet omnibus apertissime constet, obiectum infallibilitatis pontificiae eo usque extendi, quousque extenditur ipsius Ecclesiae infallibilitas; sed ansam praeberi existimandi, Romani Pontificis infallibilitatem restringi, aut iusto nimis restringi ipsius Ecclesiae infallibilitatem.“ [1]

[1] Fasciculus emendationum etc. C. V. 1706a sqq.

Suam tandem formulam propositurus animadvertit: „Praemittimus, nostra sententia cavendum quidem esse, ne formula definitionis illi errori favere videatur, qui nimis iam sparsus est, iudicia videlicet S. Sedis et ipsius Ecclesiae non esse infallibilia, nisi versentur in iis, quae sunt proprio et restricto sensu fide divina credenda; *non tamen a nobis peti, ut hic error hoc loco tanquam haeresis damnetur, dogma de infallibilitate sic proponendo, ut per se ipsum ad facta dogmatica et alia obiecta magisterii ecclesiastici extendatur.* Satis esse credimus, si definiatur, Romanum Pontificem esse infallibilem, ut est infallibilis Ecclesia. Itaque formulam, quae habetur in schemate, sic proponimus reformandam:

„‚Hinc sacro approbante Concilio docemus et dogma fidei esse declaramus: Romanum Pontificem, cui in persona b. Petri praeter alia a Christo Domino Nostro dictum est: Ego pro te rogavi etc. — quum pro plena potestate docendi universam Ecclesiam quaestiones de fide et moribus suo iudicio definit, per Spiritus Sancti assistentiam ab errore immunem servari; et has eius definitiones sive decreta, per se irreformabilia, a quovis christiano, ut primum ei innotuerint, pleno mentis assensu et obsequio excipienda et tenenda esse. Definimus insuper, hanc Romani Pontificis infallibilitatem ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur‘ etc.“ [1]

His patet, qualis fuerit dissensio inter eos, qui formulam Congregationi generali traditam respuebant, et complures illos Patres deputationis de fide, qui eam formulam composuerant. Utrisque constabat, Summum Pontificem non solum in rebus in se revelatis infallibilem esse, sed etiam in iis, quae cum revelatis cohaerent; porro utrique a definienda hac veritate abstinendum esse censebant. Dissentiebant de sola definitionis forma. Illi volebant, obiectum infallibilitatis omnino non accurate exhiberi, sed generatim definiri, Summum Pontificem in rebus fidei et morum infallibilem esse, ita, ut adderetur, obiectum infallibilitatis pontificiae idem esse cum obiecto infallibilitatis Ecclesiae. Hi censebant, definiendum esse, Summum Pontificem in rebus *fide divina credendis* infallibilem esse, addito quidem etiam altero, ambitum obiecti infallibilitatis pontificiae tam late patere quam obiectum infallibilitatis Ecclesiae. Quibus utrique ducebantur rationibus, exposuimus.

Dum in Congregationibus generalibus discussio de toto schemate et discussiones speciales de singulis capitibus habebantur, Patres illi, qui proposita definitionis infallibilitatis pontificiae formula contenti non erant, in congressibus privatis de ea emendanda deliberare pergebant. Quae ab iis contra formulam afferebantur, negligi non poterant ab iis, qui formulae auctores exstiterunt.

[1] Fasciculus emendationum etc. C. V. 1706d sq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In sessione quadragesima quarta deputationis die 22. Maii Cardinalis Bilio, postquam animadvertit, permultos Patres nova formula capitis quarti offendi, atque ob rationes non leves offendi, eam mutandam esse dixit idque eisdem fere rationibus probavit, quae die 7. Maii contra ipsum a duobus deputatis allatae erant. Praeter Archiepiscopos Dechamps, Spalding, Steins et Episc. Martin ei prope omnes assentiebantur. Novam formulam proposuit, quae quoad substantiam in pristinam, quam deputatio perperam mutaverat, rediit. Fere omnes autem deputati censebant, non iam aliam formulam a deputatione adoptandam et proponendam esse, sed e formulis, quas Patres in Congregationibus generalibus proposituri essent, eam esse eligendam, quae videretur optima[1].

Iis tamen non acquievit Cardinalis. Die 8. Iunii novum schema capitis quarti proposuit atque commendavit, in quo ipsa definitionis verba sunt haec: „. . . sacro approbante Concilio docemus et divinitus revelatum dogma esse declaramus: Romanum Pontificem, . . . cum supremi doctoris munere fungens quaestiones de fide et moribus suo iudicio definit, per Spiritus Sancti assistentiam ab errore immunem servari, et has eius definitiones sive decreta, per se irreformabilia, a quovis christiano, ut primum ei innotuerint, pleno mentis assensu et fidei obsequio excipienda et tenenda esse. Definimus insuper, hanc Romani Pontificis infallibilitatem ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.“[2] Formulae aliqua adnotata sunt. De hoc eius loco animadvertuntur haec: „. . . sensus formulae, quae nunc proponitur, eatenus indeterminatus est, quatenus quaeri potest, quaenam sit definitio quaestionis fidei, num ea tantum, qua aliquid fide divina credendum proponitur, an eae quoque, quibus de facto dogmatico decernitur, aut censura minor infra haeresim infligitur etc. Sed huic dubitationi per ea, quae de obiecto infallibilitatis addita sunt, quantum hic satis est, respondetur. Si enim in alia Constitutione obiectum infallibilitatis Ecclesiae determinabitur, eo ipso etiam obiectum infallibilitatis Romani Pontificis declarabitur. Sin vero nulla talis definitio fiet, *de obiecto vi huius decreti iudicandum erit secundum ea, quae nunc iam de Ecclesiae infallibilitate communiter tenentur: nempe dogma fidei esse, Romanum Pontificem non posse errare,* quum *divina fide credenda* proponit, et *theologice certum esse, eum etiam in aliis rebus declarandis ab errore immunem esse.* Unde patet, per hanc formulam nec plus nec minus definiri, quam in prius proposita definiretur; sed per hanc formulam genericam vitari videntur incommoda quaedam in priori a nonnullis inventa.“[3]

[1] Ex actis etc. C. V. 1686a. — Ex diurnis etc. C. V. 1701a.
[2] Formulae tres pro emendatione capitis quarti etc. C. V. 1644a.
[3] Ibid. C. V. 1644c.

Illa igitur formula nihil novi de obiecto infallibilitatis definitur; agitur de solo eius subiecto. Quae de obiecto infallibilitatis Ecclesiae *aliunde* cognita sunt, ad infallibilitatem Summi Pontificis transferuntur. Formula, licet compluribus placuerit, post diuturnam de ea discussionem repudiata est[1].

Tertiam formulam[2] Cardinalis Bilio in quinquagesima sessione die 24. Iunii deputationi tradidit, in qua nulla est accuratior descriptio obiecti infallibilitatis. De ea tamen deliberatio habita non est[3].

Iam antea, in Congregatione generali septuagesima altera die 15. Iunii, discussio specialis de quarto capite Constitutionis inceperat. Die 18. Iunii Cardinalis Cullen, Archiep. Dublinensis, eius paragraphi, qua definitio continetur, emendationem[4] proposuerat, quam Cardinalis Bilio sequenti die in sessione quadragesima octava deputationi commendaverat[5]. In sessione quinquagesima prima ad eam rediit et deputatos rogavit, placeretne, eam formulam Congregationi generali commendari. Deputatis videbatur exspectandum esse, donec proposita Patrum scripto tradita essent[6]. Etiam ab aliis Patribus et in deputationis sessionibus et in privatis conventibus novae formulae proponebantur vel commendabantur, in quibus illud „tanquam de fide tenendum“ omittitur[7]. Ipse Episcopus Paderbornensis in Congregatione generali iam novam formulam proponit, cui haec verba, quae antea addiderat, desunt[8].

[1] Ex actis etc. C. V. 1686b sqq. — Ex diurnis etc. C. V. 1701a.
[2] „Hinc sacro approbante Concilio docemus et fidei dogma esse declaramus, Romanum Pontificem, quando ex Cathedra loquitur, id est, quando supremi pastoris et doctoris munere fungens res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium definit, per assistentiam divinam Petro promissam aeque esse infallibilem, ac si easdem una cum Episcopis in generali Concilio congregatis definiret, atque huiusmodi iudicia Romani Pontificis esse ex sese irreformabilia.“ Formulae tres etc. C. V. 1644d.
[3] Ex actis etc. C. V. 1690d. — Ex diurnis etc. C. V. 1701b.
[4] „. . . sacro approbante Concilio docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, . . . quum doctrinam de fide vel moribus sua in universam Ecclesiam auctoritate definit, per assistentiam Spiritus Sancti ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit; ideoque haec Romani Pontificis decreta ex sese irreformabilia esse.“ Formulae tres etc. C. V. 1645c. d. Cf. Emendationes etc. C. V. 382d. Est emendatio sexagesima octava.
[5] Ex actis etc. C. V. 1689d. — Ex diurnis etc. C. V. 1701b.
[6] Ex actis etc. C. V. 1691a. — Ex diurnis etc. C. V. 1701b. c.
[7] Ex actis etc. C. V. 1692a. — Ex diurnis etc. C. V. 1701c.
[8] Ex diurnis commentariis etc. C. V. 1701c. Formula est haec: „. . . sacro approbante Concilio docemus et tanquam dogma fidei declaramus: Romanum Pontificem . . ., quum pro suprema sua apostolica auctoritate universam Ecclesiam docet, *in definiendis rebus fidei et morum* ad

Discussione speciali de quarto capite die 4. Iulii conclusa emendationes a Patribus propositae deputationi pro rebus ad fidem spectantibus tradebantur. In nonnullis ex formulis propositis verba illa „tanquam de fide“ retenta [1], in aliis deleta sunt [2], in aliis etiam adnotatum est, verba tollenda esse, ne obiectum infallibilitatis coartetur [3]. Inter canones, qui proponebantur, unus est [4], in quem recepta sunt, in omnibus aliis desunt [5]. Unus ex Patribus poscit, ut diserte dicatur, Summo Pontifici obedientiam deberi proponenti etiam ea, quae in se revelata non sunt [6]. Alius, ut definiatur, Papam in factis dogmaticis definiendis infallibilem esse [7].

Deputatio tribus diebus continuis (7. 8. 9. Iulii) diuturnas et laboris plenas sessiones habuit, ut omnes emendationes in trutinam revocaret. Quum ad eas perventum esset, quibus de ipsa definitionis formula agebatur, examine emendationum interrupto Emus Praeses monuit, necessarium esse, ut Patres, antequam ipsam definitionis formulam discuterent, de duobus convenirent, primo de re definienda, secundo de formula definitionis. Quoad primam quaestionem omnes consentiebant, id Romano Pontifici solemniter definienti tribuendum esse, quod ei una cum Episcopis unito seu Concilio oecumenico competit, nec plus, nec minus. Quoad formulam, omnes, uno excepto, in hac convenerunt: „Romanum Pontificem, quum ex Cathedra loquitur, id est, quum supremi omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam, infallibilem esse ad eum modum, quo per eandem Spiritus Sancti assistentiam in doctrina de fide et moribus definienda infallibilia sunt sanctae Ecclesiae oecumenica Concilia.“ [8]

Neque tamen hanc ipsam formulam deputati Congregationi proponi et commendari volebant. In ea comprobanda id solum agebant, ut quoad illam quaestionem, de qua tantopere disputatum erat, sc. de modo, quo obiectum infallibilitatis commemoraretur, convenirent. Sequenti die alius formulae ab illa multum diversae mentio fit [9], atque tandem die 9. Iulii ea formula proponitur, quae ab omnibus deputatis comprobata [10] in Congregatione generali a deputationis relatore commendabatur. Haec formula ab illa, quam a Cardinali Cullen in Con-

aedificationem doctrinae christianae pertinientium . . . errare non posse, ideoque“ etc. C. V. 1713 b.

[1] Emendatio 33. 36. 37. 45. 47. 52. C. V. 376 d sqq.
[2] Emendatio 25. 31. 54. 66. 67. 68. C. V. 375 d.
[3] Emendatio 56. 57. 65. C. V. 380 d sqq.
[4] Emendatio 95. C. V. 386 d.
[5] Emendationes 85—93. C. V. 385 d sqq.
[6] Emendatio 70. C. V. 383 a.
[7] Emendatio 71. C. V. 383 a.
[8] Ex actis etc. C. V. 1692 c. d.
[9] Ex actis etc. C. V. 1693 c.
[10] Ibid. C. V. 1694 c. d.

gregatione generali propositam supra attulimus [1], non multum differt. Ea typis impressa inter Patres distribuitur [2]. Relator deputationis constituitur Episc. Brixinenis.

Is in Congregatione generali octogesima quarta (d. 11. Iulii), in qua de emendationibus Patrum suffragia ferenda erant, primo generatim de capite quarto [3], deinde de singulis primis viginti emendationibus [4], atque suffragiis de his latis, de reliquis emendationibus disseruit [5]. Quum ad illas pervenisset, quae ad obiectum infallibilitatis referuntur, primo eam formulam praelegit, quam deputatio unanimi consensu comprobavit; est autem haec: „. . . sacro approbante Concilio docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, quum ex Cathedra loquitur, id est quum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones esse ex sese irreformabiles.“ [6] Rmus relator dicit, multis habitis deliberationibus deputationem constituisse, hanc formulam, quae fere eadem sit cum formula in emendatione sexagesima octava proposita, Congregationi generali commendare. Deinde eam explicaturus ostendit, in ea sermonem esse de subiecto infallibilitatis, deinde de conditionibus actus infallibilis definitionis, tum de infallibilitatis causa efficienti, tandem de eius obiecto. Quae de obiecto disseruit, ad nos maxime spectant atque controversiam omnem dirimunt, quare ea integra referemus.

„Infallibilitas“, inquit, „promissa est ad custodiendum et evolvendum integrum depositum fidei. Hinc universim quidem facile patet, obiectum infallibilitatis esse doctrinam de fide et moribus. At non omnes veritates, quae ad doctrinam de fide et moribus christianis pertinent, sunt unius modi; nec omnes in uno eodemque gradu ad custodiam integritatis depositi necessariae sunt. Unde etiam consequitur, errores contrarios diversis gradibus adversari deposito custodiendo, prout veritates ipsae, quibus adversantur, magis vel minus ad ipsum depositum pertinent. Qui quidem errorum gradus diversi diversis censurarum notis distinguuntur.

[1] P. 201 [4].
[2] Acta Congregationum etc. C. V. 758 b. — Relatio etc. C. V. 388 b.
[3] Relatio etc. C. V. 388 c sqq. — Acta Congregationum etc. C. V. 758 b.
[4] Relatio etc. C. V. 406 a sqq. — Acta Congregationum etc. C. V. 758 b. c.
[5] Relatio etc. C. V. 410 a sqq. — Acta Congregationum etc. C. V. 758 c.
[6] Relatio etc. C. V. 413 d sq. Cf. 388 b. Cf. Ex actis etc. C. V. 1694 c. d.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„Iam hic 1. certum est, infallibilitatem a Deo promissam, sive in tota Ecclesia docente, quum in Conciliis veritates definit, sive in ipso Summo Pontifice per se spectetur, ad eundem omnino ambitum veritatum extendi; cum idem sit finis infallibilitatis, utrovis modo ea consideretur.

„2. In eo ipso verbo Dei, quo infallibilitas ad custodiam depositi sive Pontifici per se spectato sive Ecclesiae docenti promissa est, continetur etiam indubitanter, hanc infallibilitatem extendi saltem ad ea, quae per se depositum fidei constituunt, ad dogmata nimirum fidei definienda et, quod eodem redit, ad haereses condemnandas. Hinc sane de fide creditur et credendum est ab omnibus filiis sanctae matris Ecclesiae, Ecclesiam in proponendis ac definiendis dogmatibus fidei infallibilem esse. Eodem autem modo infallibilitas capitis Ecclesiae revelata esse et definiri non poterit, quin eo ipso revelatum sit ac definiatur, Pontificem esse infallibilem in definiendis fidei dogmatibus.

„At vero 3. cum dogmatibus revelatis, ut paulo ante dixi, veritates aliae magis vel minus stricte cohaerent, quae licet in se revelatae non sint, requiruntur tamen ad ipsum depositum revelationis integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum; huiusmodi igitur veritates, ad quas utique etiam per se pertinent facta dogmatica, quatenus sine his depositum fidei custodiri et exponi non posset, huiusmodi, inquam, veritates non quidem per se ad depositum fidei, sed tamen ad custodiam depositi fidei spectant. Hinc omnes omnino catholici theologi consentiunt, Ecclesiam in huiusmodi veritatum authentica propositione ac definitione esse infallibilem, ita ut hanc infallibilitatem negare gravissimus esset error. Sed opinionum diversitas versatur unice circa gradum certitudinis, utrum sc. infallibilitas in hisce veritatibus proponendis, ac proinde in erroribus per censuras nota haereseos inferiores proscribendis debeat censeri dogma fidei, ut hanc infallibilitatem Ecclesiae negans esset haereticus; an solum sit veritas in se non revelata, sed ex revelato dogmate deducta, ac proinde solum theologice certa.

„Iam vero quum de infallibilitate Summi Pontificis in definiendis veritatibus idem omnino dicendum sit, quod de infallibilitate definientis Ecclesiae, eadem oritur quaestio de extensione infallibilitatis pontificiae ad huiusmodi veritates in se non revelatas, pertinentes tamen ad custodiam depositi: quaestio, inquam, oritur, utrum infallibilitas pontificia in his veritatibus definiendis non solum sit theologice certa, sed sit fidei dogma, eodem prorsus modo, sicut dictum est de infallibilitate Ecclesiae. Quum autem Patribus deputationis unanimi consensione visum sit, hanc quaestionem nunc saltem non definiendam, sed relinquendam esse in eo statu, in quo est, necessario consequitur, ex eorundem deputatorum sententia decretum fidei de infallibilitate Romani Pontificis ita esse concipiendum, ut definiatur, de obiecto infallibilitatis in definitionibus Romani Pontificis omnino idem credendum esse, quod creditur de obiecto infallibilitatis in definitionibus Ecclesiae.

„*Hinc praesens definitio de obiecto infallibilitatis duas continet partes inter se intime nexas. Pars prior obiectum infallibilitatis solum generice enuntiat, illud nempe esse doctrinam de fide et moribus; pars vero altera hoc obiectum non quidem per singula distincte declarat, sed illud circumscribit ac determinat per comparationem cum infallibilitate in definitionibus Ecclesiae, adeo ut omnino idem profitendum sit de obiecto infallibilitatis in definitionibus editis a Pontifice, quod profitendum est de obiecto infallibilitatis in definitionibus Ecclesiae.* Hae duae partes semper debent inter se coniungi, si sensus nostrae definitionis verus velit haberi. Ergo non solummodo dicendum est, Papam esse infallibilem in rebus fidei et morum, quando definit doctrinas de fide et moribus, sed hanc infallibilitatem esse eam infallibilitatem, qua gaudet Ecclesia; proinde etiam nunquam sibi omnino sensum definitionis nostrae quis assequeretur, si simpliciter annuntiaret, Romanum Pontificem esse infallibilem, quando aliquid definit de fide vel moribus; sicut etiam ille sensum nostrae formulae non assequeretur, qui simpliciter diceret, Romanum Pontificem esse infallibilem, quando aliquid definit ab Ecclesia simpliciter tenendum; sed hae duae res semper sunt inter se connectendae, ut sensus nostrae formulae sanus et verus habeatur. Hoc autem utrumque aptissime exprimi videtur hac formula: Romanum Pontificem, quum doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.

„Proinde in tota hac definitione tria sequentia continentur: 1. Romanum Pontificem per promissam sibi divinam assistentiam esse infallibilem, quum pro suprema sua auctoritate doctrinam ab universa Ecclesia tenendam definit seu, ut plures theologi loquuntur, definitiva ac terminativa sententia proponit; 2. obiectum harum infallibilium definitionum esse doctrinam de fide vel moribus; 3. in hoc obiecto ita generice enuntiato infallibilitatem Pontificis nec minus nec magis late patere, quam pateat infallibilitas Ecclesiae in suis definitionibus doctrinae de fide et moribus. Unde sicut nemine diffitente haereticum est, Ecclesiae infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus negare, ita in huius decreti Vaticani vim non minus haereticum erit negare Summi Pontificis per se spectati infallibilitatem in definitionibus dogmatum fidei. In illis autem, in quibus theologice quidem certum, non tamen hactenus certum de fide est, Ecclesiam esse infallibilem, etiam infallibilitas Pontificis hoc decreto sacri Concilii non definitur tanquam de fide credenda. Qua vero certitudine theologica constat, haec alia obiecta praeter dogmata fidei comprehendi inter ambitum infalli-

bilitatis, qua pollet Ecclesia in suis definitionibus, eadem certitudine tenendum est ac erit, ad haec etiam obiecta extendi infallibilitatem in definitionibus editis a Romano Pontifice.“ [1]

Addidit Episc. Brixinensis, si formula, quam nomine deputationis proposuerit, a Congregatione generali reciperetur, opus non iam esse, ut de omnibus illis singulis, quae in emendationibus de obiecto infallibilitatis proposita essent, suffragia ferrentur. Propterea suffragia de illa formula prius rogatum iri quam de aliis emendationibus, quibus ageretur de obiecto infallibilitatis [2].

Deinde relatione de his emendationibus finita, suffragia rogabantur primo de emendatione vigesima prima et sequentibus. Quum ad eas perventum esset, quibus de obiecto infallibilitatis agitur, primo de ea formula suffragia ferebantur, quam Episc. Brixinensis nomine deputationis proposuit et commendavit. Eam fere omnes admiserunt [3]. De toto capite quarto a deputatione secundum emendationes a Congregatione generali receptas emendato suffragia ferebantur in octogesima quinta Congregatione generali. Pars longe maior Patrum illud suffragiis approbavit [4]. Deinde in eadem Congregatione de tota Constitutione suffragia rogantur. Suffragia dederunt Patres 601. Ex his 451 suffragium „Placet“, alii 88 „Non placet“, alii 62 „Placet iuxta modum“. Hi, qui suffragium „Placet iuxta modum“ dederunt, quae mutari desiderabant, scripto Praesidibus obtulerunt [5]. Eorum exceptiones deputatio in sessione quinquagesima septima et octava examinavit [6]. Relator de exceptionibus in caput quartum constitutus est Episc. Brixinensis. Aliquae ex iis iterum de obiecto infallibilitatis agebant neque quidquam continebant, de quo suffragia non iam lata erant [7].

De his Episc. Brixinensis in relatione, quam in Congregatione generali octogesima sexta die 16. Iulii habuit: „Hac de re [de obiecto infallibilitatis]“, inquit [8], „nuper diffusissime locutus sum, et nihilominus, ut exceptiones ipsae manifestum reddunt, plures ex Rmis Patribus adhuc dum incerti haerere videntur de sensu eorum verborum: hinc plures novas formulas circa obiectum infallibilitatis proponunt. Et quidem istae formulae plerumque duabus propositionibus constant, quarum prior plerumque est prorsus indeterminata, ita ut se referat ad omnia decreta pontificia sine omni discrimine; in secunda vero propositione aliquo modo ista propositio determinatur et coartatur. Talem rem enuntiandi modum deputatio de fide non potest approbare;

[1] Relatio etc. C. V. 413 d sqq. [2] Ibid. C. V. 417 a sqq.
[3] Ibid. C. V. 421 b. [4] Acta Congregationum etc. C. V. 759 d.
[5] V. Exceptiones etc. C. V. 432 a sqq.
[6] Ex actis etc. C. V. 1695 a sqq. — Ex diurnis etc. C. V. 1702 e.
[7] Exceptiones etc. C. V. 453 d sqq. [8] Relatio etc. C. V. 475 a sqq.

sed potius longe praefert formulam suam a Congregatione generali iam admissam; quae sub unica propositione totum de obiecto infallibilitatis enuntiat, ita ut tamen sub duplici notione, scilicet sub notione generica et sub notione specifica, hoc enuntietur.

„Ex notione generica scilicet, quum Romanus Pontifex munere summi pastoris et doctoris fungens doctrinam, quae est de fide et moribus, ab universa Ecclesia tenendam definit, [eum] infallibilitate gaudere; ex hac notione generica discimus, Romanum Pontificem ex Cathedra loquentem esse infallibilem, quum de rebus fidei et morum aliquid definit. Sed ex simul adiecta notione specifica addiscimus, in extensione huius infallibilitatis, in applicatione huius infallibilitatis ad singula Romani Pontificis decreta discrimen esse ponendum; ita quidem ut alia (sicuti idem etiam valet de definitionibus dogmaticis Conciliorum) sint certa de fide; ita quidem ut qui negaret, Pontificem in tali decreto edendo fuisse infallibilem, iam eo ipso, utrum doctrinam ipsam neget vel affirmet, fieret haereticus; alia vero decreta Romani Pontificis sunt quidem quoad infallibilitatem etiam certa, sed certitudo haec non est eadem, sicut etiam in aliis definitionibus et decretis Conciliorum non eadem adest certitudo circa infallibilitatem Concilii; ita quidem ut haec certitudo solummodo sit certitudo theologica eo in sensu, ut is, qui negaret, Ecclesiam vel ex pari etiam Pontificem in tali decreto edendo non fore infallibilem, ut talis quidem non esset aperte haereticus, attamen errorem gravissimum et peccatum gravissimum sic errando committeret. Proinde nos in nostra formula totum obiectum enuntiamus simul sub una propositione, attamen sub duplici notione generica et specifica; ita quidem ut ex generica solummodo pateat obiectum infallibilitatis generale, et ex notione specifica deinde appareat certitudo huius infallibilitatis, utrum sit de fide an vero solummodo certitudo theologica etc.“

Nullam ex illis, quae de obiecto infallibilitatis agebant, exceptionibus Episc. Brixinensis suffragiis proposuit atque formula definitionis, quae ab eo commendata in Congregatione octogesima quarta et quinta Patrum suffragia tulit, quatenus de obiecto infallibilitatis agit, retenta et in Sessione solemni cum tota Constitutione a Concilio recepta et a Summo Pontifice approbata est.

Itaque historia capitis quarti clare constat, quid de obiecto infallibilitatis Summi Pontificis definitum sit: id unum, obiectum esse idem atque obiectum infallibilitatis Ecclesiae generatim. Quid autem censendum sit de obiecto infallibilitatis Ecclesiae, a Concilio non docetur. Id definiendum erat in altera de Ecclesia Constitutione, quae propter suspensum Concilium proponi non potuit. Scimus autem aliunde — atque ea est veritas de fide catholica credenda, quam negare haereticum est —, Ecclesiam in definiendis veritatibus *revelatis* infallibilem esse. Id igitur vi Constitutionis Vaticani etiam de Summo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pontifice profitendum est, atque id negare haereticum est. Porro scimus aliunde, Ecclesiam infallibilem etiam esse in iis proponendis, quae, licet revelata non sint, tamen ad doctrinam revelatam tuendam, explicandam, evolvendam exponi debent; quod quidem, licet non sit veritas, quae certitudine aequet veritates suprema auctoritate ecclesiastica definitas ac fide catholica credendas, quas negare haereticum est, inter veritates tamen certissimas referri debet, de quibus inter theologos nulla exstat controversia. Eadem autem certitudine, qua hanc veritatem admittimus, vi Constitutionis Vaticani admittere etiam debemus, Summum Pontificem in aliis illis veritatibus proponendis, quae revelatae non sunt, infallibilem esse. Id negare haereticum non est; sed affirmare, Ecclesiam in iis proponendis infallibilem esse, non item Summum Pontificem, id sane crimen haeresis constitueret.

Ex iis, quae exposuimus, patet, Concilium Vaticanum nihil novi de *obiecto* infallibilitatis docuisse, sed de solo eius *subiecto* egisse et docuisse, infallibilitatem, quam Ecclesiae magisterio tribuamus, eandem etiam Summo Pontifici tribuendam esse. Quare non recte Ioannes B. Andries, ostensurus, Summi Pontificis infallibilitatem etiam ad ea extendi, quae ipsa revelata non sunt, ex decreto Concilii Vaticani argumenta petit[1]. Vidimus historice, Concilium id enuntiare *noluisse*. Neque id enuntiavit. In formula „doctrina de fide vel moribus“ vox fidei non fidem *obiectivam*, sc. doctrinam revelatam, ut Andries putat, significare videtur, sed fidem subiectivam, habitum sc. et actum. Sed id persequi nolumus, quum haec quaestio argumentum non tangat. Doctrina de fide et moribus sine dubio illa doctrina est, qua christianorum fides ac mores reguntur, atque „definire doctrinam de fide et moribus“ est „definire, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit“[2]. Iam his verbis non satis declaratur, utrum de sola doctrina *revelata* agatur an etiam de doctrina cum hac connexa. Neque sensus determinatur addita voce *„tenendam“*, quae ad utriusque generis doctrinam referri potest. Putavit quidem Andries, Concilium, quum voci credendi praetulerit vocem tenendi, quae universaliorem sensum habet, docere voluisse, Summum Pontificem in utriusque generis doctrina definienda infallibilem esse. Id verum non est. Praetulit enim, ut vidimus, hanc vocem, ne, si vocem credendi usurparet, aliquando definivisse videretur, Summum Pontificem in *sola* doctrina revelata infallibilem esse. *Nolle* autem definire, eum in *sola* doctrina revelata infallibilem esse, non idem est ac *velle* definire, eum *etiam* in rebus, quae revelatae non sunt, infallibilem esse. Ab hac quaestione dirimenda plane abstinere voluit, atque ea ipsa fuit ratio, cur verbis non determinatis uteretur. Ea, quantum spectato eius proposito requirebatur, determinat, quum addat, infallibilitatem Summi

[1] Supra p. 191 sq. [2] Cf. schema pristinum supra p. 192.

Pontificis eandem esse atque Ecclesiae; his enim, quae de huius infallibilitate cognovimus, de infallibilitate pontificia admittenda esse discimus.

Inde tandem, quod in Constitutione de fide magisterio ecclesiastico ius et officium tribuitur, „falsi nominis scientiam proscribendi“, non sequitur, in Constitutione prima de Ecclesia Summo Pontifici infallibilitatem ascribi in definienda doctrina, quae revelata non est, sed cum revelata doctrina connexa[1]. Ostendimus enim supra[2], „falsi nominis scientiam“ intelligi doctrinam ipsi veritati *revelatae* formaliter oppositam. Sed etiamsi magisterio ecclesiastico ius et officium attribueretur proscribendi eos errores, quibus veritates cum revelata doctrina connexae negantur, ei remote tantum, sc. eatenus solum attribueretur infallibilitas in proponendis hisce veritatibus, quatenus ex hac doctrina a Concilio statuta posset theologica conclusione *deduci*, in tuendis hisce veritatibus Ecclesiae infallibilitatem ascribendam esse.

Ut, quae de sensu definitionis infallibilitatis pontificiae ostendimus, clarius ob oculos ponamus, tres primarias formulas ad eam definiendam propositas inter se comparemus. Primo loco habetur formula ea, quae tanquam caput undecimo capiti schematis de Ecclesia addendum Patribus Concilii tradebatur[3]. Altera est formula illa a deputatione de fide mutata, quae tanquam pars capitis quarti schematis Constitutionis primae de Ecclesia in Congregatione generali primo discutiebatur[4]. Tertia ea formula est, quae a Cardinali Cullen in Congregatione generali proposita et a deputatione reformata atque commendata tanquam definitio infallibilitatis pontificiae a Concilio recepta et comprobata est[5]. Quae verba primae formulae a deputatione addita ac postea iterum omissa sunt, quaeque tot discussionum erant causa, insignioribus literis indicamus:

Hinc sacro approbante Concilio docemus et tanquam fidei dogma definimus, [I.] per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex . . . cum supremi omnium Christianorum doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit; et [II.] hanc Romani Pon-	Hinc sacro approbante Concilio [I.] docemus et tanquam dogma fidei declaramus, Romanum Pontificem . . . vi assistentiae divinae ipsi promissae errare non posse, quum supremi omnium Christianorum doctoris munere fungens pro apostolica sua auctoritate definit, quid in rebus fidei ac morum ab universa Ecclesia *tanquam de fide* tenendum vel *tanquam fidei contrarium* reiiciendum sit; et eiusmodi decreta sive iudicia, per se irreformabilia, a quovis Christiano, ut primum ei innotuerint,	Itaque nos . . . sacro approbante Concilio docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus, Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per

[1] Cf. supra p. 192. [2] P. 91[1]. [3] V. supra p. 192.
[4] V. p. 196. [5] V. p. 203.

tificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.

pleno fidei obsequio excipienda et tenenda esse. Quoniam vero infallibilitas eadem est, sive spectetur in Romano Pontifice tanquam capite Ecclesiae, sive in universa Ecclesia docente cum capite unita, insuper [II.] definimus, hanc infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere.

assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.

Unum iuverit addidisse: in duabus primis formulis duo, in ultima definiri unum. In illis enim definitur [I.], Summum Pontificem in definiendis rebus fidei et morum (vel, ut in altera est, in rebus fide divina credendis) infallibilem esse, et [II.], eius infallibilitatis obiectum tam late patere quam obiectum infallibilitatis Ecclesiae. In tertia autem formula unum hoc definitur, Summum Pontificem in rebus fidei et morum eadem infallibilitate pollere, qua Ecclesia in rebus fidei et morum instructa est, ita ut, si ex hac definitione eruere volumus, quousque infallibilitas Summi Pontificis se extendat, id prius quaerere debeamus, quousque se extendat Ecclesiae infallibilitas.

CAPUT TERTIUM.

Ipsa Constitutio dogmatica prima[1] de Ecclesia Christi adnotationibus subiectis explicata.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam[2].

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum[3], ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei

[1] V. supra cap. I. Historia etc. p. 110.

[2] Cf. adnotationem ad initium Constitutionis de fide, supra p. 70.

[3] In hoc prooemium quadrat, quod theologi initio capitis undecimi pristini schematis de Ecclesia adiecerant: „... prooemium integrum fere constat ss. Literarum incisis ac phrasibus, quibus indicatur atque describitur tum illius [Primatus] auctor seu institutor, Dominus noster Iesus Christus, et quidem pro eo munere, quod institutum Christus voluit in ipso Petro veluti sui vicario; tum institutionis ratio ac causa finalis, tum eius perpetuitas, propria vis ac natura." (Schema etc. C. V. 611 c. d.)

et charitatis vinculo continerentur. Quapropter[1], priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens[2] in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum[3], super cuius

[1] Animadverterat unus e Patribus in Congregatione generali, sententia hac non exprimi „nec solum, nec etiam praecipuum motivum orationis Domini". Christum rogasse, „ut unum sint, *ut credat mundus*". (Emendationes etc. C. V. 303 a.) Respondit Rmus Leahy, Archiepiscopus Casseliensis, deputationis relator: „Verba schematis nostri neque expresse neque per implicationem significant, quisnam fuerit vel praecipuus vel solus finis orationis dominicae . . . et proinde non excludit [schema] illum alium remotum ulteriorem finem, quem Christus habuit in orando, nempe: *ut mundus credat, quia tu me misisti.* — Revera Christus in hoc loco oravit pro duobus; oravit pro uno immediate, oravit pro alio remote. Immediate oravit pro unitate discipulorum, qui in eum credituri essent; oravit etiam remote pro alio fine, pro eo scilicet, ut haec unitas discipulorum eius esset nota, quasi nota vel character, unde mundus agnosceret eius divinam missionem et divinitatem eius Evangelii. . . Sed neque textus Scripturae neque verba schematis nostri directe vel indirecte significant, quisnam fuerit finis orationis dominicae vel praecipuus vel solus; proinde vere dici non potest, ut dicitur in emendatione, quod schema nostrum excludit finem, propter quem Christus oravit, scilicet: *ut mundus credat, quia tu me misisti.*" (Relatio etc. C. V. 305 c sqq.)

[2] Inter conditiones, quae suffragiis „Placet" adiecta sunt, continetur etiam haec, ut voci „praeponens" substituatur „eligens", quae vox Evangelio magis esset consentanea. (Exceptiones etc. C. V. 433 b.) Respondet Rmus d'Avanzo, Episc. Calvensis: „Triplici vice in Evangelio sermo instituitur de electione Apostolorum, scilicet apud Matthaeum, apud Marcum et apud Lucam; neque Matthaeus neque Marcus adhibent verbum *elegit*; tantummodo Lucas dicit, quod Iesus Christus Dominus noster ex omnibus discipulis elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit. Iam vero cum dicimus, ex discipulis elegit duodecim, quos Apostolos nominavit, iam patet, quinam sit scopus electionis. At si diceretur, ut proponit Rmus: *b. Petrum inter ceteros Apostolos eligens*, eligens ad quid? eligens ad Primatum, eligens, ut sit Primas. Et quid est praeponere nisi eligere, ut sit Primas? Quare ad quid ista circumlocutio? Numquid (id nemo potest suspicari), numquid et de Primatu vellet aliquod dubium ingerere? Id impossibile est, ne quidem suspicari. Itaque nulla unquam ratio potest rationabiliter admitti pro huiusmodi exceptione." (Relatio etc. C. V. 461 c. d.)

[3] Cur Petrus recte dicatur unitatis *principium*, nec substituenda sit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.

pleno fidei obsequio excipienda et tenenda esse. Quoniam vero infallibilitas eadem est, sive spectetur in Romano Pontifice tanquam capite Ecclesiae, sive in universa Ecclesia docente cum capite unita, insuper [II.] definimus, hanc infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere.

assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.

Unum iuverit addidisse: in duabus primis formulis duo, in ultima definiri unum. In illis enim definitur [I.], Summum Pontificem in definiendis rebus fidei et morum (vel, ut in altera est, in rebus fide divina credendis) infallibilem esse, et [II.], eius infallibilitatis obiectum tam late patere quam obiectum infallibilitatis Ecclesiae. In tertia autem formula unum hoc definitur, Summum Pontificem in rebus fidei et morum eadem infallibilitate pollere, qua Ecclesia in rebus fidei et morum instructa est, ita ut, si ex hac definitione eruere volumus, quousque infallibilitas Summi Pontificis se extendat, id prius quaerere debeamus, quousque se extendat Ecclesiae infallibilitas.

CAPUT TERTIUM.

Ipsa Constitutio dogmatica prima[1] de Ecclesia Christi adnotationibus subiectis explicata.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam[2].

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum[3], ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei

[1] V. supra cap. I. Historia etc. p. 110.

[2] Cf. adnotationem ad initium Constitutionis de fide, supra p. 70.

[3] In hoc prooemium quadrat, quod theologi initio capitis undecimi pristini schematis de Ecclesia adiecerant: „... prooemium integrum fere constat ss. Literarum incisis ac phrasibus, quibus indicatur atque describitur tum illius [Primatus] auctor seu institutor, Dominus noster Iesus Christus, et quidem pro eo munere, quod institutum Christus voluit in ipso Petro veluti sui vicario; tum institutionis ratio ac causa finalis, tum eius perpetuitas, propria vis ac natura." (Schema etc. C. V. 611 c. d.)

et charitatis vinculo continerentur. Quapropter[1], priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens[2] in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum[3], super cuius

[1] Animadverterat unus e Patribus in Congregatione generali, sententia hac non exprimi „nec solum, nec etiam praecipuum motivum orationis Domini". Christum rogasse, „ut unum sint, *ut credat mundus*". (Emendationes etc. C. V. 303 a.) Respondit Rmus Leahy, Archiepiscopus Casseliensis, deputationis relator: „Verba schematis nostri neque expresse neque per implicationem significant, quisnam fuerit vel praecipuus vel solus finis orationis dominicae . . . et proinde non excludit [schema] illum alium remotum ulteriorem finem, quem Christus habuit in orando, nempe: *ut mundus credat, quia tu me misisti.* — Revera Christus in hoc loco oravit pro duobus; oravit pro uno immediate, oravit pro alio remote. Immediate oravit pro unitate discipulorum, qui in eum credituri essent; oravit etiam remote pro alio fine, pro eo scilicet, ut haec unitas discipulorum eius esset nota, quasi nota vel character, unde mundus agnosceret eius divinam missionem et divinitatem eius Evangelii. . . Sed neque textus Scripturae neque verba schematis nostri directe vel indirecte significant, quisnam fuerit finis orationis dominicae vel praecipuus vel solus; proinde vere dici non potest, ut dicitur in emendatione, quod schema nostrum excludit finem, propter quem Christus oravit, scilicet: *ut mundus credat, quia tu me misisti.*" (Relatio etc. C. V. 305 c sqq.)

[2] Inter conditiones, quae suffragiis „Placet" adiecta sunt, continetur etiam haec, ut voci „praeponens" substituatur „eligens", quae vox Evangelio magis esset consentanea. (Exceptiones etc. C. V. 433 b.) Respondet Rmus d'Avanzo, Episc. Calvensis: „Triplici vice in Evangelio sermo instituitur de electione Apostolorum, scilicet apud Matthaeum, apud Marcum et apud Lucam; neque Matthaeus neque Marcus adhibent verbum *elegit*; tantummodo Lucas dicit, quod Iesus Christus Dominus noster ex omnibus discipulis elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit. Iam vero cum dicimus, ex discipulis elegit duodecim, quos Apostolos nominavit, iam patet, quinam sit scopus electionis. At si diceretur, ut proponit Rmus: *b. Petrum inter ceteros Apostolos eligens*, eligens ad quid? eligens ad Primatum, eligens, ut sit Primas. Et quid est praeponere nisi eligere, ut sit Primas? Quare ad quid ista circumlocutio? Numquid (id nemo potest suspicari), numquid et de Primatu vellet aliquod dubium ingerere? Id impossibile est, ne quidem suspicari. Itaque nulla unquam ratio potest rationabiliter admitti pro huiusmodi exceptione." (Relatio etc. C. V. 461 c. d.)

[3] Cur Petrus recte dicatur unitatis *principium*, nec substituenda sit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret a). Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra eius fundamentum divinitus positum maiori [1] in dies odio undique insur-

a) S. Leo M. serm. IV. (al. III.) cap. 2. in diem Natalis sui. [Migne P. L. LIV, 150.]

vox *centri*, item cur recte dicatur *visibile fundamentum*, v. supra cap. II. comment. I. p. 125 sqq.

[1] Unus ex Patribus in Congregatione generali loco „maiori“ dici voluit „constanti“. (Emendationes etc. C. V. 303 d.) „Auctor istius emendationis“, inquit Archiep. Leahy, relator deputationis (Relatio etc. C. V. 308 d sqq.), „negat historicam veritatem assertionis in schemate, nempe huius assertionis, quod portae inferi maiori in dies odio insurgunt adversus fundamentum Ecclesiae et adversus ipsam Ecclesiam, tum quoad haereticos tum quoad catholicos. Haeretici et schismatici nunquam erant mitiores quam nunc; catholici nunquam magis devoti erga Sanctam Sedem; et si qui catholici insurrexerunt et insurgunt contra temporalem potestatem Pontificis, horum conatus sunt mere politici. Ita dicit rmus emendator.

„Sed pace rmi emendatoris assertio in schemate et historice vera est, et eheu! nimis vera. Quoad haereticos et schismaticos, quamvis mitiorum temporum spiritui cedentes non sint tam violenti quam temporibus antiquis, tamen odium antiquum, si non maius, certe non minus adhuc manifestant; et manifestatio odii horum, si careat priori violentia, abundat et superabundat in subdolis artibus antiqui serpentis. Secundo, si quando portae inferi videntur ad tempus praevalere adversus fundamentum Ecclesiae, nonne statim haeretici triumphant, nonne statim manibus plaudunt, nonne statim clamitant: Cecidit, cecidit, magna illa Babylon, nempe Roma? Quidquid dicat rmus emendator, haeresis est semper haeresis, spiritus haeresis est semper idem, et spiritus haeresis est spiritus hostilitatis adversus Summum Pontificem et adversus Ecclesiam catholicam. Haeresis deponet odium, quando leopardus deponet maculas; haeresis mutabitur, quando Aethiops mutabit pellem, et ex nigro fiet albus.

„Et quoad catholicos, nunquam erant Sanctae Sedi magis devincti quam in praesentiarum, nunquam maiorem amorem, maiorem filialem reverentiam exhibuerunt erga Sanctissimum Patrem: hoc est verissimum, et Deo gratias, quod sit verissimum. Sed auctores schematis hoc non negant, non omnino. Et quoad catholicos, qui insurgunt et insurrexerunt contra temporalem potestatem Summi Pontificis, omnino errat rmus emendator dicendo, quod eorum conatus sunt pure politici. Quis enim est, qui nesciat, quod omnes conatus, qui designantur adversus temporalem potestatem Summi Pontificis, etiam propter arctum, arctissimum nexum inter potestatem temporalem et spiritualem Pontificis, quis est, qui nesciat, quod propter hunc arctissimum nexum omnes conatus, qui diriguntur adversus potestatem temporalem, etiam adversus spiritualem necessario diriguntur?

„Et quoniam haec est res gravissima, mihi parcatis, si aliquatenus immorer in hac re. In his diebus nostris sunt quaedam peculiaria rerum

gunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro approbante [1] Concilio, doctrinam de

adiuncta, quae magnopere adaugent, et simul probant adauctum esse, odium adversum Summum Pontificem et Ecclesiam, quaedam peculiaria rerum adiuncta, quae omnibus obvia sunt. In ipso sinu Ecclesiae sunt liberales catholici, qui revera sunt calamitas sanctae religionis nostrae, neque numero neque auctoritate carentes, neque intra hanc vel illam regionem terrae circumscripti; et hi liberales catholici opprimerent Pontificem et Ecclesiam, si possent et in quantum possent, negando, coarctando iura Pontificis et iura Ecclesiae. En novum odium adversus Pontificem et Ecclesiam, novum odium adhuc in Ecclesia inauditum. Temporibus anteactis reges erant nutricii Ecclesiae et reginae nutrices; diebus vero nostris fere omnia gubernia etiam catholica antiquas amicas relationes cum Sancta Sede interruperunt; en novum odium. His diebus nostris praeterea per totum orbem millies et millies aucta est potestas, quam ephemerides, quam irreligiosa literatura exercent super mentes millionum hominum, et quis nescit, has ephemerides, hanc irreligiosam literaturam venenum foetidum, principium irreligiositatis, infidelitatis, spuere in caput Ecclesiae et in ipsam Ecclesiam? En odium iam antea certe aliquatenus exsistens, sed nunc millies et millies auctum.

„Est et illud magnum schismaticum imperium Russicum, quod tot populos etiam catholicos giganteo pede conterit, et umbram suam frigidam longe ultra fines proprios protendit, et in dies ultra protendere conatur. Omnes norunt, hoc magnum schismaticum imperium et illud esse infensissimum adversus Pontificem et Ecclesiam catholicam. Et quid dicam de secretis societatibus, quae quoniam bene noverunt, eo citius et certius subverti posse religionem, si subverteretur Sancta Sedes, ideo collatas vires, secreta consilia, apertos conatus per totum orbem dirigunt adversus Pontificem et adversus Ecclesiam? En odium, quod si non est omnino novum, est tamen magnopere adauctum.

„Denique revolutio extollit caput, revolutio erigit sua signa adversus omne gubernium, adversus omnem potestatem, adversus omnia iura divina et humana. Et quis est magnus hostis istius revolutionis, quis est eius magnus hostis? Summus Pontifex, qui solus vel fere solus stetit et stat et, Deo adiuvante, stabit firmus pro principiis aeternae iustitiae adversus hanc impiissimam modernam revolutionem: et ideo, ideo haec revolutio odit Pontificem odio summo, odio intensissimo. Igitur omnino aberrat a veritate historica ipse rmus auctor huiusce emendationis, quando negat, assertionem in schemate nostro esse historice et literaliter veram, scilicet quod odium adversus Ecclesiam et fundamentum Ecclesiae sit in hisce diebus nostris magnopere adauctum, et quod in dies etiam augeatur. Igitur haec emendatio non potuit acceptari.“

[1] De ea formula nihil in discussione speciali animadvertebatur. Sed, quum de tota Constitutione in Congregatione generali octogesima quinta suffragia ferrentur, unus e Patribus suffragio „Placet“ conditionem addidit, ut vox mutaretur. Scripto has attulit rationes: „Sicut alias ipse Pontifex indulsit, ut in prooemio primae Constitutionis *De fide catholica* adhibe-

iustitutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

---

rentur verba *sedentibus etc.*, ita et in hac prima Constitutione *De Ecclesia Christi*, retenta phrasi *sacro approbante Concilio* in fronte Constitutionis, illius loco vel in prooemio, vel in quarto capite, vel potius in utroque sinat inscribi periphrasim *decernente Nobiscum sancta Synodo*, quae habetur in cap. *Scelus* caus. 2. quaest. 1., vel aliam idem explicite sonantem, utpote quae rei, loco ac tempori magis convenire videtur.

„Nec obstat, quod, cum phrases praedictae theologiae ac iuris vere peritis unum eundemque sensum reddant, nec rite nec recte ad significandum idipsum variae adhibeantur formulae. Quid ni? Nec logicae profecto leges id vetant neque Ecclesiae usus: scimus enim, ad ipsissimam hanc, de qua agitur, rem significandam alias atque alias adhibitas esse formulas in plerisque Conciliis, quibus Summi Pontifices personaliter item praefuerunt; easque collegit Iacobatius (De Concil. l. 5. art. 14. apud Roccaberti, Biblioth. maxima Pontif. t. IX 9. p. 612 sq.), et passim videre est in Corpore Iuris.

„Pro rei autem merito, illius phrasis permutandae haec mihi, haud levis momenti, ratio occurrit; quod indocti nempe, ac malignantes, quorum indeficiens, et hac praesertim aetate maximus est numerus, vel solo verborum sono ansam arripere possent et Romanum Pontificem et Concilium ulterius calumniandi, quasi ille, ad potiora sibi iura quaerenda, ex universo undique orbe dominici gregis pastores in suam ditionem acciverit atque hospitatus sit; isti vero, vel urbanitate illecti, vel reverentia perculsi, cum intemeratae fidei iactura, et contra animi sententiam, exoptatis praerogativis illum cumulaverint.

„Nonne et auribus nostris audivimus foeda convicia, quibus ephemerides quaedam vulgari animo ac sermone iniquissime visae sunt insectari Episcopos, blaterantes, heic fuisse coactos ad proferendum *Placet*, et respondendum *Amen?* Nescirem equidem, quisnam probris illis magis impetatur, Concilii Patresne, an Pater Patrum potius, ac Supremus Ecclesiae Pontifex!

„Utrorumque igitur decori, ac pusillorum insuper bono consuleretur, si praedicta formula verteretur uti supra.“ (Exceptiones etc. C. V. 434 a. b.)

Respondit in Congregatione generali octogesima sexta Episcopus Calvensis, deputationis relator: „Haec quaestio iam praeiudicata est; siquidem in primo schemate in exordio iam disputatum fuit de formula adoptanda, et statutum fuit a Congregatione generali, quod in prooemio generali diceretur: *sedentibus et iudicantibus Nobiscum Episcopis*, deinde in ceteris adhibeatur formula, quae adhibita fuit constanter in Concilio Lugdunensi II. et Lateranensi V., scilicet *sacro approbante Concilio.*“ (Cf. supra 73[1]. — Relatio etc. C. V. 462 c.)

CAPUT I.

De Apostolici primatus in beato Petro institutione[1].

[1.] Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam[2] immediate et di-

---

[1] Proponitur doctrina duobus vel tribus erroribus opposita, ut animadvertitur a Rño Pie in relatione generali de schemate (C. V. 292 b) et a theologis in adnotationibus ad schema pristinum de Ecclesia (C. V. 611 d sqq.). Opponitur, ut aiunt hi theologi, erroribus „1. novatorum maxime protestantium, qui, ut exploratum est, negant simpliciter *divinam* Primatus iurisdictionis *institutionem*. Quo etiam spectat auctor operis inscripti ‚Traité de l'autorité du Pape‘ à la Haye 1720. l. I. c. 6. statuens, Romani Episcopi Primatum nonnisi iuris ecclesiastici esse.

„2. Schismaticorum negantium, soli Petro Primatum in universalem Ecclesiam tributum fuisse; affirmantium contra, eum Apostolorum collegio esse collatum: ita Macarius Vinnicens. Theol. dogm. orth. t. II. p. 3. sec. 2. c. 1. docet I., caput Ecclesiae esse Dominum nostrum Iesum Christum; nam l. c. § 176. scribit: ‚Le chef de l'Église c'est notre Seigneur Jésus. Cependant, après avoir commis l'administration visible de son Église aux évêques, qui, par le pouvoir dont ils sont revêtus, réunissent tous les croyants en une seule société extérieure, le Seigneur Jésus la gouverne lui-même invisiblement, comme son véritable chef, et,

Continuatur in pagina sequenti.

[2] „Qui quidem casus accusativus“, ut exponit Rñus Pie in relatione de toto schemate (C. V. 292 c), „*in universam Ecclesiam* in priori schemate ex parte aliquorum Rñorum Patrum causa accusationis fuit.

„Ast ita iam pronuntiaverat Concilium Lugdunense II. declarans, ‚Sanctam Romanam Ecclesiam in b. Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, summum et plenum Principatum et Primatum *supra universam Ecclesiam catholicam* obtinere‘. Pariter et Florentinum definivit, ‚Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem *in universum orbem* tenere Principatum, et ipsi in b. Petro *pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam* a Domino nostro Iesu Christo *plenam potestatem traditam esse*‘.

„Verum prorsus est id, quod allegatur, non semel alias, et quidem in Concilio Tridentino, dictum fuisse *in universa Ecclesia*. Ab hoc autem dicendi modo nunc abstinendum duximus propter illam ipsam aequivocationem seu sinistram interpretationem, quam inde usurparunt Richeriani, Febroniani et alii ab Ecclesia merito damnati. Etenim omnes Episcopi, qui pascunt greges particulares, principatum habere *in Ecclesia* aliquo certissimo sensu dici possunt et debent, quatenus scilicet principem ordinis gradum tenent, et ad greges pascendos in Ecclesia ordinantur. At vero nullatenus dici possunt Primatum habere iurisdictionis, neque si omnes fuerint simul congregati, habere Primatum iurisdictionis *in universam Ecclesiam*, quod soli Petro et successoribus eius divinitus datum est, ut constat ex auctoritatibus iam allatis, aliisque pene infinitis in decursu huius discussionis certe afferendis.“

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

recte[1] beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: Tu

---

en la vivifiant par la seule et même grâce du S. Esprit, il réunit tous ses membres par un lien intérieur'; docet II., ab eodem Domino omnibus una Apostolis potestatem in universalem Ecclesiam fuisse collatam; adeoque Apostolos et eorum successores, Episcopos, potestatem habere perfecte aequalem, l. c. § 175: „Si dans la hiérarchie ecclésiastique il n'y a pas d'ordre plus élevé que celui de l'évêque; si les évêques sont tous également successeurs des Apôtres, et si, comme les Apôtres avaient tous reçu du Seigneur et possédé le même honneur et le même pouvoir, ainsi leurs successeurs ont une égale dignité, qu'ils résident à Rome, à Constantinople, à Alexandrie, ou autre part, il s'ensuit évidemment qu'une réunion d'évêques peut seule avoir autorité sur un évêque'; — docet III., totius Ecclesiae centrum esse Concilium oecumenicum, quemadmodum provinciae ecclesiasticae centrum est Synodus provincialis, l. c. sequitur: ‚Si chaque Église particulière n'est soumise qu'à son évêque, plusieurs Églises particulières ne peuvent suivre d'autres dispositions que celles de tous leurs évêques réunis ou d'un concile provincial. . . Si chaque Église en particulier est confiée à son évêque, l'Église de Jésus-Christ en général, renfermant toutes les Églises particulières, cette Église comme universelle est incontestablement confiée à tous les évêques en général, comme le dit S. Jean Damascène dans sa quatrième lettre aux Africains; et par conséquent le centre de l'autorité spirituelle pour l'Église oecuménique se trouve dans les Conciles oecuméniques.'

„3. Richerianorum, qui negant, eundem Primatum immediate et directe fuisse uni Petro collatum; contendunt vero, immediate et essentialiter illum ipsi Ecclesiae datum fuisse: ita Richer. De eccles. ac polit. potest. prop. I. statuit, ‚Christum suam fundando Ecclesiam prius, immediatius et essentialius claves seu iurisdictionem toti dedisse Ecclesiae quam Petro et aliis Apostolis'. De hac propositione ipse Richerius in sua, quam cecinit, palinodia asserit, adversari eam ‚doctrinae Ecclesiae catholicae, a sanctis . . . Patribus fideliter expositae'. Docent namque, ‚Christum claves iurisdictionis ecclesiasticae primo, immediate et essentialiter, non per accidens Petro dedisse: deinde per . . . Petrum Ecclesiae praelatis contulisse'. Quod duplici probat testimonio, Optati nimirum et Thomae, quorum ille l. VII. ait: ‚Bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat, si, postquam negavit, solam veniam consequeretur, et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit.' Et Thomas in 4. dist. 24. q. 3. a. 2.: ‚Quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi, tamen, ut in hac potestate aliquis ordo significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere'; id porro b. Thomas probat ex Luc. 22, 32; Ioan. 21, 17 et ex S. Chrysostomo." — De Richerianis cf. etiam infra adnotationem ad verba „immediate et directe" et adnotationes theologorum ad schema de Ecclesia C. V. 607 c.

[1] Haec verba, quae etiam infra usurpantur, propter Richerianos recepta sunt, „qui Petro eiusque successoribus potestatem dumtaxat ministerialem ascribunt, itemque dicunt, institutum divinitus Primatum neque fuisse Petro immediate tributum neque ad eum directum, sed ad Ecclesiam uti ad proprium subiectum, cuius nomine Petrus illum accepit. Ita Richerius propositione V.: ‚Petrus claves iurisdictionis accepit a Christo Domino non pro se, sed pro Ecclesia et nomine totius Ecclesiae, non ut pastor oecumenicus et princeps, sed ut minister tantum et exsecutor decretorum Ecclesiae.' Sed de hac pariter ac de superiori propositione Richerius in retractatione, quam 1630 conscripsit, ita habet: ‚Cum mihi perlatum fuerit, me non omnibus satisfecisse . . . in ea, quam anno superiore cecini palinodia, nunc operae pretium duxi, ex libello a me conscripto septem dumtaxat propositiones in Sanctam Sedem Apostolicam contumeliosiores excerpere, quo paulo fusius exsecrer eas, quae γενικῶς abieci. . . Nam si ante hoc oestro percitus schismaticis favi, orthodoxam doctrinam pro virili in posterum me tueri ac protegere velle testificor, ut cum fratribus meis iuxta Apostoli consilium (1 Cor. 1, 10) ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ vivam et moriar.' Attamen Richerii errores a Launoio, Du Pin aliisque innovatos esse patet ex adnot. 20. (V. Adnotationes theologorum schemati de Ecclesia adiectas C. V. 605 c sqq.) Itaque in capite schematis credendum decernitur, immediate et directe Primatum uni Petro collatum fuisse. Quo spectant ex propositionibus Synodi Pistoriensis a Pio VI. damnatis 28. Aug. 1794 in Constitutione ‚Auctorem fidei' II.: ‚Propositio, quae statuit potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii et regiminis potestas: haeretica'; et III.: ‚Insuper, quae statuit, Romanum Pontificem esse caput ministeriale; sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia: haeretica.'" (Schema etc. C. V. 612 d sq.)

[1] De his textibus et de ipsa doctrina v. supra cap. II. comment. II. p. 129 sqq.

vocaberis Cephas a), postquam ille suam edidit confessionem inquiens: Tu es Christus, Filius Dei vivi, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis b). Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: Pasce agnos meos: Pasce oves meas c)[1]. Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo

---

a) Ioan. 1, 42. b) Matth. 16, 16—19. c) Ioan. 21, 15—17.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes[1] negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul[2], vero proprioque iurisdictionis[3] primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque[4] ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

[2.] Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput[5], vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum[6] ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate[7] accepisse; anathema sit.

---

[1] „Regiminis forma pendet a subiecto supremae in societate potestatis; illam ergo pervertit, qui hanc vel ex integro vel ex parte subiecto denegat, cui eadem per supremum societatis auctorem competit.“ (Adnotationes theologorum ad schema de Ecclesia. C. V. 612 c. d.)

[2] V. supra cap. II. comment. II. p. 129 sqq. Cf. infra 223[1].

[3] A Patribus proponebatur, ut adderetur „et magisterii“. Eius emendationis ratio habita non est. Etenim „potestas magisterii ecclesiastici, cuiusmodi est potestas docendi, tum in Episcopis omnibus tum in Episcopo Episcoporum, ad potestatem iurisdictionis pariter spectat“. (Relatio etc. C. V. 275 d.)

[4] V. supra p. 216. adnot. 1.

[5] Theologi hunc canonem formantes ob oculos habebant errores quosdam Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno anno 1327 a Ioanne XXII. damnatos: „Quod b. Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput. Item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem vicarium suum fecit“; et art. 7. inter articulos Ioannis Huss in Concilio Constantiensi et a Martino V. damnatos: „Petrus non est nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae.“ (Cf. Adnotationes ad schema de Ecclesia. C. V. 634 b.)

[6] Respiciuntur aliqua, quae occurrunt inter articulos 39, de quibus, qui errorum Wicleff et Huss suspecti erant, ex mandato Martini Papae V. in Bulla „Inter cunctas“ interrogandi erant, ut art. 23.: „Item, utrum credat, quod b. Petrus fuerit vicarius Christi habens potestatem ligandi et solvendi super terram“, et propositio damnata ab Innocentio X. decreto Sanctae Congregationis Inquisitionis 1647 d. 29. Ianuarii: „Omnimoda aequalitas inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae velut *haeretica*.“ Eodem referuntur censurae de propositionibus M. A. de Dominis latae a facultate Parisiensi apud Duval: De Romani Pontificis potestate p. I. q. 2: „Propositio: Sicut Apostoli simul et in solidum aristocratice curam gerebant Ecclesiae cum potestate aequali et universali, ita Episcopi omnes simul et in solidum eandem regunt Ecclesiam, singuli cum plena potestate: haec propositio est haeretica; et schismatica quoad ultima verba: singuli cum plena potestate. Tum ista propositio: In potestate universali succedunt Episcopi non modo universi, sed etiam singuli, haeretica est et schismatica.“ (Cf. C. V. 634 b. c.)

[7] V. p. 216 adnot 1.

CAPUT II.

De perpetuitate Primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.

[1.] Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium[1] Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram[2] ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est[3], quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet[a]). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius

---

a) Cf. Ephesini Concilii Act. III. [Hard. C. C. I, 1478.]

---

[1] „Per has descriptiones e ss. Literis desumptas indicatur rursum, quod ab initio circa prooemium diximus, scilicet participatione b. Petrum factum fuisse, quod a se est Dominus Iesus, ipse auctor, fons, exemplar Petri constituti capitis atque fundamenti Ecclesiae iuxta illud M. Leonis l. c. [Sermo III. (al. II.) n. 3.]: ‚ut, qualis ipsi (b. Petro) cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus‘; simul indicatur ratio et indoles impositi Petro officii, quod est summi pastoris, a quo omnes pascendi, quousque in Ecclesia sunt oves et agni, et inde perpetua exsistit Ecclesiae salus.“ (Adnotatio 28. theologorum ad schema de Ecclesia. C. V. 613 b.)

[2] „Fit allusio ad parabolam [Matth. 7, 24 sq.], per quam ipse Dominus declaravit, firmitatem domus a fundamento pendere; hinc per illam interpretes catholici firmitatem domus, quam Christus ipse supra petram aedificavit, semper enarrarunt.“ (Adnotatio 29. theologorum ad schema de Ecclesia. C. V. 613 b.)

[3] Ea verba, ex oratione Philippi, Apostolicae Sedis in Concilio Ephesino legati, desumpta, unus e Patribus mutanda esse censebat, quum *literaliter* accepta verum sensum non prae se ferrent, neque omnia, quae oratorio modo dicerentur a S. Sedis Legatis in Conciliis, censenda essent approbata a Patribus. (Emendationes etc. C. V. 314 c.) — Respondit deputationis relator, verba notissima et vulgo in scholis usurpata esse nec dicta oratorio modo. Praemisisse Philippum unam aut alteram phrasim, ut daret formalem causam, ob quam ipse nomine Romani Pontificis praesidere et Concilium confirmare deberet. Verba in primis Conciliis et usu scholarum retenta, etiam in Concilio Vaticano retinenda esse. (Relatio etc. C. V. 328 c.) — Id ab omnibus fere Patribus approbatum est (Relatio etc. C. V. 330 b). Quare, cum verborum mutatio postea iterum proponeretur (Exceptiones etc. C. V. 435 b), ea propositio suffragiis subiecta iam non est. (Relatio etc. C. V. 463 c. d.)

institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet [1]. Manet ergo dispositio veritatis [2], et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit a). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis [3] iura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent b).

[2.] Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino [4], ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem [5]; anathema sit.

CAPUT III.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

[1.] Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem [6], qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pa-

a) S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3. [Migne P. L. LIV, 146.]

b) S. Iren. Adv. haer. l. III. c. 3 et Conc. Aquilei. a. 381 inter epp. S. Ambros. ep. XI. [Migne P. G. VII, 849; P. L. XVI, 946.]

[1] V. cap. II. comment. III. p. 140 sqq., num connexio Primatus cum Sede Romana dicatur esse iuris divini.

[2] „Dispositio veritatis secundum Leonem M. est constitutio vel ‚quod in Petro Christus instituit' apud Matth. 16, 16 sqq. Eatenus ergo Petrus manet et vivit etc., quatenus in suis successoribus manet constituta in ipso vis ac fortitudo petrae." (Adnotatio 30. theologorum schemati de Ecclesia adiecta. C. V. 613b. c.)

[3] „Communionis", non autem „commonitionis", ut est apud Sirmondum et in Collectione Conciliorum Labbe-Coleti (t. II. col. 1185). (V. Emendationes etc. C. V. 437c. d. — Relatio etc. C. V. 466d sqq.)

[4] V. cap. II. comment. III. p. 140. 142 sqq., num connexio Primatus cum Sede Romana dicatur esse iuris divini.

[5] Iudicia Ecclesiae, quibus iidem errores iam antea damnati erant, v. in adnotatione 65. theologorum ad schema de Ecclesia. C. V. 634c sqq.

[6] De hac Concilii Florentini definitione a Vaticano recepta, praesertim de eius conclusione, v. supra caput II. comment. IV. p. 150 sqq.

scendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

[2.] Docemus proinde et declaramus [1], Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae [2] potestatis obtinere principa-

[1] Quae Florentini definitione continentur, evolvuntur et explicantur. Ea autem adduntur, ut theologi ad locum respondentem pristini schematis adnotant, „propter eorum doctrinas, qui sequentes Febronium, Tamburinium, Pistorienses, modo affirmant I. ‚Romani Pontificis potestatem esse inspectionis tantum et directionis: ‚Non aliam b. Petro collatam fuisse potestatem', inquit Febronius De stat. Eccles. et legit. potest. Rom. Pont. t. II. c. 1, ‚quam inspectionis et directionis'; modo autem II., eam esse extraordinariam tantum, non vero ordinariam iurisdictionis potestatem in omnes et singulas ecclesias: ita Eybel. in lib. ‚Quid est Papa?' ‚Una', inquit, ‚hac praerogativa, supplendi scilicet aliorum negligentiae, totam Primatus ecclesiastici vim contineri, hortationibus et exemplis unitati conservandae consulendi'; et *‚Pontifices nil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu'*; et modo III., eandem potestatem tantum mediatam, nullatenus vero *immediatam* esse in omnes particularium pastorum greges ac fideles *episcopalem iurisdictionis potestatem:* ita Pet. Tamburinius in op. ‚Vera idea d. S. Sede, P. II. c. 2. § 5: ‚La spirituale autorità e giurisdizione della primazia della S. Sede non si deve confondere coll' autorità episcopale; ma che questa e la primazia sono due oggetti distinti. . . Se la primazia fosse una cosa stessa coll' autorità episcopale, osservammo, che per legitima conseguenza ne seguirebbe essere il Papa il vescovo universale ed unico, poichè l'autorità del Primato si estende a tutta la chiesa'; et P. I. c. 4. § 16: ‚La primazia non è la giurisdizione episcopale ed immediata in ciascheduna diocesi. . .' § 19: ‚non è altra cosa (la primazia) che un diritto d'ispezione e di vigilanza in tutta l'estensione della chiesa.'" (Schema etc. C. V. 614b. c. — Cf. quae infra ad canonem adnotantur.)

Hanc alteram paragraphum aliqui Patres omitti (V. supra cap. I. Historia etc. p. 117.), alii volebant augeri addita sententia, qua declararetur, antiquis sedibus patriarchalibus privilegia integra servari.

[2] „Dividitur potestas in ordinariam et delegatam. Omnes dicunt potestatem ordinariam, quae alicui competit ratione muneris, delegatam, quae . . . nomine alterius exercetur, in quo est ordinaria." (Ita Episc. Tarvisinus in relatione nomine deputationis habita. C. V. 352c.) — Sed etiam alio sensu Summi Pontificis potestas dicitur ordinaria, sc. quia non solum in casu extraordinario, sed semper exerceri potest. Id iam patet ex doctrina adversariorum, cui, ut est in antecedenti animadversione, vera de Primatu doctrina hac paragrapho opponitur. Sed etiam ipse ille relator deputationis ad probandam ordinariam Summi Pontificis potestatem hunc affert locum Natalis de Alexandro (Hist. eccl. diss. IV. in saec. I. et IV. schol. 3.): „Romanus Pontifex summam habet eamque ordinariam in Ecclesia universa potestatem et auctoritatem, quam non extraordinariis dumtaxat in casibus (nec ideo pro supplenda tantummodo praelatorum negligentia) et Ecclesiae periculis, sed semper exercere potest et in fideles universos,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis[1] est, immediatam[2] esse: erga quam cuiuscumque ritus et digni-

et in ipsos Ecclesiae totius Episcopos, quia *pastorum omnium unus est pastor*." (C. V. 353 b. c.)

[1] Episcopalis potestas Summi Pontificis intelligitur *vera iurisdictionis*, non inspectionis tantum et directionis potestas, eaque *ordinaria*, quae et vi muneris nec solum in casibus extraordinariis, v. g. ad supplendos Ordinariorum defectus, exercetur, atque *immediata*, quae non solum ad Episcopos, sed immediate etiam ad eorum greges se extendit. (V. caput. II. comment. V. p. 154 sqq.) Itaque voce „episcopalis" nihil enuntiatur, quod aliis illis vocibus, quibus in capite Summi Pontificis potestas describitur, non iam contineatur; bene autem additur, quia Summi Pontificis potestas ea omnia in singulis dioecesibus agendi, quae ipsi dioecesium Episcopi agere possunt, hoc ipso nomine appellata ab adversariis negata est. Praeter ea, quae supra p. 221. adnot. 1. allata sunt, cf. quae in adnotationibus ad pristinum schema de Ecclesia (C. V. 615 d sq.) citantur ex libro, cui titulus: „Causa di S. E. Rma il Card. Girol. d'Andrea" (p. 310): „La sollecitudine del Pontefice sopra tutte le chiese lungi dal potersi confondere colla providenza episcopale di quelle, deve riputarsi una sollecitudine ed una cura primaziale solamente intesa a supplirne le deficienze, ad impedirne le prevaricazioni, a mantenere la concordia, ed a dirigere per modo le funzioni, che tutte consentano à formare il bene supremo dell' unità cattolica." Et (p. 322): „Al Pontefice compete la giuridica prerogativa di ordinario degli ordinarii per diritto primaziale, ed in niuna guisa per diritto episcopale . . . le sue funzioni nelle altrui diocesi non sono nè possono essere le communi dell' episcopato, bensì le proprie del primato."

[2] „Immediata est ea potestas," inquit Tarvisinus Episcopus, „quae exerceri potest sine adhibito medio necessario, scilicet medio, ad quod adhibendum tenemur. — At Papa potestque omnia episcopalia, quae enuntiavimus supra, exercere per se in omnibus dioecesibus, quin obligetur uti medio Episcopi particularis ecclesiae? aut ipse necessario debet licentiam petere ab Episcopo, ut ex. gr. Sacramentum Confirmationis impertiatur aut confessionem excipiat a fidelibus? Quoties ab aliquo rño oratore petitum fuit, num Papa indigeat hac licentia, risus in hoc consessu est excitatus, credo etiam illorum, qui eliminationem vocis *immediatae* poposcerunt. Alia eloquentiori refutatione emendationis non indigemus." (Relatio etc. C. V. 352 d.) — Deputati in relatione cum schemate Patribus tradita (C. V. 276 c sqq.): Liquet, inquiunt, „supremam Romani Pontificis potestatem pastoralem . . . esse . . . immediatam, et quidem non eo sensu, etsi verissimo, quo Petrus, uti cap. I. huius Constitutionis pariter declaratum est, a Christo Domino immediate potestatem accepit; verum hoc sensu, quod eam exercendam immediate in gregem universum accepit". Afferunt, quod habet Pius VI. in responsione data ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem (sect. II. c. 8.): „Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta, Petro peculiarem in modum attributa, sicut auctoritatem prae se fert in omnes fideles *ordinariam atque immediatam*, ita eandem prae se fert auctoritatem *ordinariam atque immediatam* in

tatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes[1], officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur,

omnes pastores, qui, quacunque demum praefulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias, ii, si Pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur . . . Petro imperatum est, ait Bossuetius, ut amore ceteros Apostolos antecelleret, mox ut cuncta gubernaret, et pasceret omnes agnos et oves, filios et matres et ipsos quoque pastores. Pastores, inquam, si populi respiciantur, oves, si Petro comparentur. Unde recte est illud a Gersone animadversum, quod quemadmodum Episcopi in totius dioecesis parochiis suam iurisdictionem exercent, ita praestare idem possit Summus Pontifex in tota, qua late patet, Ecclesia, et in omnibus dioecesibus Episcoporum. Quod divina verba patefecerunt, quodque concors Patrum sententia prodiderat, id a Conciliis quoque luculentissime definitum est: ea quippe summum agnoverunt et coluerunt in Romano Pontifice Primatum seu Principatum super universam Ecclesiam, cumulum scilicet potestatis et ordinariae iurisdictionis super omnes et singulas catholici orbis dioeceses ad causas etiam definiendas, quae aut fidem respiciant aut negotia spectent ad ecclesiasticum forum pertinentia." (Cf. Bossuetii et S. Bernardi locos alios in relatione Episcopi Pictaviensis C. V. 296 d sqq.)

[1] Oppositam sententiam, ut est in adnot. ad schema pristinum (C. V. 616 a. b), docuit Tamburinius (Vera idea de S. Sede P. II. c. 2. § 17.): „Convien dunque ritornare al nostro principio, che il Papa in qualità di vescovo ha la stessa autorità, che hanno gli altri vescovi in particolare, e quindi è subordinato alla chiesa universale; e in qualità di primate egli ha una superiorità sopra tutti i vescovi in particolare, ma non sopra tutto il corpo de' pastori, poichè la primazia non dà al Papa, se non il diritto di rappresentarlo, cioè di agire in nome della chiesa, secondo le sue istruzioni, e secondo il suo spirito e colla sua autorità, e quindi è sempre subordinato e responsabile al tribunale di lei." (§ 22): „E forza dunque conchiudere, che quei santi Papi erano intimamente convinti, che la primazia dava loro il primo luogo inter pares, ed un' autorità sopra i vescovi in particolare, ma non sopra il corpo, ossia sopra la chiesa universale, in cui essi riconoscano tutta la forza legislativa, e tutta la pienezza della potestà spirituale." — Animadvertendum autem est, Summi Pontificis potestatem dici solum *positive* supremam Ecclesiae potestatem, cui omnes alii etiam simul sumpti subiiciantur, non autem negari supremam potestatem etiam inesse omnibus aliis *simul cum Summo Pontifice* sumptis tanquam uni collegio. Sunt, qui *duobus* subiectis supremam Ecclesiae potestatem inesse dicant: eam integram inesse Summo Pontifici atque integram etiam collegio omnium Episcoporum cum Summo Pontifice coniunctorum, sive sunt in Concilium congregati sive per orbem dispersi. Quam sententiam in Constitutione non negari, uberius ab Episc. Tarvisino in relatione (C. V. 357 c sqq.) exponitur: „Concedimus lubenter et nos, in Concilio oecumenico sive in Episcopis coniunctim cum suo capite supremam inesse et plenam ecclesiasticam potestatem in fideles omnes . . . Igitur Episcopi congregati cum capite in Concilio oecumenico, quo in casu totam Ecclesiam repraesen-

non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen [1] Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

[3.] Tantum autem abest [2], ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae [3] illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua

tant, aut dispersi sed cum suo capite, quo casu sunt ipsa Ecclesia, vere plenam potestatem habent. At verba Christi omnia consistere debent. Si ex eo, quod cum Apostolis, cum Petro et successoribus, futurum se esse promisit, aliaque concessit, apparet, hanc vere plenam et supremam potestatem esse in Ecclesia cum suo capite coniuncta, eadem prorsus ratione, ex eo, quod similes promissiones factae sunt Petro soli et eius successoribus, concludendum est, vere plenam et supremam potestatem traditam esse Petro et eius successoribus, etiam independenter ab actione communi cum aliis Episcopis.

„Quae duo amice consistere possunt, quin dualismus, qui confusionem parit, introducatur in Ecclesiam. Hoc postremum incommodum obtineret, si duae ab invicem distinctae et separatae vere plenae et supremae potestates admitterentur; at separare caput a membris est proprium illorum, qui subiiciunt Papam Episcopis collective sumptis, aut repraesentatis a Concilio generali; tunc enim sequitur, posse ex una parte stare aliquando Pontificem, etiam in sua qualitate Pontificis Summi, et ex alia parte Episcopos. E contrario nos admittimus, vere plenam et supremam potestatem existere in Summo Pontifice veluti capite, et eandem vere plenam et supremam potestatem esse etiam in capite cum membris coniuncto, scilicet in Pontifice cum Episcopis, salvo semper et inconcusso quod prius admonuimus. Hoc modo nunquam potest evenire casus, ut Episcopi separentur et divellantur a capite. Nam si exercet Summus Pontifex suam potestatem vere plenam et supremam, veluti caput et etiam independenter a concursu aliorum, omnia membra statim debent non iudicium sibi arrogare de exercitio potestatis huiusmodi, sed cum suo capite concordare. Nam aliter in eo non recognoscerent vere plenam et supremam potestatem. Si contra Summus Pontifex una cum Episcopis, vel dispersis vel congregatis, vere plenam et supremam potestatem in solidum exercet, nulla possibilis collisio. Nam cum vere plena et suprema potestas non sit in corpore separato a capite, Episcopi singulares, quotquot essent, dum abest Papa, nullo modo sine capite vere plenam et supremam potestatem exercere possent; dum, ut diximus, Summus Pontifex ut caput etiam independenter a concursu Episcoporum supremam suam auctoritatem exercere potest."

[1] Id additur, quia erant, qui unionem cum Summo Pontifice habendam et fovendam ad solam fidem restringerent, seu *unionem* solam *dogmaticam* necessariam esse dicerent. (Cf. Schema de Ecclesia. C. V. 614 d sq.)

[2] Cf. de hac paragrapho supra cap. I. Historia etc. p. 117 sq.

[3] Non est sermo de origine potestatis Episcoporum, sc. utrum singuli immediate a Deo an a Summo Pontifice eam accipiant, sed de potestatis exercitio. (V. Emendationes etc. C. V. 342 a. — Relatio etc. C. V. 359 a.)

Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur [1], secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur a).

[4.] Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur [2].

a) Ep. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII. ep. XXX. [Migne P. L. LXXVII, 933.]

[1] Animadvertit Rmus Pie in relatione (C. V. 295 d sq.): „Neque dicatur, inde duos nasci eiusdem Ecclesiae Episcopos: ‚Inconveniens est,' ait b. Thomas (in 4. Dist. 17. q. 3. a. 3. q. 5. ad 3), ‚si duo aequaliter super eandem plebem constituantur; si autem inaequaliter, non est inconveniens; et secundum hoc super eandem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et Episcopus, et Papa.' Ratio est, quia quando duae causae, etiam totales, non sunt eiusdem ordinis, sed una alteri subordinatur, et sunt invicem connexae, non se mutuo excludunt nec confusionem pariunt: sicuti actio Dei in eo, quem adhibet, concursu non excludit nec perturbat actionem causarum secundarum. Papa igitur, utpote supremus et universalis pastor et Ecclesiae Episcopus, nullo prorsus modo officit, quin proprius Ecclesiae particularis ordinarius, eiusdem Ecclesiae nominetur et sit verus sponsus et Episcopus; sicut et sacerdotis parochialis titulus ordinarius, superiori et universaliori auctoritati antistitis in totam suam dioecesim nihil detrahit: etsi bonus ordo postulet, respectivas singulorum attributiones non sine causa et discretione turbari et intermisceri, quod ab omnibus admittitur." (Alia ad paragraphum spectantia v. supra cap. I. Historia etc. p. 117 sq.)

[2] Summi Pontificis libere cum toto grege communicandi ius a Febronianis, regalistis eorumque sequacibus negatur, ut loco respondenti schematis pristini adnotant theologi (C. V. 618 a sqq.), qui allato loco ex periodico „Il Mediatore" (1862 n. 28. p. 968.) haec addunt: „Quibus 1. diserte negatur Romani Pontificis ius cum Episcopis in variis terrarum locis vel regnis exsistentibus libere communicandi; tum 2. negatur diserte officium Episcoporum respondendi iuris illius exercitio, quotiescunque pastori supremo cum ipsis communicare placuerit; et e contrario 3. diserte asseritur potestati saeculari ius et officium in Pontificis Romani cum Ecclesiae Episcopis communicationem invigilandi, eandemque, prout e rationibus status,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

[5.] Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium a), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri b) [1]; Sedis vero

a) Pii PP. VI. Breve, Super soliditate d. 28. Nov. 1786.
b) Concil. Oecum. Lugdun. II. [Hard. C. C. VII, 698.]

ut aiunt, visum fuerit expedire, aut permittendi aut impediendi. Iamvero quod a scriptore ‚Mediatoris' de (illa) una communicationis specie dicitur, idipsum a Febronianis, regalistis eorumque sequacibus extenditur ad totum genus omnemve modum, quo Romani Pontifices cum pastoribus et fidelibus totius orbis communicant. Et ita ius esse principum contendunt videndi ac inspiciendi decreta ac constitutiones, quae a Romanis Pontificibus pro ecclesiarum regimine animarumque salute edita ad pastores atque fideles mittuntur: adeo ut decreta vel constitutiones eiusmodi vi ac valore destituantur, nisi beneplacito saecularis regiminis probata ac confirmata fuerint. Ad tale autem principum ius asserendum non desunt, qui praeter rationes superius a ‚Mediatore' allatas hanc quoque proferunt, quod Romanus Pontifex in aliorum principum ditione tanquam in territorio alieno nihil potest. Quae sententia, quemadmodum opponitur definitioni Florentinae, qua dicitur Romanus Pontifex ‚in universum orbem tenere primatum': ita decreto Cong. S. Off. 1644., approbato ab Innocentio X. et Clemente XI. Constitut. ‚Accepimus' 11. Iun. 1715., declarata uti haeretica fuit his verbis: ‚Propositio, Summos Pontifices, cum suas constitutiones in ea loca mittunt, quae temporali aliorum principum ditioni subiecta sunt, in territorio alieno legem ferre: schismatica et haeretica declaratur.'"

[1] Tres Patres hunc locum tanquam Concilii Lugdunensis II. citari noluerunt (Emendationes etc. C. V. 344b. c.) His respondet Rmus Zinelli in relatione nomine deputationis habita (C. V. 362a sqq.): „Haec verba cum sint decerpta a documento solemni in Concilio Lugdunensi II. lecto, congruum erat, ut id in fine paginae adnotaretur. Nullo modo dicitur in schemate, Concilium Lugdunense definivisse aliquid super dictis verbis, multo minus, graecos antistites formulam integram, a qua ea verba decerpta sunt, aut legisse aut iuramento firmasse. Etiamsi igitur verum esset, quod supponunt emendatores, non posse praedicta verba et formulam, cuius pars sunt, haberi veluti formaliter sancita a Concilio Lugdunensi II., citatio sub paginae finem constare posset et deberet. At res sese aliter habet. . .

„Historia authentica Concilii Lugdunensis, quamvis acta desint, satis superque demonstrat, fidei professionem illam, ex qua verba superenuntiata decerpta sunt, auctoritate Concilii Lugdunensis II. fulciri. Cum agitaretur negotium cessationis schismatis orientalis, Clemens IV. Constantinopolim misit per suos legatos formulam subscribendam, si graeci Episcopi recipi vellent in sinu catholicae Ecclesiae. Difficultates obortae tam optatam concordiam retardarunt, usque dum indictum fuit a Gregorio X. Concilium Lugdunense II., cuius praecipuum scopum enuntiabatur fore unionem Graecorum cum Ecclesia catholica. Pro fundamentali principio unionis Gre-

Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio a). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare [1].

a) Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem. [Migne P. L. CXIX, 954.]

gorius X. statuit, se nullo modo passurum, ut in disceptationem venirent sententiae fidei ab Ecclesia Romana admissae et Primatus Romani Pontificis; et proinde Graecos debere professionem fidei emittere, quae ad eos missa fuerat a Clemente IV. Congregato Concilio Lugduni in sessione IV. adfuit nomine Imperatoris Logotheta Gregorius, qui professionem emisit praescriptam a Gregorio Papa, iam signatam sua manu ab Imperatore, et iuramento confirmavit. Adfuerunt repraesentantes Episcopos graecos, qui et ipsi iuramento confirmaverunt professionem fidei, prout (notentur verba) *plene est lecta*, declarans unusquisque, se habere ab Episcopis sufficiens mandatum; et haec erant conformia literis ab Episcopis graecis missis et in Concilio lectis.

„Observandum erat, haec ad amussim convenire cum iis, quae in sessione solemni praecesserant. Nam quum Lugdunum pervenerunt nuntii Graecorum, Gregorius X. circumdatus Cardinalibus magnoque Episcoporum numero eos excepit, eisque faciem osculandam dedit; ipsi tunc literas Imperatoris Papae exhibuerunt, pluresque alias literas Episcoporum graecorum. Publice literae Graecorum declarabant, se venisse Lugdunum, ut obedientiam praestarent Summo Pontifici, et ad recognoscendum Primatum successoris b. Petri, necnon (notate verba) ius recipiendi appellationes. His similibusque peractis, in sessione habita die 6. Iulii unio immediate facta fuit. Nam Pontifex ipse incepit cantum hymni Ambrosiani.

„Quaero igitur, fidei formula, sub qua ad finem perducta fuit unio Graecorum cum Ecclesia latina, formula in sessione solemni Concilii Lugdunensis praelecta, formula, quae erat pars maxima Concilii Lugdunensis, nam omnes sciebant, eam a Clemente IV. missam esse Constantinopolim, ut esset fundamentum unionis, nonne dici debet formula Concilii Lugdunensis? Non fuit discussa. Quid interest? Ecclesia Romana fundamentum fidei ad discussionem non admisit nec admittere poterat. At Episcopi graeci, qui non intervenerunt Concilio, subscribere, etiam duobus transactis annis, formulam noluerunt. Quid ad nos? Ipsi videre debebant; nam de eorum orthodoxia agebatur. Essetne minus generale Concilium Lugdunense, quia illi graeci Episcopi non adhaeserunt? Maneat igitur citatio Concilii Lugdunensis. Quamvis hic laudandus sit quam maxime scopus emendatoris, qui est, ne in posterum Ecclesiae catholicae aliquid in Concilio oecumenico minus ad historiae leges consonum exprobretur; attamen hanc emendationem deputatio de fide admittere non potest."

[1] In adnotatione pristino schemati adiecta (C. V. 616b sqq.) theologi afferunt oppositam doctrinam Tamburinii (Vera idea de S. Sede P. II. c. 2. §§ 15. 18. 19.), cui haec addunt: „E quibus manifestum est, a Tamburinio, cui . . . Gallicani plane consentiunt, contendi, fas esse ac licere a iudiciis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

[6.] Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam

---

Romanorum Pontificum ad oecumenicum futurum Concilium tanquam ad auctoritatem Sede Romana superiorem appellare, huiusque opinionis suae hoc afferri fundamentum, quod plenitudo potestatis non sit penes Romanum Pontificem, sed penes Episcopos in unum collectos, quodque Romanus Pontifex sit quidem superior Episcopis singulis seorsum, sed non omnibus una et simul. Quum igitur fundamentum hoc pro utraque sua parte fuerit superius damnatum, reprobanda iure videbatur sententia circa appellationes ad Concilium, quas cum detestationis nota confixit in Synodo Mantuana 1459 Pius II. Bulla ‚Execrabilis', quae innovata a Sixto IV. et Iulio II. et recepta quoque in Bullam coenae art. 2. ita habet: ‚Execrabilis et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice, Iesu Christi vicario, cui dictum est in persona beati Petri: Pasce oves meas, et: Quodcunque ligaveris . . . nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicii, sed commissi evasione peccati, ad futurum Concilium provocare praesumant. . . Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere et ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemque materiam scandali ab ovili nostri Salvatoris arcere, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium cunctorumque praelatorum ac divini et humani iuris interpretum curiam sequentium consilio et assensu et certa [Nostra] scientia huiusmodi provocationes damnamus et tanquam erroneas ac detestabiles reprobamus.' Et tamen Fleury ‚Nouv. opusc.' (Paris 1807) disserens de libertatibus Ecclesiae gallicanae: ‚Nous croyons', inquit, ‚qu'il est permis d'appeler du Pape au futur Concile, nonobstant les Bulles de Pie II. et de Iules II. qui l'ont défendu.' Ad perniciosam eiusmodi appellationis doctrinam, quae serpere non cessavit, exstinguendam proscribitur in schemate diserte una cum fundamento, cui innititur, ipsa sententia dicentium, ‚licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad futurum generale Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare': quibus simul vel multo etiam magis dicenda videtur proscripta appellatio a iudiciis Romanorum Pontificum ad sententiam Episcoporum dispersorum. Ceterum in reprobandis appellationibus praeiverat Nicolaus I. ep. ad Michaelem Imperatorem ann. 865 scribens: ‚Ista igitur privilegia huius sanctae Ecclesiae a Christo donata, a Synodis non donata, sed iam solummodo celebrata et venerata'; tum pergit: ‚Quoniam, cum secundum canones, ubi est maior auctoritas, iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum: patet profecto, Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus.' Hinc Leo IX. Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum ep. c. 11. redarguens: ‚Praeiudicium', inquit, ‚faciendo Summae Sedi, de qua nec iudicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium Conciliorum'; et c. 32.: ‚Sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni Ecclesia habent iu-

potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen[1] Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem[2] huius supremae

---

dicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum, quia Summa Sedes a nemine iudicatur.' Sed ex his constat tum contra ‚appellantium' sententiam de mente ac doctrina antiqua universalis Ecclesiae, tum de fundamento, cui appellationis condemnatio innititur. Iam vero una cum appellatione ad futurum Concilium condemnatur quoque appellantium ratio contendentium, Concilium generale esse auctoritatem Sede Romana maiorem. Nam doctrina haec opponitur pariter allatis superius Romanorum Pontificum iudiciis: opponitur virtute generalium Conciliorum Lugdunensis II. et Florentini definitionibus, quibus Romano Pontifici plenitudo potestatis in universam Ecclesiam asseritur; et opponitur diserte Bullae ‚Pastor aeternus' Leonis X. in Concilio generali Lateranensi V. editae 14. Cal. Ian. 1516, qua damnatur pragmatica sanctio Gallorum, et haec habentur: ‚*Solum Romanum Pontificem* pro tempore exsistentem, *tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem*, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum *plenum ius ac potestatem habere*, nedum ex Sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat.' Quare condemnationis formula iure comprehenditur incisum ‚*tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice maiorem*'. Adiectum in alia schematis forma erat: ‚*vel, quod etiam detestabilius est, ad ipsas saeculares potestates appellare*'; quod tamen omissum fuit, eo quod eiusmodi appellatio locum habere amplius non videatur."

Animadversum est ab uno ex Patribus, constitutiones pontificias prohibere appellationes ad *futurum* Concilium, non ad Concilium actu congregatum (Emend. etc. C. V. 344a). Respondit Tarvisinus (Relatio etc. C. V. 361b): „Pontifices . . . condemnarunt errorem appellantium suorum temporum, qui ad futurum Concilium appellabant, quia actu Concilium oecumenicum non erat congregatum. At damnatio erroris huius aequaliter feriebat appellantes ad Concilium etiam actu congregatum, quia ratio fundamentalis erroris appellantium a falsa dependebat sententia de superioritate Concilii supra Papam."

[1] V. supra p. 224. n. 1.

[2] Hoc inciso, ut ait Episc. Tarvisinus in relatione (C. V. 369b), damnatur error eorum, „qui supremam potestatem Summi Pontificis non esse plenam in sensu proprio asserunt ac proinde involventes falsam sententiam verbis ambiguis eludunt satis perspicuam definitionem Concilii Florentini, aientes, esse quidem in Pontifice Summo plenitudinem iurisdictionis, sed non totam, quia Pontifex habet quidem potiores partes iurisdictionis, at non omnes. Quid, quaero, hoc est, quam reapse negare plenitudinem iurisdictionis Summi Pontificis definitam a Concilio Florentino? Quid enim sibi vult haec distinctio, quasi esse posset plenitudo, quae non sit tota?" — Haec non tangunt quaestionem, sitne etiam in Concilio oecumenico tota

potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam [1] sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis infallibili magisterio [2].

[1.] Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi [3], haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque

plenitudo potestatis. (Ibid. C. V. 370 a. 472 d. Cf. supra p. 223 [1].) Neque his deciditur quaestio de fonte iurisdictionis Episcoporum, „num potestas iurisdictionis, quae est in Episcopis, derivetur immediate a Deo, an immediate a Summo Pontifice. Illi inter catholicos theologos, qui potestatem iurisdictionis immediate a Deo derivari asserunt, eam tamen dicunt, uti par est, a Deo conferri cum vera et plena dependentia a Summo Pontifice". (Relatio etc. C. V. 472 c. Cf. Relatio etc. C. V. 357 d. 359 a. b. — De huius incisi historia agitur accurate supra cap. II. comment. VI. p. 157 sqq.)

[1] V. adnotationem ad schema pristinum: „Papam mediate *tantum* praeesse dominico gregi", ait Zallinger Instit. iur. Eccles. l. 1. tit. 30. § 508., „nec posse nisi supplere defectum pastorum inferiorum, apertissimus error est ex damnatis haustus auctoribus, nempe Marc. Ant. de Domin., Richer., Febron., Eybel.; error est manifeste repugnans verbis et sententiis Christi Primatum instituentis in potestate S. Petro concessa; error repugnans traditioni et usui perpetuo; repugnans Concilio oecumenico Lateransi IV. . . . ‚Nihil in verbis Christi distinguitur, nihil excipitur, Petro imperatum est,' inquit Bossuet. Serm. de unit. Eccles., ‚ut cuncta gubernaret, et pasceret omnes, agnos et oves, filios et matres, et ipsos quoque pastores, [pastores,] inquam, si populi respiciantur, oves, si Petro conferantur.' . . . Quaero, quid Episcopi prius, quid immediatius, quid propius acceperint." (C. V. 635 c sq. — V. ibid. decreta pontificia, quibus sententia canone reiecta iam antea proscribebatur.)

[2] In schemate Patribus proposito inscriptio fuerat: „De Romani Pontificis infallibilitate", qui titulus multis Patribus minus placuit. (Emendationes etc. C. V. 372 c sqq.) — Itaque mutatus est, „quod", ut ait Brixinensis Episc., „inscriptio *De Romani Pontificis infallibilitate* versa in alias linguas nonnunquam sensum non genuinum exhiberet; sic v. g. in lingua germanica facile haec vox posset confundi cum impeccabilitate". (Relatio etc. C. V. 406 c.)

[3] Proposita erat mutatio huius sententiae, ne, si infallibilitas Summi Pontificis ex eius Primatu probaretur, circulus adesse videretur. (Emendationes etc. C. V. 374 d.) Id reprobat deputationis relator: „Nam nos deducimus", inquit, „ex Primatu supremam potestatem docendi, tanquam speciem a suo genere, et ex suprema potestate docendi, respectu habito ad finem illius, qui est conservatio unitatis in fide, et ad promissiones Christi, deducimus infallibilitatem." (C. V. 409 a.)

oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt [1]. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti [2], maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam [3], haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas a). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo [4], Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris [5] tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse [6].

[2.] Huic pastorali muneri ut satisfacerent [7], Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud

a) Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Oecumenici VIII., Constantinopolitani IV., proposita et ab iisdem subscripta est. [Hard. C. C. V, 773 sq.]

[1] De tribus hisce Conciliorum testimoniis v. supra cap. II. comment. VII. p. 165 sqq. Utrum de solo Primatu an etiam de infallibilitate Romani Pontificis agant, v. ibid. p. 171 sq. Utrum de infallibilitate Romanae Ecclesiae an Romani Pontificis, v. ibid. p. 172.

[2] De ratione, quae inter Hormisdae formulam et Hadriani II. in Concilio Constantinopolitano IV. oblatam intercedat et cui tribuenda sit formula, v. ibid. p. 166 sq. De eius sensu v. ibid. p. 169 sq. 173.

[3] De sensu huius loci cf. ibid. p. 169 sq. Cf. supra cap. II. comment. II. p. 131. 133 sqq.

[4] Num formula haec a Concilio fuerit approbata, v. supra cap. II. comment. VII. p. 168 sq. 173 sq. [5] Cf. ibid. p. 172.

[6] Num haec valeant ad doctrinam infallibilitatis probandam, v. ibid. p. 174 sq.

[7] De his tribus paragraphis postea ex voto Patrum additis v. supra cap. I. Historia etc. p. 120.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum a). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [1].

[3.] Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

[4.] Atvero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

---

a) Cf. S. Bern. Epist. CXC. [Migne P. L. CLXXXII, 1053.]

[1] De loci sensu v. supra cap. II. comment. VII. p. 170 sq. Cf. Relatio etc. C. V. 278 d sq. — Poscebat unus ex Patribus, ut loco evangelio Lucae desumpto adderentur haec: „Quae verba iuxta universalem et perpetuam Ecclesiae traditionem intelligenda sunt de infallibili magisterio Petri et eius successorum.“ (Emendationes etc. C. V. 376 a.) Respondet Episc. Brixinensis: „Huiusmodi authentica declaratio non potuit intendi, et si intenta fuisset, utique etiam disceptatio hac de re in Concilio agenda fuisset.“ (Relatio etc. C. V. 410 c.)

[5.] Itaque [1] Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem [2], cum ex Cathedra loquitur [3], id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate [4] doctrinam de fide vel moribus ab universa

[1] „In ista definitione agitur 1. de subiecto infallibilitatis . . .; 2. continetur actus seu qualitas et conditio actus infallibilis pontificiae definitionis . . . 3. . . . Principium seu causa efficax infallibilitatis est tutela Christi et assistentia Spiritus Sancti. 4. Continetur . . . obiectum infallibilitatis.“ (Relatio etc. C. V. 414 b sqq.)

[2] Haec Summi Pontificis infallibilitas dici potest *personalis*, quatenus Petro et eius successoribus directe et immediate promissa est, porro, quatenus Pontifici, non Romanae Ecclesiae, et sedenti, non sedi competit. Vitatur autem haec vox, ne infallibilitas videatur personae privatae Pontificis tribui. (V. supra comment. VIII. p. 175 sqq.) — *Separata* dici potest, quatenus in speciali promissione Christi fundatur, non quasi papam ab Ecclesia separet. (Ibid. p. 180 sq.) — *Absoluta* dici nequit, neque tamen ad certam definitionis formam servandam Summus Pontifex tenetur (ibid. p. 181 sqq.) neque ad testimonium et consilium Episcoporum ante definitionem exquirendum. (Ibid.)

[3] Postulantibus Patribus addita est haec formula, utpote in schola recepta. (Emend. etc. C. V. 376 b sqq. — Relatio etc. C. V. 411 a. 414 b.)

[4] Requiritur, ut Summus Pontifex non solum tanquam supremus omnium Christianorum pastor et doctor agat, sed etiam, ut *suprema* summi pastoris auctoritate *plena* utatur et rem ita definitive et ultimo definiat, ut hanc nunquam iam in dubium vocare liceat. Ut igitur cognoscatur, num adsit vera infallibilis definitio, videndum est, „utrum decretum Romani Pontificis ita conceptum sit, ut appareat, a Romano Pontifice factam esse veram ac propriam definitionem, seu *peremptoriam* latam *sententiam*, non vero oeconomicam tantum aliquam responsionem vel dispositionem“. (Relatio de observationibus etc. C. V. 288 c.) „Non sufficit quivis modus proponendi doctrinam, etiam dum Pontifex fungitur munere supremi pastoris et doctoris, sed requiritur intentio manifestata definiendi doctrinam, seu *fluctuationi finem imponendi* circa doctrinam quandam seu rem definiendam, dando *definitivam sententiam* et doctrinam illam proponendo tenendam ab Ecclesia universali.“ (Relatio de emendationibus etc. C. V. 414 c. Cf. ibid. 399 b. d. 401 a.) — Posset aliquando Summus Pontifex velle, ex duabus doctrinis contradictoriis alteram relinqui, alteram tutiorem tradi, ita tamen, ut non decideret sententia ultimo definitiva, utra vera esset atque servanda. Quod si accidat, non exstat infallibilis definitio. Animadversum est, constare non posse, „*quando* Romanus Pontifex supremi doctoris munere fungens pro auctoritate definiat“. Sed „humanae linguae non desunt necessaria et apta signa ad exprimendam supremi doctoris et apostolici muneris functionem. . . Ceterum si quando dubitaretur, utrum documentum aliquod pontificium sit reapse a Pontifice *fungente apostolico suo munere* editum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ecclesia tenendam definit[1], per assistentiam[2] divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea[3] infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae[4] irreformabiles esse.

[6.] Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Iulii.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Ita est.

Iosephus,
Episcopus S. Hippolyti,
Secretarius Concilii Vaticani.

---

profecto non maior esset difficultas ac nascitur, si quando dubitatur, Concilium aliquod fuerit necne vere legitimum et oecumenicum, vel quidnam in Concilio revera ut fidei dogma definitum, quidve tantum ad doctrinae explicationem vel probationem adiectum fuerit". (Relatio de observ. C. V. 285 b.)

[1] Non tamen necesse est, ut antecesserit quaestio, cui Summus Pontifex *finem* imponat, „sed vox *definit* significat, quod Papa suam sententiam circa doctrinam, quae est de rebus fidei et morum, directe et terminative proferat". (Relatio etc. C. V. 474 d sq. Cf. Exceptiones etc. C. V. 455 sqq.)

[2] Non per inspirationem vel revelationem. (V. alteram paragraphum huius capitis. Cf. pristinum schema de Ecclesia C. V. 570 b.) — „Hinc Papa pro officio suo et rei gravitate tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam; et eiusmodi media sunt Concilia vel etiam consilia Episcoporum, Cardinalium, theologorum etc. Haec media pro diversitate rerum utique sunt diversa, et pie debemus credere, quod in divina assistentia Petro et successoribus eius a Christo Domino facta simul etiam contineatur promissio mediorum, quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis iudicium." (Relatio etc. C. V. 400 b. Cf. Relatio etc. C. V. 286 b. c.) Ligatur Summi Pontificis conscientia officio recte in rem inquirendi ac mediis oblatis recte utendi. „Sed ideo nihil timendum, ac si per malam fidem et negligentiam Pontificis universalis Ecclesia in errorem circa fidem induci posset. Nam tutela Christi et assistentia divina Petri successoribus promissa est causa ita efficax, ut iudicium Summi Pontificis, si esset erroneum et Ecclesiae destructivum, impediretur; aut, si reapse Pontifex ad definitionem deveniat, illa infallibiliter vera exsistat." (Ibid. C. V. 401 b. c. Cf. Relationem de observationibus Patrum C. V. 285 d sq.)

[3] Non indicatur, unum esse *subiectum* infallibilitatis in Ecclesia (cf. comment. VIII. p. 188 sqq.), sed idem esse *obiectum* infallibilitatis pontificiae atque Ecclesiae. (V. comment. IX. p. 207.)

[4] Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 122 sq.

INDEX PERSONARUM AC RERUM.

Acta Congregationum gener., cuius momenti sint ad Constit. explicandas 9.
Acta s. Sedis v. Pontificis Romani.
Alemany, Ios. Sadoc, Archiep. S. Francisci, unus e deput. fidei 2.
Alexander Nat. de ordinaria potestate Papae in totam Ecclesiam 221[2].
Anathemata, sintne a Concilio usurpanda 13 sq. 18. 74.
Andries, I. B., de ambitu doctrinae, circa quam infall. Eccl. magisterium versatur 91[1]. 191 sq. 208 sq.
Angelis (de), Card., primus Praeses Congr. gen. propositionem infallibilitatis pontif. differendam censet 107. 110.
Anglicanorum quorundam doctrina de variis Ecclesiae partibus in unam veram coalescentibus 31[1].
Antoninus S. Formula definitionis infallibilitatis pont., quae dicebatur Antoniniana 182. 188.
Aristoteles, num cognoverit Deum, ut principium et finem omnium rerum 43. 44 sqq.
Atheismus nostra aetate vulgatus 72 — condemnatur v. Deus.
Avanzo (d'), Barthol., Episc. Calvens. et Theanens., unus e deput. fidei 2 — confert studium ad schema de Romano Pont. formandum 109 — refert de emendationibus in duo priora cap. Constit. de Eccl. propositis 113 sqq. 116. 130 sqq. 219[3] — de exceptionibus in prooem. et duo priora c. 123. 147 sqq. 211[2]. 213[1].

Baltimorensis v. Spalding.
Bautainius de exsistentia Dei naturaliter cognoscenda 36[1]. Propositio ab eo (8. Sept. 1848) subscripta 40[5]. 83[1].
Bellarminus de loco Luc. 22, 32: „Ego rogavi pro te etc." 170 sq. — de morali necessitate Conciliorum oecum. 177 sq. — de quaestione, num Papa, persona privata, se haeresi addicere possit 187.
Bilio, Card., praeses deput. fidei 2. Quaestionem de infall. pontif. differre studet 107. 109 — incisum canonis tertii Const. de Eccl. de plenitudine supremae potestatis Primatus retineri vult 158. 160 — caput de infallib. pontif. ipse composuit 193 — postea mutat 193. Disputationes inde de exhibendo obiecto infallibilitatis ortae 193 sqq.
Bonnetius propositionem traditionalismo adversantem subscribit 40[5].
Bostrensis v. Steins.
Brixinensis v. Gasser.

Calvensis v. Avanzo.
Canon, quid primo significet et quid olim significaverit 52 — librorum sacrorum, qui sit 47. 80. Canonicus liber, quid sit et quomodo differat ab inspirato 51 sqq. 81.
Canones conciliares, num condendi 13 sq. 18. 74 — num primo capiti Constitutionis de fide adiiciendi 14. 96.
Capita Constitutionum, num eatenus tantum definitiones contineant, quatenus subiectis canonibus respondeant 74.
Cardoni, Ios., Archiep. Edessenus, unus e deput. fidei 2.
Casseliensis v. Leahy.
Chrisman de obiecto infallibilitatis Ecclesiae 197.
Christi nomen, quid significet 133 sq.
Commissiones theologorum ad paranda schemata rerum proponendarum 1.
Concilia oecumenica non sunt supervacanea, si Papa infallibilis est 177. 178 sq. — et manent libera 179.

Ecclesia tenendam definit[1], per assistentiam[2] divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea[3] infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae[4] irreformabiles esse.

[6.] Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Iulii.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Ita est.

Iosephus,
Episcopus S. Hippolyti,
Secretarius Concilii Vaticani.

---

profecto non maior esset difficultas ac nascitur, si quando dubitatur, Concilium aliquod fuerit necne vere legitimum et oecumenicum, vel quidnam in Concilio revera ut fidei dogma definitum, quidve tantum ad doctrinae explicationem vel probationem adiectum fuerit". (Relatio de observ. C. V. 285 b.)

[1] Non tamen necesse est, ut antecesserit quaestio, cui Summus Pontifex *finem* imponat, „sed vox *definit* significat, quod Papa suam sententiam circa doctrinam, quae est de rebus fidei et morum, directe et terminative proferat". (Relatio etc. C. V. 474 d sq. Cf. Exceptiones etc. C. V. 455 sqq.)

[2] Non per inspirationem vel revelationem. (V. alteram paragraphum huius capitis. Cf. pristinum schema de Ecclesia C. V. 570 b.) — „Hinc Papa pro officio suo et rei gravitate tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam; et eiusmodi media sunt Concilia vel etiam consilia Episcoporum, Cardinalium, theologorum etc. Haec media pro diversitate rerum utique sunt diversa, et pie debemus credere, quod in divina assistentia Petro et successoribus eius a Christo Domino facta simul etiam contineatur promissio mediorum, quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis iudicium." (Relatio etc. C. V. 400 b. Cf. Relatio etc. C. V. 286 b. c.) Ligatur Summi Pontificis conscientia officio recte in rem inquirendi ac mediis oblatis recte utendi. „Sed ideo nihil timendum, ac si per malam fidem et negligentiam Pontificis universalis Ecclesia in errorem circa fidem induci posset. Nam tutela Christi et assistentia divina Petri successoribus promissa est causa ita efficax, ut iudicium Summi Pontificis, si esset erroneum et Ecclesiae destructivum, impediretur; aut, si reapse Pontifex ad definitionem deveniat, illa infallibiliter vera exsistat." (Ibid. C. V. 401 b. c. Cf. Relationem de observationibus Patrum C. V. 285 d sq.)

[3] Non indicatur, unum esse *subiectum* infallibilitatis in Ecclesia (cf. comment. VIII. p. 188 sqq.), sed idem esse *obiectum* infallibilitatis pontificiae atque Ecclesiae. (V. comment. IX. p. 207.)

[4] Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 122 sq.

INDEX PERSONARUM AC RERUM.

Acta Congregationum gener., cuius momenti sint ad Constit. explicandas 9.
Acta s. Sedis v. Pontificis Romani.
Alemany, Ios. Sadoc, Archiep. S. Francisci, unus e deput. fidei 2.
Alexander Nat. de ordinaria potestate Papae in totam Ecclesiam 221[2].
Anathemata, sintne a Concilio usurpanda 13 sq. 18. 74.
Andries, I. B., de ambitu doctrinae, circa quam infall. Eccl. magisterium versatur 91[1]. 191 sq. 208 sq.
Angelis (de), Card., primus Praeses Congr. gen. propositionem infallibilitatis pontif. differendam censet 107. 110.
Anglicanorum quorundam doctrina de variis Ecclesiae partibus in unam veram coalescentibus 31[1].
Antoninus S. Formula definitionis infallibilitatis pont., quae dicebatur Antoniniana 182. 188.
Aristoteles, num cognoverit Deum, ut principium et finem omnium rerum 43. 44 sqq.
Atheismus nostra aetate vulgatus 72 — condemnatur v. Deus.
Avanzo (d'), Barthol., Episc. Calvens. et Theanens., unus e deput. fidei 2 — confert studium ad schema de Romano Pont. formandum 109 — refert de emendationibus in duo priora cap. Constit. de Eccl. propositis 113 sqq. 116. 130 sqq. 219[3] — de exceptionibus in prooem. et duo priora c. 123. 147 sqq. 211[2]. 213[1].

Baltimorensis v. Spalding.
Bautainius de exsistentia Dei naturaliter cognoscenda 36[1]. Propositio ab eo (8. Sept. 1848) subscripta 40[5]. 83[1].
Bellarminus de loco Luc. 22, 32: „Ego rogavi pro te etc." 170 sq. — de morali necessitate Conciliorum oecum. 177 sq. — de quaestione, num Papa, persona privata, se haeresi addicere possit 187.
Bilio, Card., praeses deput. fidei 2. Quaestionem de infall. pontif. differre studet 107. 109 — incisum canonis tertii Const. de Eccl. de plenitudine supremae potestatis Primatus retineri vult 158. 160 — caput de infallib. pontif. ipse composuit 193 — postea mutat 193. Disputationes inde de exhibendo obiecto infallibilitatis ortae 193 sqq.
Bonnetius propositionem traditionalismo adversantem subscribit 40[5].
Bostrensis v. Steins.
Brixinensis v. Gasser.

Calvensis v. Avanzo.
Canon, quid primo significet et quid olim significaverit 52 — librorum sacrorum, qui sit 47. 80. Canonicus liber, quid sit et quomodo differat ab inspirato 51 sqq. 81.
Canones conciliares, num condendi 13 sq. 18. 74 — num primo capiti Constitutionis de fide adiiciendi 14. 96.
Capita Constitutionum, num eatenus tantum definitiones contineant, quatenus subiectis canonibus respondeant 74.
Cardoni, Ios., Archiep. Edessenus, unus e deput. fidei 2.
Casseliensis v. Leahy.
Chrisman de obiecto infallibilitatis Ecclesiae 197.
Christi nomen, quid significet 133 sq.
Commissiones theologorum ad paranda schemata rerum proponendarum 1.
Concilia oecumenica non sunt supervacanea, si Papa infallibilis est 177. 178 sq. — et manent libera 179.

Eorum infallibilitas, num derivetur a Summo Pontifice 165. 185. 188 sqq. In iis Episcopi sunt veri iudices 178. cf. 73[1]. Formulae huc spectantes a Vaticano Concilio usurpatae 73. 213.
Conclusio Constitutionis de fide v. Monita Const. de fide addita.
Conditiones suffragio adiectae v. Emendationes.
Congregatio generalis Concilii Vat., quid sit 1, quomodo res ei propositae 2 sq. — in ea discussae 3. Quomodo suffragia lata 3 sqq.
Congregatio Patrum, cuius est, res proponendas examinare 3. Eius praeses Card. Patrizi 106. Approbat postulata proponendi quaestionem infallibilitatis 107.
Constantinopolitani III. Concilii ad epistolam Agathonis Papae ratio 179.
Constantinopolitani IV. testimonium de infallibilitate S. Pontificis 165 sqq. 231 — quomodo differat a formula Hormisdae 166 sq. — a quo scriptum sit 167 — a quo subscriptum 168 — num in cap de infallibilitate addendo fuerit truncatum 168 — num vere enuntiet infallibilitatem Pontificis 169. 173.
Constitutio de fide 70 sqq. — unde derivetur 11. 15. Eius enarratur historia 15 sqq. Est prior pars schematis reformati de doctrina cath. 11. 15. V. Schema etc. Discutitur a deputatis 16 — proponitur Congregationi generali 17 sqq. Discussio generalis 19 — specialis prooemii 19 sq. — capitis primi eiusque canonum 21. 29 sqq. — secundi eiusque canonum 21 sq. — tertii eiusque canonum 22 sqq. — quarti eiusque canonum 24 — monitorum in fine additorum 24 sqq. Tota Constitutio suffragiis subiicitur 27. Agitur de exceptionibus propositis 27 sq. Constitutio approbatur et confirmatur in Sessione publica tertia 29.
Constitutio prima de Ecclesia 210 sqq. Eius historia 103 sqq. Caput de infallibilitate additum v. Infallibilitas S. Pontificis. Constitutio de Rom. Pontif. (ex cap. undecimo et cap. addito) deputationi proponitur et discutitur 110 sqq. nomen accipit primae de Eccl. 110 — reformata cum relatione traditur Patribus 112. Cur de ea statim agendum sit 107 sq. 112. 113. Rationes oppositae 113. Refutantur 113 sqq. Relatio de Const. in Congr. gener. habita a Rmo Pie 112 sq. Discussio generalis 113, quomodo conclusa 113 — specialis prooemii 115. cf. 126 sqq. — capitis primi et secundi 115 sq. — tertii et trium canonum priorum 116 — incisi canonis tertii 116, de quo disseritur 157 sqq. Discussio definitionis Florentini de Primatu 117. cf. 150 sqq. — vocis episcopalis potestatis S. Pontificis 117 cf. 154 sqq. — quarti capitis 119. 200 sqq. — canonis 121 sq. Ultima discussio totius Constitutionis et suffragia 122 sq. 206. Aliqui petunt a Summo Pontifice, ut tria mutari iubeat 123. 164. Rmus Dupanloup, ut approbationem Constitutionis differat 123. Multi Patres discedendi venia generaliter concessa ante habitam Sessionem IV. Romam relinquunt 124. Eorum epistolae ad S. Pontificem vel Praesides Concilii datae 124. Constitutio in Sess. solemni quarta approbatur et confirmatur 124. — Praeterea v. Infallibilitas S. Pontificis.
Corpus humanum. Num in quaestione de immediata vel mediata eius per Deum creatione Patrum Scripturae explicatio norma interpretationis habenda sit 60.
Creationis proprie dictae possibilitas, num sola ratione cognosci possit et a Vaticano cognosci posse dicatur 42 sqq.
Criteria revelationis v. Revelatio.
Cugini, Franc. Aem., Archiep. Mutinens., unus e deput. fidei 2.
Cullen, Card., Archiep. Dublinens., formulam definitionis infallibilitatis pontif. proponit 201. 202 sq.

***D**arboy*, Georg., Archiep. Parisiens. Eius epistola ad Pium IX. ante Sess. IV. 123. 164. 188.
Dechamps, Victor, Archiep. Mechliniens., unus e deput. fidei 2 — ad reformandum schema de doctr. cath. electus 15 — petit, ut infallib. pontif. definiatur 105 sq. Eius opinio de obiecto infallibilitatis exhibendo 195. 200.

Deputationes quatuor Patrum, quid sint 1 — ad quid institutae 1 — quomodo constitutae 1. Quid iis agendum 3 sq. 6. Deputationis de fide membra 2 — relationes scripto traditae 4. 9 — in Congr. gen. habitae 6. 10. V. Relationes.
Deus. Definitur, Deum unum, a mundo distinctum, infinitum exsistere 74. 96. Eum libere ad suam gloriam omnia, quae praeter ipsum sunt, creasse 76. 97 — atque providum gubernare 76. Eius scientiam ad omnia pertingere, etiam ad futura libera 76. Num definiatur, eum omnia eodem tempore creasse 75 sq. Definitur, eum certo cognosci posse naturali rationis lumine 33 sqq. 77. 97 — etiam in statu naturae lapsae 33 — sine supernaturali revelatione seu alio adiumento supernat. 33 sq. Num excludatur necessitas institutionis 36 sq. — intuitionis Dei 38 sq. — ideae innatae s. alius naturalis adiumenti sive subiectivi sive obiectivi 39 sqq. Num definiatur, Deum naturaliter cognosci posse creatorem stricto huius vocis sensu 42 sqq. V. Creatio. Traditionalismus. Ontologismus.
Dias Larangeira, Sebast., Episc. S. Petri Fluminis Grandensis Australis, unus e deput. fidei 2.
Diluvium. Num in quaestione de eius universalitate Patrum Scripturae explicatio norma habenda sit 60.
Discedendi venia d. 16. Iulii 1870 generaliter concessa 124.
Discussio rerum in Congr. gen. 3 sqq.
Dogmatum sensus, num progressu scientiae mutetur 94. 100. Qualis progressus in dogmatum intelligentia admittendus ibid. Cf. Ecclesia.
Dominis (de), M. A. Eius error de Primatu notatus a facultate Parisiensi 218[6]. Cf. 230[1].
Dupanloup, Ant. Felix, Episc. Aurelianens. Eius epistola ad Summum Pontificem ante Sess. IV. 123.

***E**cclesia* veritatum revelatarum custos atque magistra et ipsa motivum credibilitatis 87. Gratiae auxilio catholici, ut in catholica fide perseverent, iuvantur 88. Eorum conditio diversa ab aliorum, nec iusta iis causa esse potest mutandi fidem seu de ea dubitandi 61 sqq. 88. 99. Num a Concilio definiatur, hominis catholici defectionem semper formale peccatum esse 61 sqq. Rationes id asserendi 62. 66 sqq. Sed negandum est 62 sqq. Doctrina Hermesii 62 sq. — similis aliorum 63 sq. — Vigilii 66 — reiicitur a Conc. 64 sqq. Ecclesia proscribere potest ac debet falsi nominis scientiam fidei contrariam 91. 93[1]. 100, etiamsi fidei non formaliter, ut haeretica, opponitur, quod tamen in Const. de fide non definitur 91. Monitum vitandi errores ab Ecclesia proscriptos, etiamsi haereses non sunt 101. Ecclesia artium et disciplinarum culturam magni aestimat et fovet 93. Dogmatum ab Eccl. propositorum sensus progressu scientiae non mutatur 94. 100. Verus et falsus in dogmatis intelligentia progressus ibid. Ecclesia non in solis veritatibus revelatis proponendis infallibilis est, sed etiam in aliis cum his connexis 190. 193. 197. 204 sqq. 207 sq. Eius docendi potestas ad iurisdictionem spectat 218[2]. Odium, quo portae inferi Ecclesiam aggrediuntur 112 sq. Quorundam, praesertim Anglicanorum opinio, Ecclesiam constare compluribus Eccl. particularibus inter se independentibus 31[2]. Praet. v. Episcopi. Primatus.
Emendationes (obiectiones, animadversiones) a Patribus factae, quid sint 3 sq. — quid valeant ad Constitutiones explicandas 9 — si in suffragiis de tota Constit. ferendis proponuntur, vocantur etiam exceptiones s. conditiones suffragio adiectae 6. 27. 122.
Episcopalis potestas, quid sit 117. 154 sqq. V. Primatus.
Episcopi sunt institutionis divinae et ad essentialem Ecclesiae constitutionem pertinent 132 sq. Utrum a Papa an immediate a Christo accipiant iurisdictionem, non tangitur a Concilio Vaticano 194 sq. 229[3]. Sunt veri iudices fidei 178. cf. 73[1]. Episcopalis S. Pontificis potestas eorum potestati non officit 117[1].

224 sq. Singuli et simul omnes S. Pontifici subiecti sunt 222 sq. Utrum solus S. Pontifex an etiam omnium Episcoporum cum S. Pontif. collegium habeat supremam potestatem 223 [1] et infallibilitatis praerogativam 165. 185. 188 sqq. V. etiam Concilium. Ecclesia. Infallibilitas S. Pontificis. Primatus.
Exceptiones v. Emendationes.
Eybel de Primatu 150. 221 [1]. 154.

Febronius de Primatu 221 [1] — de communicatione Pontificis cum totius orbis grege 226 [2].
Fides, quid sit 82. 98. Dei fidem exigendi ius 81. 98. Fidei possibilitas 83. 98 — supernaturalitas 84 sq. 99 — libertas 85. 99 — necessitas 87 — obiectum 86. Dubium de fide et defectio 61 sqq. Fides et ratio 90 sqq. V. etiam Ecclesia. Mysteria. Revelatio.
Fleury de appellatione a Papa ad Conc. 227 [1].
Florentinum Concilium de inspiratione 49. Eius definitio de Primatu a Vaticano recepta 220 — cur? 150. De ultimis verbis „quemadmodum etiam etc.“ 150 sqq. Ipsius Vaticani eorum explicatio 153. Quo sensu plena iurisdictionis potestas a Florentino tribuatur S. Pontifici 161 sq. Eius testim. pro infallib. pontif. 174. 231.
Franzelin S. I. de schemate de doctr. cath. disserit 15. 76 — de verbis „simul ab initio temporis“ ex Conc. Lat. IV. receptis 75 [3] — de Primatus cum Romana sede connexione 138. 150 [1].
Frohschammer de libertate scient. 93 [1].
Fuldensis conventus Episc. (1869) 105.

Galilei doctrina de motu terrae, num ad tribunal Ecclesiae spectarit 59.
Galliae quidam Episcopi, ne novae definitiones fidei edantur, desiderant 105.
Gallicani de appellatione a Papa ad Concilium oecum. 227 [1].
Garcia Gil, Emman., Archiep. Caesaraugust., unus e deput. fidei 2.
Gasser, Vinc., Episc. Brixinens., unus e deput. fidei 2 — disserit de canonibus condendis 14 [1] — refert de emendationibus propositis in caput primum Constitutionis de fide 21. (in adnot.:) 74 sqq. 96 — in eiusdem caput alterum 22. 30. 33 sqq. 36 sq. 38 sq. 40. 47. 50 sq. (in adnot.:) 77 sqq. 81 — de exceptionibus in totam Constitutionem propositis 27 sq. 32. 44 sqq. 51 sq. 55 sq. (in adnot.:) 72. 74. 77. 81 — de emendationibus in cap. quartum Const. primae de Eccl. propositis 120 sq. 173 sqq. 178. 180 sqq. 203 sqq. (in adnot.:) 232 sqq. — de canone cap. quarti 121 sq. — de except. in quartum caput 123. 188. 206 sq.
Germaniae quidam Episcopi desiderant, ne infallibilitas pontificia definiatur 105.
Gnesnensis v. Ledochowski.
Güntheriana doctrina de Dei libertate creandi atque creationis fine reiicitur 97.

Hassun, Ant. P., Patriarcha Ciliciae Armen., unus e deput. fidei 2, petitionem, ut definiatur infallib. pontif., tradit 106.
Hermesii doctrina exponitur seu a Concilio respici dicitur 23 — doctrina de fine creationis reiicitur 97 — doctrina de fide 82 [1]. 85 [1] — de dubii liceitate 62 sq.
Hormisdae Papae formula v. Constantinopolitani IV. testim.
Huss, I. Eius error de Primatu 218 [5]. 218 [6].

Indifferentismus religiosus 63 sq. Cf. Pontifex Romanus.
Infallibilitas Ecclesiae v. Ecclesia.
Infallibilitas Summi Pontificis. Historia definitionis eius 104 sqq. Quomodo factum sit, ut Concilio proponeretur 104 sqq. Quid de ea re censuerint Cardinales in Curia residentes 104 — Episcopi latini de rebus Concilio proponendis consulti 104 — theologi commissionis dogmaticae 104 sq. — varii ante Concilium Patres 105 sq. Animorum de ea re commotio 106. Patrum ab initio Concilii opinionum varietas 106. Petitur fere a quingentis, ut infallibilitas proponatur 106 sq. Patres 136 petunt, ut ab ea proponenda abstineatur 107. Quae Praesidum Concilii opinio 107. Congregatio examinandis propositionibus rem proponendam censet 107. Assentitur S. Pontifex 107. Schema capitis de infallibilitate capiti undecimo Constitutionis de Ecclesia additur 107 — Patribus proponitur 107. Horum diversa de ordine rerum proponendarum studia 107 sqq. Constitutio de Rom. Pontifice, ex cap. undecimo et cap. addito composita, cum Patrum emendationibus deputationi proponitur et discutitur 110 sqq. — nomen sortitur primae de Ecclesia 110 — traditur Congregationi gener. cum relatione 112. Aliorum gratiarum actiones, aliorum querelae 112. Cur prius de Constitutione prima de Eccl. quam de aliis schematis agendum sit 107 sq. 112. 113. Rationes, cur alius ordo praeferendus 113. Refutantur 113 sqq. Cf. Constit. prima de Ecclesia.

Testimonia trium Conciliorum pro infallib. S. Pontificis magisterio 231. 165 sqq. V. Constantinopol. IV. — Lugdun. II. — Florentinum Concilium. Ea referuntur non ad solum Primatum, sed etiam ad infallibilitatem 171 sq. — non solius Romanae sedis vel Ecclesiae, sed Pontificis 172 — eiusque a ceteris, non quidem separati, at distincti eorumque superioris 172. Verba: „Confirma fratres tuos“ 170 sqq. 232.

Num S. Pontificis infallibilitas sit personalis 175 sq. — separata 177. 180 — absoluta 181. 182 — eius solius propria 188 sqq. cf. 165. 185. Num Pontifex, antequam definiat, consilium Episcoporum exquirere vel Ecclesiam consulere debeat 182 sqq. Num ei forma praescribi possit, qua definitionem edat 182. 183. Quis sit finis infallibilitatis pontif. 180. Num ipse tanquam persona privata se haeresi addicere possit 187. Infallibilis est, quando ex cathedra loquitur 233, quid hoc sit 233, num id constare possit 233. Obiectum infallibilitatis idem est atque obiectum infallib. Eccl. 190 sqq. 234. Disputationes de obiecto in definitione exhibendo 193 sqq. In qua praecise re fuerit dissensio 199. Res componitur 200 sqq. Explicatio doctrinae de obiecto infallibilitatis 203 sq. Quod sit obiectum infallib. 207 sq. Summus Pontif. non per inspirationem, sed per assistentiam Spiritus s. infallibilis est 232. 234 — ac media humana ad veritatem inveniendam adhibere debet 183. 232. 234.
Inscriptio Constitutionum, quae sit et cur usurpata 70.
Inspiratio, quid sit 47 sqq. 80. Quae fuerit Lessii de inspiratione opinio 49 sqq. Liber inspiratus, quomodo differat a canonico 51 sqq. 81. Quid sit res propter aliud inspirata 57. V. Scriptura sacra.
Interpretatio Scripturae normam sequi debet sensum Ecclesiae 53 sqq. 81. — „in rebus fidei et morum“, quid sibi velit 54 sqq.
Iudices. Episcopos in Concilio cum Summo Pontifice veros esse iudices 73 sq. V. Concilium. Episcopi.

Ketteler (de), G. Emman., Episc. Mogunt., de ordine in rebus tract. 114. Eius ante Sess. IV. epistola ad Summum Pontif. 124.
Kleutgen S. I. de culpa defectionis hominis catholici 61 [1].

Lamennaeus de naturali Dei cognitione 36 [1].
Leahy, Patric., Archiep. Casseliens., unus e deput. fidei 2. Eius schematis de Romano Pontifice formandi studium 109 — relatio de emendationibus in eius prooemium propositis 115. 127. 129. (in adnot.:) 211 sq.
Ledochowsky, Miecislaus, Archiep. Gnesnens. et Posnaniens., unus e deput. fidei 2 — petitionem, ut infallib. pontif. definiatur, tradit 106 — ad schema de Rom. Pontifice formandum confert studium 109.
Lessii de inspiratione doctrina 50 sq. Num in condendo decreto de S. Scriptura a Concilio eius ratio habita sit 49 sqq.
Lugdunense II. Conc. de recursu ad s. Sedem 226 [1]. Eius testim. de infallibilitate S. Pontif. 165 sqq. 231, num in cap. addendo truncatum 168, num vere ipsi Concilio tribuendum sit 168 sq. 173.

Macarii Vinnicensis de Primatu doctrina 215[1].
Manning, Ed., Archiep. Westmonasteriens., unus e deput. fidei 2. Operam confert ad schema de Romano Pont. formandum 109.
Martin, Conr., Episc. Paderbornens., unus e deput. fidei 2 — ad reformandum schema de doctr. cath. cum duobus electus id operis solus subit 15 — schematis reformati priorem partem deputationi exhibet atque operis rationem reddit 15 sq. Eius in schemate discutiendo pars 16 sq. Tradit alteram schematis reformati partem 17. Refert de emendationibus in caput tertium Constitutionis de fide propositis 22. 65. 67. (in adnot.:) 86. 87. 98. Eius schematis de Rom. Pontifice formandi studium 109 — formulae definitionis infallibilitatis pontif. obiectum vario modo exhibentes 194 sqq. 200. 201.
Materialismus post desertam religionem christianam vulgatus 72.
Melchers, Paulus, Archiep. Coloniens. Eius ad S. Pontif. ante Sess. IV. epist. 124.
Miracula v. Revelatio.
Moguntinus v. Ketteler.
Monescillo, Ant., Episc. Giennens., unus e deput. fidei 2.
Monita Constitutioni de fide addita 101. Eorum historia 24 sqq. 27 sq.
Motiva credibilitatis v. Revelatio.
„Multiplices inter“, Literae Apostolicae, v. Ordo.
Mysteria exstare et quid sint 89 sq. 99. Quid ratio circa ea praestare possit 90. Num inter ea et rationem possit esse pugna 91.

Naturalismus reiecto Ecclesiae magisterio vulgatus 71.
Neapolitani Episcopi de tractanda pontificia docendi potestate 105.
Nuytz de possibilitate transferendi Primatum ad aliam sedem 148. 149.

Ontologismus, num a Concilio damnatus sit 38. 75[1]. Postulatum de eo 38[4]. S. Inquisitionis de eo decreta 39[3].
Oratio Christi pro unitate discipulorum 211[1].
Orationes in Congr. gen., quo ordine habitae 3 sq.
Ordo Concilii Vaticani in decretis condendis servatus 1 sqq. — Literis Apostolicis „Multiplices inter“ constitutus 2 sq. — decreto 20. Februarii accuratius determinatus 3 sqq. Cur hoc decretum editum sit 2.

Paderbornensis v. Martin.
Palmieri S. I. de connexione Primatus cum Romana sede 139. 141.
Pantheismus reiecta religione christiana vulgatus 72. Cf. Deus.
Pecci, Cardinalis, Episc. Perusinus, ut aliqua ontologismi forma condemnetur, petit 38[4].
Pictaviensis v. Pie.
Pie, Lud. Franc., Episc. Pictaviens., unus e deput. fidei 2 — ad reformandum schema de doctr. cath. electus 15 — refert de emendationibus propositis in caput quartum Constitutionis de fide 24. (in adnot.:) 92. 99 — in eiusd. conclusionem 25 sqq. — de Const. prima de Eccl. 112 sq. 144. 151. 154. (in adnot.:) 225.
Pighius, Alb., de quaestione, num Papa, homo privatus, se haeresi addicere possit 187.
Placetum regium reiicitur 225.
Plato, num cognoverit Deum tanquam omnium rerum finem 43. 45.
Pontificis Romani Constitutiones et decreta, quibus pravae opiniones damnantur, servanda sunt 101. Eius praesertim nostrae aetatis acta, quibus reprobantur errores de indifferentismo: „Multiplices inter“ (22. Aug. 1851) 66. Syllabus (prop. XV.) 64. 65[1] — de revelatione et motivis credibilitatis: propositio (XXI.) ab Innoc. XI. damnata 83[1]. (Cf. propositiones a Bautainio et Bonnetti subscriptas 40[5]. 83[1].) Literae Apost. (9. Nov. 1846) „Qui pluribus“ 83[1] — de ratione scientiam inter et fidem: „Gravissimas inter“ (11. Dec. 1862) ad Archiep. Monach. 79[1]. 90[1]. 99[4]. „Tuas libenter“ (21. Dec. 1863) ad eundem 90[1]. „Eximiam tuam“ (15. Ian. 1857) ad Archiep. Colon. 95[1]. 100[2]. Allocutio Pii IX. (9. Iun. 1862) 100[2]. Syllabus (prop. X. XI. XIV.) 92[2]. (prop. VIII.) 94[1] — de

Primatu: „Ad Apostolicae Sedis“ (22. Aug. 1851) 148. „Auctorem fidei“ (28. Aug. 1794) 216[1]. „Accepimus“ (11. Iun. 1715) 225[2]. Decreta Inquis. (1647) 218[6]. (1644) 225[2]. Syllabus (prop. XXXV.) 148. 149. „Super soliditate“ (28. Nov. 1786) 150. Articuli Ioannis Huss a Martino V. damnati (art. 7.) 218[5]. Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno errores a Ioanne XXII. damnati 218[5]. Alia v. Primatus.
Preux (de), Petr. Ios., Episc. Sedunens., unus e deput. fidei 2 — studium confert ad schema de Romano Pontifice formandum 109.
Primatus iurisdictionis in univ. Ecclesiam a Christo in Petro institutus est 215. 218. Varii errores 215[1]. Immediate et directe in Petro institutus est 216 sq. 218, qui recte dicitur unitatis principium ac visibile fundamentum 125 sqq. 211., Apostolorum et Ecclesiae caput 218. Explicantur testimonia S. Scripturae 130 sqq. Verborum „Tu es Petrus“ Patrum explicatio 170. Num etiam ceteri Apostoli acceperint potestatem solvendi et ligandi 129. 131. 134 — ac fundamentum sint Ecclesiae 129. 135 sqq. Petri ratio ad Apostolos 132 sq. Ceteris non solum singulis, sed omnibus simul praefertur 218.

Perpetuitas Primatus 219. 220, in Romana sede 219. 220. Quaerunt theologi, num connexio Primatus cum Romana sede sit iuris divini atque indissol. 138 sqq. 145 sqq. 148. Num quid de hac re a Conc. Vat. declaratum sit 137 sqq.

Vis ac ratio Primatus 220 sqq., primatialis iurisdictio est ordinaria, i. e. nec nomine alterius nec in casibus solum extraordinariis exercenda 221. 229 — immediata, i. e. quae directe in omnes christianos ab ipso Primate exercetur 222. 230 — episcopalis 222, quo iure et quo sensu 154 sqq. — in pastores et fideles tam seorsum singulos quam simul omnes 223. Utrum solus Pontifex, an etiam Concilium cum ipso habeat supremam potestatem 162. 223[1]. Eius episcopalis potestas non officit ordinariae et immediatae Episcoporum potestati 117[7]. 224. 225[1]. Ius Summi Pontificis libere cum toto totius orbis grege communicandi 225. Placetum regium reiicitur 225. Pontifex iudex est supremus, ad quem ab omni tribunali eccles., a quo ad nullum, neque ad Concilium oecum. recurri potest 226 sq. Habet totam plenitudinem supremae potestatis 161. 229 — etiam in rebus ad disciplinam et regimen totius Ecclesiae spectantibus 224. 229. De inciso canonis tertii Const. de Eccl., quo tota plenitudo supremae potestatis Summo Pontifici attribuitur 157 sqq. In Primatu continetur supremum magisterium 230.

Concilii Constantin. IV., Lugdunensis II., Florentini testimonium 165 sqq. 231. V. Constantinop. IV. —, Lugdun. II. —, Florent. Concilium. Praeterea v. Infallibilitas Summi Pontificis. Pontifex Romanus.
Prophetia v. Revelatio.
Propositio rerum a Concilio tractandarum, ad quos spectet 2 — quae eius modus 3.
Pusey, quid doceat de variis unius verae Ecclesiae quasi ramis 31[1].

Quitensis Concilii Episcopi desiderant, ut infallibilitas pontificia definiatur 105.

Ratio deputatorum Patrum de modo, quo schema de doctr. cath. reformatum sit 17 sq. 33 sq. 42. 53 sq. 89[2].
Rationalismus reiecto Ecclesiae magisterio vulgatus 71. Rationalistarum et semirationalistarum doctrina de fide 82[1].
Ratisbonensis v. Senestréy.
Rauscher, Ios. Othmar, Card., Archiep. Vindobonens., postulationem proponendae infallibilitatis doctrinae approbandam negat 107.
Regalistae de S. Pontificis communicatione cum grege 225[2].
Régnier, Ren. Franc., Archiep. Cameracens., unus e deput. fidei 2.
Relationes deputatis de fide scripto tradendae 4. 9 — in Congr. gen. habendae 6 — quanti momenti sint ad Constit. explicandas 10.
Relatio de schemate Constitutionis

de fide 17 sq. (in adnot.:) 71. 75. 96 — de emendationibus propositis in prooemium 19. (in adnot.:) 73. 74 — in caput primum 21. (in adnot.:) 75. 76. 96 — alterum 22. 30. 33 sqq. 36 sq. 40. 47. 50 sq. 51. (in adnot.:) 78 sq. 81 — tertium 22. 65. 67. (in adnot.:) 81. 86 sq. 98 — quartum 24. (in adnot.:) 92. 99 — conclusionem 25 sqq. — de conditionibus suffragiis „Placet“ adiectis, quum tota Constitutio suffragiis subiiceretur 27 sq. 44 sqq. 51 sq. 55 sq. (in adnot.:) 72. 74. 77. 81.

Relatio de Constitut. prima de Eccl. scripta 110 sqq. 125. 140. 154. 175. 177. (in adnot.:) 222. 233 sq. Relatio in Congr. gen. de eadem Constit. habita 112 sq. 126. 144. 151. 155. 225[1] — de emendationibus propositis in prooemium 115. 127. 129. (in adnot.:) 211 sq. — in caput primum et alterum 113 sqq. 116. 130. 219[3] — tertium et tres priores Constitutionis canones 116 sqq. 144. 152. 155. 157. 158. 159. 160 sqq. (in adnot.:) 221 sqq. 226. 229 — in quartum 120 sq. 173 sqq. 178. 180 sqq. 203 sqq. (in adnot.:) 232 sqq. — de eius canone 121 sq. Relationes tres de exceptionibus, quum tota Constitutio suffragiis subiiceretur, propositis 118[1]. 123. 128. 147 sqq. 164. 188. 206 sq. 211[2].

Revelatio. Eius possibilitas et utilitas 97 — exsistentia 77 — necessitas moralis ad cognoscendas veritates religiosas naturales 78 — absoluta in statu naturae elevatae 79. Moralis et absolutae necessitatis explicatio 78[3]. 79[1]. Revelatio continetur in Scriptura et Traditione 80. V. Scriptura. Revelationis cognoscibilitas 83. 98 — criteria praesertim sunt externa facta divina 83. Falsae de ea re doctrinae 83[1]. 98[3]. Miraculorum et prophetiarum possibilitas et veritas 83. 99. Ecclesia veritatis revelatae custos et magistra atque ipsa perpetuum motivum credibilitatis 87. V. Deus. Ecclesia.

Riarius Sforza, Cardinalis, Archiep. Neapol., petit, ut quaedam Ontologismi species condemnetur 38[4].

Richerianorum de Primatu errores 150. 216. 217.

Schaepman, Andr. Ign., Archiep. Ultraiectens., unus e deput. fidei 2.

Schanz, professor Tübingensis, de certa naturali Dei cognitione a Vaticano definita 40[5].

Schema de doctrina cath., quanti momenti sit ad Constit. explicandas 8. Eius partes ac capita 11 sq. Ex eo derivatur Constit. de fide 11. Patrum de eo disceptatio 13. Deputationis iudicium 13 sqq. De schemate disserit Franzelin 15. Eius pars prior recipitur tanquam Constitutio de fide 15 sqq. Altera pars s. Constitutio de praecipuis mysteriis fidei non perficitur 17.

Schema de Ecclesia, quanti momenti sit ad Const. explicandas 8. Eius capita 103[4]. Traditur Patribus 103. Eorum animadversiones in decem priora capita scripto tradendae 104. Ea pars Const. relicta 104. E capite undecimo et capite de infallib. S. Pontificis addito oritur Constitutio I. de Eccl. 107 sqq. V. Infallibilitas S. Pontificis.

Schmid, Aloys., de peccato defectionis hominis catholici a fide 61[1].

Schwarzenberg, Card., Archiep. Pragens., iam ante Conc., ne infallibilitas pontif. definiretur, petiit 105 — petitionem 136 Patrum tradit 107.

Schwetz, theol., secretarius deputationis fidei 2.

Scientiae ratio ad Ecclesiam v. Ecclesia.

Scriptura Sacra continetur omnibus libris Vulgatae eorumque partibus 80. 98. Num Vulgata plane idem sit ac Clementis VIII. editio 47. Inspiratio Scripturae, quid sit 47 sqq. 80. Quae fuerit Lessii de inspiratione opinio, num ea in decretis notetur 49 sqq. Quomodo liber inspiratus differat a canonico 51 sqq. 81. Regula interpretationis S. Scripturae 53 sqq. 81. Quid sibi velit restrictio „in rebus fidei et morum etc.“ 54 sqq.

Sedunensis v. Preux.

Semirationalistae de fide 82[1] — de libertate scientiae 93[1].

Senestréy (de), Episc. Ratisbonens., unus e deput. fidei 2. Confert studium ad formandum schema de Rom. Pontifice 109 — ad obiectum infallibilitatis recte exhibendum 196.

Sessio publica s. solemnis Concilii Vat., quid sit 1 — quomodo habeatur 7.

Simor, Ioannes, Archiep. Strigoniens., unus e deput. fidei 2 — refert de schemate Constitutionis de fide 17 sq. (in adnot.:) 71. 75. 96. — de emendationibus propositis in eius prooemium 19 sq. (in adnot.:) 71. 74.

Spalding, Archiep. Baltimorens., unus e deput. fidei 2. Eius schema definitionis infallibilitatis pont. 107 — — opinio de obiecto infallib. exhibendo 195. 200.

Steins, Archiep. Bostrens., unus e deput. fidei 2. Eius studium formandi schematis de Rom. Pontifice 109 — opinio de obiecto infallibilitatis exhibendo 195. 200.

Stilus conciliaris Constit., qualis esse debeat 18.

Strigoniensis v. Simor.

Suffragia in Congreg. gen. de emendationibus propositis et schematum partibus actu surgendi et sedendi lata 3 sqq. — de integris Constit. verbis „Placet“, „Non placet“, „Placet iuxta modum“ 6 — in Sess. publicis 7.

Tamburinius, Petrus († 1827, distinguendus a Thoma Tamburinio moralista mortuo 1675, 154[3]). Eius doctrina de Primatu 154. 221[1]. 223[1] — de appellatione a Papa ad Concilium 227[1].

Tarvisinus v. Zinelli.

Traditio est fons revelationis 80.

Traditionalismus crudior exponitur 34 — a Concilio damnatur 35 — mitior, quatenus tangatur 35 sqq.

Tridentinum Concilium, quos tulerit fructus 70 sq. Renovantur et explicantur eius decreta de S. Scripturae ambitu 47. 80 — inspiratione ibid. — interpretatione 53. 81.

Ubaghs, professoris Lovaniensis, doctrina ontologistica cum definitione Vaticani conciliari nequit 39.

Valdivieso, Raph. Valent., Archiep. S. Iacobi de Chile, unus e deput. fidei 2.

Vigilii, Franc., doctrina de defectione a fide 66.

Whelan, Rich., Episc. Wheelingensis, emendationes in prooem. Const. de fide retractat 20.

Wicleffii error de Primatu 218[6].

Zinelli, Frid., Episc. Tarvisinus, unus e deput. fidei 2. Operam confert ad formandum schema de Rom. Pont. 109. Eius relatio de huius schematis emendationibus in cap. tertium et tres canones propositis 116. 117. 144. 152. 155. 157. 158. 159. 160 sqq. (in adnot.:) 221 sqq. 226. 229 — de exceptionibus in caput tertium 118[1]. 123. 164.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS